R. P. JOANNIS MICHAELIS
CAVALIERI
BERGOMATIS

ORD. EREMIT. SANCTI AUGUSTINI CONGR. OBSERV. LOMB.

SACRÆ THEOLOGIÆ LECTORIS EMERITI

OPERA OMNIA
LITURGICA,
SEU
COMMENTARIA

In authentica Sacræ Rituum Congregationis Decreta ad Romanum præfertim Breviarium, Miffale, & Rituale quomodolibet attinentia

QUINQUE TOMIS COMPREHENSA.

TOMUS QUINTUS

COMPLECTENS EA QUÆ AD SACROSANCTI MISSÆ SACRIFICII RITUS, ET ACCURATAM CELEBRATIONEM PERTINENT,

Ex MSS. Auctoris fchedis nunc primum collectus, in ordinem digeftus, eruditionibus pluribus illuftratus, atque Epiftola BENEDICTI XIV. fuper Miffæ celebratione fedendo, recentiorum quorundam S. R. C. Decretorum nunquam antea editorum appendice, atque indicibus locupletiffimis auctus.

BASSANI, MDCCLXXVIII.

SED PROSTANT

VENETIIS APUD REMONDINI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

LECTORI EDITOR.

QUAS in Præfatione prioris voluminis Typographus promiſit P. Cavalerii Obſervationes in S. C. Decreta ad Miſſale Romanum pertinentes, hic habes a me, quoad licuit, diligenter collectas, digeſtas, illuſtratas. Non is ego ſum, qui tanti Scriptoris opus perfeciſſe me gloriari velim. Id oppido ridiculum eſſet, atque a mea ingenuitate perquam alienum. Hoc tamen ſancte fateri poſſum, nihil a me prætermiſſum, ut ne Cavalerii ſchedæ magno litterariæ Reipublicæ detrimento perirent, & ornatiores, ac legentibus ipſis utiliores prodirent. Si *in magnis voluiſſe ſat eſt*, ut fert vulgaris parœmia, ecquis erit moroſus adeo Cenſor, ut conſilium meum minime probet? Fruere igitur conatibus meis, & Cavalerio duce Sacrorum Rituum ſcientiam excole nobiliſſimam illam, & chriſtiano cum primis homine dignam.

E L E N C H U S
C A P I T U M,

Et Argumentorum hujus Tomi.

Manuductio ad Defunctorum Missas rite celebrandas juxta Rubricas, Decreta, & celebriores Auctores.

INDEX DECRETORUM,

Servato ordine, quo a nobis per capita distributa sunt, & fiunt exposita.

Numerus Paginam notat.

1. LOCORUM Ordinarii tam Sæculares, quam Regulares, nequeunt propria auctoritate, quovis prætextu, mutare Ritum, qui habetur in Kalendario Romano, seu Rubricis Breviarii, in altiorem ritum, neque extendere concessa officia de loco ad locum: Sic expresse statuit S. R. C. approbante Urbano VIII. pag. 3

2. *Decretum Clementis XI. de Celebratione in Oratoriis privatis.*

Quoniam sancta sancte tractanda sunt, ac præsertim tremendum incruenti Sacrificii Mysterium, quod omni Religionis cultu, & veneratione peragendum est, propterea super observandis, & evitandis in celebratione Missarum in sacrosanctis Oecumenicis Conciliis, ac præsertim Tridentino, *sub capite unico sess.* 22. inter cetera statutum est, ut tantum Sacrificium solummodo in Ecclesiis, aut Oratoriis divino tantum cultui dicatis celebraretur, præcipiendo Episcopis, & locorum Ordinariis, ne privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam peragi paterentur: ac subinde S. C. Eminentissimorum, ac Reverendissimorum S. R. C. Cardinalium ipsius Concilii Tridentini executioni, & interpretationi præpositorum sæpe sæpius per opportuna decreta obrepentes abusus eliminavit: modernis tamen temporibus innotuit SS. Domino nostro, quod nonnulli Episcopi prætextu privilegiorum Cappellis Episcopalibus competentium, & complures Regulares sub prætextu Privilegiorum, quæ ipsis a Sancta Sede indulta noscuntur, per hujusmodi privilegiorum dilatationem, seu potius excessum, & abusum in nonnullis Diœcesibus præsertim Regni Neapolitani, ac in ipsa Neapolis Civitate, & sibi licere putant, quæ permissa non sunt, quinimo prohibita; siquidem nonnulli Episcopi etiam in aliena Diœcesi, & extra domum propriæ habitationis, in privatis laicorum domibus erigi faciunt Altare, ibique per unum, aut plures e suis Cappellanis vivificam Christi Hostiam immolare: Regulares vero in quibusdam magnatum, seu aliarum nobilium Personarum privatis Oratoriis, quæ certis quandoque ex causis a Sede Apostolica concedi solent, celebrare audent vel plures Missas, quam in ipsis celebrare sit indultum, vel absque præsentia personarum, quarum contemplatione gratiosa concessio emanavit, vel extra debitas horas & post meridiem, vel illis etiam diebus, quibus per constitutiones Diœcesanas, aut etiam per Decreta S. Cong. Concilii celebrari prohibetur, aut quæ ipsismet Indultis Apostolicis excipiuntur, quamvis in iis celebrari possit, aut etiam Altari portatili uti non verentur in Sanctarum Sanctionum contemtum, ac Sanctissimi Sacrificii irreverentiam.

Quamobrem ad abusus hujusmodi eliminandos, & ad instaurandam venerationem tremendo ministerio debitam, idem SS. Dominus noster ex unanimi voto S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum inhærendo declarationibus alias hac de re editis, expresse declarat, Episcopis, & his majoribus Prælatis, etiamsi Cardinalatus dignitate fulgentibus, neque sub prætextu Privilegii clausi in corpore Juris, nec alio quocumque titulo, ullo modo licere extra domum propriæ habitationis, in domibus laicis, etiam in propria Diœcesi, quod fortius intelligitur in aliena, etiamsi Diœcesani consensus adhiberetur, erigere Altare, ibique Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrare, seu celebrari facere; ac pari modo in Oratoriis privatis, quæ per Sanctam Sedem concessa fuerint, non licere Regularibus cujusvis Ordinis, aut Instituti, seu Congregationis, etiam Societatis Jesu, aut etiam cujuscumque Ordinis militaris, etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, aut aliis quibuscumque Sacerdotibus, etiamsi essent Episcopi, in iis celebrare in diebus Paschatis SS. Resurrectionis, Pentecostes, Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, aliisque Anni Festis solemnioribus, ac diebus in Indulto exceptis: In reliquis vero diebus prædictis Regularibus, seu Sacerdotibus quibuscumque etiam Episcopis in præfatis Oratoriis celebrare non licere, ubi etiam unica Missa, quæ in Indulto conceditur, celebrata fuerit, super quo celebraturus diligenter teneatur inquirere, & de eo se optime informare; atque ille etiam in casibus permissis celebrare nequit post meridiem; demandando præterea ulterius, ac declarando in omnibus hujusmodi casibus personas quascumque dictas Missas audientes nullatenus Ecclesiæ præcepto satisfacere. Quo vero ad Altare portatile, iterum inhærendo declarationibus supradictis censuit licentias, seu Privilegia concessa nonnullis Regularibus in Cap. *In his Privileg.* & per alios Summos Pontifices aliis Regularibus communicata, utendi dicto Altari portatili, in eoque celebrandi absque Ordinariorum licentia in locis, in quibus degunt, omnino revocata esse per idem Sacrum Concilium, & propterea eosdem Regulares prohibendos, ne illis utantur, ac mandandum, prout præsentis Decreti tenore mandat Episcopis, & aliis Ordinariis locorum, ut contra quoscumque contravenientes quamvis Regulares procedant, etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegati, ad pœnas præscriptas per idem Sacrum Concilium in dicto Decreto *sess.* 22. usque ad censuras latæ sententiæ, tributa etiam iisdem facultate per hoc Decretum ita procedendi perindeac si per Sanctam Sedem specialiter concessa fuisset; & ita Sanctitas Sua declarat, & servari mandat.

Romæ hac die 15. Decembris 1703.

B. Card. Panciaticus Præf. 5

3. Ubi non est aurora physice pro licita Missarum celebratione, attendatur ea moraliter, & politice, quando scilicet terminari solet hominum quies, & inchoari labor, juxta probatam Regionum consuetudinem. S. R. C. 18. Novembris 1634. in una Missalis Romani. 6

4. Missa B. Mariæ Virginis sub invocatione Septem Dolorum feria VI. infra hebdomadam Passionis ab iis, qui gaudent hujusmodi indulto, debet recitari cum *Gloria Patri* ad Introitum, & cum Psalmo *Judica me Deus* ad Confessionem; sed sine *Gloria in excelsis*. S. R. C. 31. Augusti 1669. in Tornacen. 16

5. In Missis votivis B. M. V. quæ recitantur in Sabbato, dicitur *Gloria in excelsis Deo*, etiamsi non fiat officium de eadem. S. R. C. 30. Jul. 1689. in una Ord. Cappucin. 17

6. In Missa votiva SS. Sacramenti tertia oratio dicenda est ea, quæ secundo loco erat dicenda ratione temporis occurrentis, non vero ea, quæ est assignata secundo loco infra octavam ejusdem SS. Sacramenti. S. R. C. 4. April. 1705. in Lycen. ibid.

7. Ab Orationibus expungenda sunt Cognomina, & Patriæ Sanctorum. S. R. C. 5. Maji 1736. in Einsidlen. ibid.

8. Ante SS. Eucharistiæ Sacramentum publice expositum non potest fieri Concio capite tecto non obstante quacumque contraria consuetudine, & abusus omnino est tollendus. S. R. C. 16. Febr. 1630. in Belgica, & ante 28. Aprilis 1607. in Ilerden. 20. & seq.

9. Quando in Missa solemni Concionator post salutationem Angelicam salutat ministros Altaris, seu facit reverentiam, non est incongruum, si ministri Altaris, & ipse Celebrans correspondeant salutationi Concionatoris discooperiendo caput. S. R. C. 20. Jul. 1686. in Angenopolitana. 21

10. Si festum alicujus S. Martyris habens in Missa proprium Evangelium transferatur ad tempus Paschale, dici debet idem proprium Evangelium, non vero unum ex assignatis pro tempore Paschali. S. R. C. 29. Nov. 1738. in una Carthagenen. in Hispania. ibid.

11. Quando festum Sancti Petri Martyris transfertur extra tempus Paschale, Evangelium erit, *Si quis venit ad me*. Sac. Rit. Congr. 5. Maji 1736. in Einsidlen. ibid.

12. Si transferatur ad tempus Paschale festum Sanctorum Martyrum, in quorum Missa Introitus sit *Gaudeamus omnes in Domino*, &c. si ultra Introitum *Gaudeamus* &c. habent etiam proprium vel Evangelium, vel Epistolam, tunc debet recitari idem Introitus; secus si nihil aliud proprii haberet, quia in eo casu Introitus alter incipiens, *Protexisti me Deus*, dicitur. S. R. C. 29. Novemb. 1738. in una Carthagen. in Hispan. ibid.

13. Supplicatum fuit, in quanam parte Altaris a Celebrante absque Diacono, & Subdiacono sit canendum Evangelium pro benedictione solemni Palmarum: & responsum fuit, in cornu Epistolæ. S. R. Congr. 27. Aprilis 1697. in Eugubin. 22

14. Occurrente festo S. Marci in die Dominico, in Missa Rogationum non dicitur Credo, quia est Missa ferialis. S. R. C. 25. Sept. 1688. in Mutinen. 23

15. Occurrente festo Sancti Marci infra octavam Paschæ, in Missa Rogationum non est dicendum Credo. Sac. Rituum Congregat. 5. Julii 1698. in Collen. 24

16. Ubi Sancti Joannis Baptistæ festum, & ejusdem Decollationis memoria gaudent prærogativa Patroni, vel Titularis, in Missa est utique recitandum Symbolum; secus

vero

S. Maria in Sabbato, vel de SS. Sacramento, si dicatur aliqua Missa Votiva non habens Præfationem propriam, Præfatio debet esse de communi, vel de tempore, si tunc specialis dicatur, non vero ea, quæ est conformis officio, sed servetur Rubrica generalis tit. 12. S. R. C. 16. Junii 1708. in Parisien. 47.

49. Qui in Sabbato recitat officium de B. Maria Virgine, volens celebrare Missam votivam de aliquo Sancto, non debet dicere Gloria, neque Præfationem B. Mariæ Virginis, sed communem. S. R. C. 2. Decemb. 1684. in una Canon. Regul. Lateranen. 48.

50. An in festo S. Hyacinthi Confessoris Ordinis Predicatorum Regni Poloniæ Patroni Principalis, quod ex concessione S. R. Congregationis die 25. Septembris 1723. emanata ritu duplici primæ classis cum octava Dominica infra octavam Assumptionis B. Mariæ Virginis in Polonia celebratur, in ejusdem Sancti Confessoris officio Hymni ad Horas terminari debeant *Jesu tibi sit gloria*, & an in Missa debeat dici Præfatio B. Mariæ Virginis, quamvis juxta Rubricam generalem Breviarii, & Missalis Romani in festis ritus duplicis primæ classis nulla dici infra octavam fiat commemoratio?

Et S. eadem Congregatio ad relationem mei infrascripti Secretarii, loco Em. & Reverendissimi D. Card. Guadagni Ponentis, censuit rescribendum affirmative; & ita declaravit die 29. Novembris 1755.

M. Marefuscus S. R. C. Secretarius. 49

51. An Sancti, de quibus in toto anni decursu celebrari non potuit, transferendi sint ad annum sequentem, vel potius eo anno sint omittendi? Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Eminentissimi, ac Reverendissimi D. Cardinalis Belluga, respondit, Sanctos, qui in fine anni supersunt, non esse ad annum sequentem transferendos, sed quoties toto anni decursu de illis celebrari non valeat, tunc illo anno, diebus eorum propriis, considerandos esse tamquam simplices, faciendo illorum commemorationem, ut fit in semiduplicibus, cum nona lectione ad Matutinum, composita ex omnibus eorum lectionibus propriis secundi nocturni ad modum unius; & ita declaravit, & servari mandavit S. R. C. 26. Novembris 1735. in una Hispal. ibid.

52. Decretum diei vigesimæ sextæ Novembris 1735. esse intelligendum de anno vulgari, & communi, qui Kalendis incipit Januarii, ita declaravit S. eadem Congregatio die 30. Augusti 1755. ib.

53. In Missa feriæ quartæ quatuor Temporum occurrentis in die octava Nativitatis B. Mariæ Virginis, dicenda est Præfatio communis, non vero de Beata Maria. Sac. Rit. Congreg. 12. Decembr. 1626. ibid.

54. Tempore autem Passionis, quando contingat fieri officium de infra octavam, unica pariter cantari debet Missa de feria, cum commemoratione diei infra octavam, & Præfatione de octava, si habetur propria, ut dictum est de Octava Conceptionis. S. R. C. 23. Junii 1736. in Einsidlen. ibid.

55. In Canone omnino facienda est commemoratio de Episcopo, etiam ab exemptis. S. R. C. 25. Sept. 1694. in Tornan. 54

56. Non debent Regulares in Canone nominare Superiores suos ut Antistites. S. R. C. 14. Novemb. 1615. ibid.

57. Nomen Episcopi deputati administratoris Ecclesiæ vacantis non debet in Canone memorari per Sacerdotes celebrantes. S. R. C. 22. Augusti 1722. in Sarsinaten. 55

58. An Celsitudinis Regalis Eminentissimæ Ludovici Domini Cardinalis Hispaniarum Toletanæ Hispalensis Ecclesiæ Administratoris, ac possessoris, licet sacris destituti Ordinibus, nomen in Canone Missæ, Collecta, & præconio, sit exprimendum; & responsum fuit affirmative. S. R. C. 19. Januarii 1743. in Hispalen. 56

59. Cum in Missali ultra primam in principio detur & altera Rubrica in ordine, & Canone Missæ, & inter has videatur aliqua discrepantia, præcipue in inclinationibus, & manuum junctionibus, quæritur, quænam sequendæ? Responsum fuit pari forma sequendas esse tum Rubricas generales, tum particulares Missalis Romani, ad Cæremonias inclinationibus, & manuum junctione rite peragendas. Sacra Rituum Congregat. 21. Martii 1744. in Bergomen. 57

60. Manus Sacerdotis ad *Hanc igitur* debent ita extendi, ut palmæ sint apertæ, pollice dextero super sinistrum in modum Crucis super, non vero infra manus. S. R. C. 4. August. 1663. in una Dalmatiarum. 60

61. Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos Sanctissimi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret; nec tamen, si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus Sacerdos Sacramentaliter communicat, ut privatas, & illicitas damnat, sed probat, atque adeo commendat; siquidem illæ quoque Missæ vere communes censeri debent, partim quod in eis populus spiritaliter communicet, partim vero, quod a publico Ecclesiæ Ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad Corpus Christi pertinent, celebrentur. Tridentina Synodus Sess. 22. de Sacrificio Missæ. 71

62. Excepto die Nativitatis Dominicæ, nisi necessitatis causa suadeat, sufficit Sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare, & si bis celebret in eadem die, fit irregularis. S. C. Concilii in Placentina 11. Jan. 1710. 72

63. Cum superioribus diebus consulta fuisset hæc Sacra Rit. Congregatio, an esset permittendum celebrari in media nocte Nativitatis Domini post Missam decantatam successive alias duas Missas, & in eis Sacram Communionem exhibere fidelibus illam deposcentibus? Respondit non esse permittendum, sed omnibus utrumque prohibendum. Nihilominus nonnulli Regulares asserentes hoc licere, supplicarunt audiri, & S. R. C. ipsis auditis cum procuratoribus, & advocatis, ad relationem Em. Paleotti, stetit in Decretis, & respondit iterum prohibendum tam Sacerdotibus celebrare volentibus, quam confluentibus in media nocte ad Ecclesiam, & communionem deposcentibus. S. R. C. 7. Decembris 1641. & 15. Septemb. 1668. in Januen. ib.

64. Proposito dubio in S. R. C. an liceat in Missis Defunctorum fidelibus sacram communionem ministrare? eadem S. R. C. de anno 1701. respondit negative. Card. Fliscus Episcopus Januensis ejusdem S. R. C. Secretarius in Directorio suæ Diœcesis typis edito 1715. ibid.

65. Non licet Sanctam Eucharistiam ad ægrotantes deferre, qui morbi gravitate impediti eam sumere non possint, sed venerationis gratia solent eam deosculari. Et si forte aliquo in loco talis est consuetudo, ea prorsus est tollenda, quod Pius V. probavit. S. Cong. Concilii in Regestis. 75

66. Eucharistia SS. ad ægrotum adoranda deferri non debet, si eam ob tussim, aut alias sumere non potest pro viatico. S. C. R. in Caurien. 15. Decemb. 1632. ibid.

67. Episcopi, Parochi, seu Confessarii insuper admoneant, nullis tradendas plures Eucharistiæ formas, seu particulas, neque grandiores, sed consuetas. Sac. Congr. Concilii, Innocentio XI. approbante die 12. Febeuarii 1679. ibid.

68. In Missis quotidianis, quæ pro Defunctis celebrantur, possunt quidem dici plures orationes, quam tres, sed curandum, ut sint numero impares, & aliquando pro illa *Deus veniæ largitor* impune subrogatur alia, v. g. pro Patre, & Matre, &c. dummodo ultimo loco dicatur illa *Fidelium*. S. R. C. 2. Septem. 1741. in Aquen. 79

69. Non est omittenda una ex assignatis Orationibus in Missa, veluti tertia *A cunctis*, si secunda esset de festo simplici, ut ejus loco dicatur oratio imperata, veluti *Deus refugium*; sed post tertiam orationem *A cunctis* potest & imperata dici, cum in Missa de semiduplici, vel simplici, vel Votiva non sint necessario dicendæ collectæ impares, puta tres, quinque, vel septem. S. R. C. 2. Decembr. 1684. in una Can. Reg. Lat. ibid.

70. In Missa privata de festo semiduplici, simplici, seu votiva, vel de infra octavam, sive de feria non privilegiata, potest in penultimo loco dici collecta pro particulari Defuncto, puta: *Inclina*, vel *Deus, qui nos Patrem* &c., & similia, sed ob id non est omittenda ulla ex collectis pro tempore assignatis, puta *A cunctis*, vel *Ecclesiæ*. S. R. C. 2. Decemb. 1684. in una Can. Reg. Lat. 80

71. Durante expositione Sanctissimi Sacramenti occasione quadraginta horarum, regulariter celebrari non potest Missa privata de Requiem, licet occurrat officium hujusmodi Missas admittens: neque cantari potest Missa Defunctorum pro adimplenda mente testatoris, sive Anniversario satisfaciendo. S. R. C. 2. Decemb. 1684. in una Can. Reg. Lat. ibid.

72. Cum contingat sæpius in Ecclesiis Regularium, vel aliis, præsertim in die obitus, seu Anniversario Defunctorum, Missas celebrari a confluentibus Sacerdotibus, supplicatur declarari, an Sacerdotes, qui recitant Officium de festo duplici, confluentes ad Ecclesias sive Regularium, sive aliorum, ubi dicitur Officium de semiduplici, possint ibi dicere Missas privatas Defunctorum? Responsum fuit negative. S. R. C. 7. Maji 1747. in Varsavien. ibid.

73. Recitantes Officium de Martyre, & celebrantes in Ecclesiis ubi dicitur de Confessore, utrum debeant se conformare in colore illis Ecclesiis, etiamsi ibi nulla sit solemnitas? Responsum fuit affirmative, etiam quoad Missam, quæ non poterit celebrari de Confessore, si color fuerit *Rubeus*. S. R. C. 7. Maji 1746. in Varsavien. ibid.

74. Missa de semiduplici, vel voto, vel de feria celebrata in Altari privilegiato, in quo est expositum SS. Eucharistiæ Sacramentum sive in Ostensorio, sive in Ciborio, suffragatur Defunctis, ac si de Requiem diceretur. S. C. de *Indulgent. Sacrisque Reliqu.* 20. Julii 1751. ibid.

75. Missæ Defunctorum non possunt celebrari nisi cum colore nigro, vel saltem violaceo. S. R. C. 21. Junii 1670. in Oritana. 81

76. Propterea Sacra Congregatio Em. Em. ac R. R. D. D. S. R. Ecc. Card. Concilii Trid. interpretum, quæ

auctori-

auctoritate ſibi per Apoſtolicam Sedem ſpecialiter attributa ſedulo curat, ne a Sacerdotibus circa celebrationem ſacroſancti Miſſæ Sacrificii, unde in nos uberrima Divinæ liberalitatis munera derivantur, avaritiæ labes ulla, aut ſuſpicio contrahatur, antedictam aſſertionem mature examinavit, eademque prorſus reprobata ſub die 25. Januarii 1659. cenſuit nulli Sacerdoti licitum eſſe præfata ratione, ſive prætextu, aliam eleemoſynam accipere præter illam, quam acceperit ab eo, pro quo Miſſam offerre tenetur, ac proinde caſum hunc eſſe comprehenſum in Decretis alias per eamdem Sacram Congreg. editis, quibus prohibetur, ne duplex ſtipendium pro unica Miſſa recipiatur.

Sacræ Congregationis Sententiam *ad SS. DD. Alex. Papam VII.* relatam Sanctitas Sua ſub die 29. ejuſdem menſis approbavit, & Decretum publicari, atque ad Epiſcopos, & Generales Regularium Ordinum tranſmitti juſſit, ut ipſi Doctrina hujuſmodi per ſuos Pœnitentiarios, & Confeſſarios, ac Lectores reſpective inſinuari, doceri, atque in Tractatibus Moralibus per eoſdem imprimendos evulgari, paſtorali vigilantia curent. Publicatum die 27. Octobris 1659. 91

Dubium S. C. Em. Em. ac RR. DD. S. R. E. Card. Con. Trid. Int. propoſitum.

77. An Sacerdos, qui unum ſtipendium accipit pro celebratione Miſſæ, v.g. pro defuncto, & ſic cum obligatione applicandi fructum ſatisfactorium, & aliud ſtipendium pro celebratione Miſſæ, v.g. pro infirmo, & ſic cum obligatione applicandi fructum impetratorium; poſſit unica Miſſa utrique obligationi ſatisfacere, applicando pro defuncto ſatisfactorium, & pro infirmo impetratorium? Anve hoc in caſu locum habeat Decretum ſecundum Sacræ Congregationis Concilii de celebratione Miſſarum. Die 13. Decembris 1659. Sacra Congr. EE. ac RR. DD. S. R. Ecc. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum reſpondit, quoad primam partem non poſſe ſatisfacere, quo vero ad ſecundam habere locum. ibid.

78. Ne credat Celebrans ſe dicendo Miſſam unam, poſſe ſatisfacere pro duobus, pro quo utroque promiſit ſpecialiter, & in ſolidum celebrare... Abſit enim, ne a quoquam Catholico credatur tantum intentione prodeſſe Miſſam unam devote celebratam mille hominibus, pro quibus forſan dicitur, quantum ſi mille Miſſæ pro eis devotione ſimili canerentur. Licet ipſum Sacrificium, quod eſt Chriſtus, ſit infinitæ virtutis, non tamen in Sacrificio ſuæ immenſitatis ſummam plenitudinem operatur: alioquin pro uno mortuo nunquam oporteret niſi unam miſſam dicere. Operatur enim in hujuſmodi Myſteriis diſtributione certa ſuæ plenitudinis, quam ipſe eiſdem lege infallibili alligavit. Concilium Lambetenſe anno 1282. ibid.

79. In reductione ab Indulto permiſſa comprehendi etiam onera per contractum acceptata S. C. C. die 8. Julii 1734. eamdemque declarationem edidit die 19. Auguſti ejuſdem anni in una Patrum Congreg. Reformatæ Sancti Benedicti, in Theſauro Reſolutionum S. C. Concilii to. 6. 18. Ap. 1733. 92

80. I. An celebratio Miſſæ quotidiæ pro anima quondam Ægydii Urſini de Vivariis intermittenda ſit, quo uſque fructus locorum montium pro hujus celebratione aſſignatorum, per eorum continuum inveſtimentum in alia loca montium, in totum aſcendant ad annua ſcuta ſexaginta in caſu, &c.

II. An pro Miſſis huc uſque celebratis, annua ſemper eleemoſyna ſcutorum ſexaginta debita fuerit in caſu, &c. & quatenus affirmative.

III. An ex iiſdem fructibus locorum montium ante omnia ſit detrahenda, & perſolvenda tota illa pecuniarum ſumma, quæ pro reintegratione eleemoſynæ Miſſarum celebratarum, ad iſtiuſmodi annuam rationem ſexaginta ſcutorum hactenus deſideratur, in caſu, &c. *Sacra Congregatio Concilii* 21. *Maji* 1718. *reſpondit ad prim.* affirmative, *ad ſecundum, & tertium* dilata.

Die 3. Decemb. 1718. eadem Sacra Congreg. reſpondit: *iterum proponatur;* ita quoque reſpondit die 26. Auguſti 1719. & iterum propoſita die 11. Januarii 1721. non fuit reſoluta; ſicut nec die 6. & 20. Decembris ejuſdem anni. Tandem repoſita pro die 17. Januarii 1722. eadem Sacra Congregatio reſpondit ad mentem, quod committatur negotium Eminentiſſimo Præfecto. ibid.

„ 81. Cum præcepto Divino iis, quibus animarum cu-
„ ra commiſſa eſt, mandatum ſit pro ovibus ſuis ſacrifi-
„ cium offerre, ſæpe alias Sacra Congregatio Concilii
„ cenſuit Parochos teneri pro Parochianis Sacrificium ap-
„ plicare, atque ea cum diſtinctione, ut ſi reditus pingues
„ ſint, ſingulis diebus, ſi vero tenues, ſaltem diebus feſti-
„ vis. Idem nunc cenſet quoad Parochos iſtius Civitatis, &
„ Diœceſis, hoc inſuper addens, ut detrectantes E. V.
„ pro ſuo Paſtorali zelo compellere non gravetur. Hanc
„ Sacræ Congregationis ſententiam E. V. ſignifico, eique
„ manus humillime deoſculor. Romæ, 10. Maji 1681.

Humillimus, & addictiſſimus ſervus. F. Cardin. Columna.
Stephanus Archiepiſc. Brancatius Sac. Cong. Secret. 93

82. I. An Sacerdotes obligati ratione Beneficii, Cappellaniæ, Legati, aut ſtipendii celebrare quotidie Miſſam per ſeipſos, poſſint aliquando a celebratione vacare, & quatenus affirmative?

II. Quando, & quoties a dicta celebratione vacare poſſint?

III. An diebus licitæ vacationis poſſint Miſſas pro ſe ipſis, vel aliis, præter quam pro Fundatoribus celebrare? & quatenus affirmative.

IV. An pro aliis celebrando poſſint ſtipendium pro hujuſmodi celebratione percipere?

V. An aliis diebus, quibus licite vacant a celebratione, teneantur Miſſam ab aliis celebrare facere, juxta intentionem Fundatorum?

VI. An Sacerdotes ut ſupra obligati celebrare Miſſam quotidie, abſque tamen onere celebrandi per ſe ipſos, poſſint aliquando a celebratione vacare?

Sacra Congregatio Concilii die 18. Septembris 1683. ad primum, & ſecundum reſpondit affirmative, concurrente aliqua rationabili cauſa; ad tertium, quartum, & ſextum negative: ad quintum diſtulit reſolutionem lib. 33. fol. 311. 97

83. I. An celebratio Miſſarum relictarum a Joſeph Ruffo, Archidiacono Gaballo, & Joanne Dattilo in Altari Sanctiſſimæ Trinitatis, & B. V., erecto in Ecc. P. P. de Obſervantia S. F. Civitatis Uxenti privative ſpectet ad dictos Patres, vel potius ſit in arbitrio Annæ Mariæ Gaballo alios deputare Sacerdotes? *& quatenus negative quoad primam partem, & affirmative quoad ſecundam.*

II. An dicti Regulares teneantur patientiam præſtare, ut in eorum Eccleſia Sacerdotes ſæculares Miſſas relictas celebrent? *Et quatenus negative.*

III. An onera earumdem Miſſarum ſint transferenda ad aliam Eccleſiam?

Sacra Congregatio Concilii die 13. Januarii 1748. *reſpondit*: ad primum affirmative ad primam partem, Negative ad ſecundam in actu, de quo agitur: excepto legato Archidiaconi Gaballo; ad ſecundum teneri, quoad legatum Archidiaconi Gaballo, ſolutis utenſilibus, & non attenta reductione; In reliquis proviſum in primo. Ad Tertium negative. ibid.

84. Item I. An Maria Gaballo teneatur celebrare facere Miſſas, de quibus agitur, pro anima Victoriæ de Montibus? *& quatenus affirmative.*

II. An ſit in arbitrio dictæ Annæ Mariæ committere illarum celebrationem Sacerdoti ſæculari ſibi bene viſo in caſu, &c.

Sacra Congregatio Concilii die 13. Januarii *reſpondit* ad primum affirmative, ad ſecundum negative. ibid.

85. Cæſenaten. Onerum Miſſarum, in qua ad ſequentia dubia.

I. An celebratio Miſſæ injunctæ ex præcepto Joſeph Verzalia Teſtatoris in die ſui Anniverſarii fieri debeat dumtaxat in aliquo Altari privilegiato exiſtente in Eccleſia Conventus Ordinis Servorum B. M. Civitatis Cæſenæ, ſeu potius in ſingulis Altaribus Privilegiatis omnium aliarum Eccleſiarum dictæ Civitatis? *Et quatenus affirmative, quoad ſecundam partem.*

II. An dictarum Miſſarum numero, qui celebrari deberet in omnibus Altaribus Privilegiatis dictæ Civitatis, ſatisfieri valeat in ſolis geminis Altaribus Eccleſiæ dicti Conventus?

III. An celebratio aliarum duarum Miſſarum ſimiliter ordinata ab eodem Teſtatore in qualibet die ſolemnitatum Feſtivitatis B. M. V. ac ipſius Sanctiſſimi Filii Jeſu, fieri debeat dumtaxat in duobus feſtis ſolemnibus B. V. Septem Dolorum, nempe in 3. Dominica Septembris, & feria IV. poſt Dominicam Paſſionis, ſeu potius in omnibus ſolemnitatibus dictæ Ss. Virginis, & Domini Noſtri Jeſu infra annum occurrentibus?

IV. An omnium dictarum Miſſarum onus adimpleri debeat per ſolum decennium, ſive potius in perpetuum in caſu, &c.

Sacra Congregatio Concilii die 4. Junii 1738. *reſpondit*, ad primum negative, quoad primam partem, & affirmative quoad ſecundam; ad ſecundum negative; ad tertium & quartum negative, quoad primam partem, & affirmative quoad ſecundam, & amplius. ibid.

86. Papien. Oneris Miſſarum in qua ad ſequentia dubia.

I. An Miſſa quotidiana fundata a Balthaſare de Magiſtris in Altari SS. Trium Regum, erecto in Eccleſia Sanctæ Crucis Patrum Reformatorum Sancti Franciſci, privative celebranda ſit a dictis Patribus, ſive potius celebrari poſſit a Cappellano, ab hæredibus deputato? *& quatenus negative ad primam, & affirmative ad ſecundam partem.*

II. An dicti Patres teneantur præſtare patientiam pro celebratione dictæ Miſſæ, ſoluta eiſdem ſubventione pro utenſilibus, ſive potius ſit locus translationi d. Miſſæ ad aliam Eccleſiam arbitrio hæredis in caſu, &c.

Sacra Congregatio Concilii die 12. Decembr. 1733. *reſpondit*, ad primum negative ad primam partem, & affirmative ad ſecundam. Ad ſecundum, negative ad primam partem, quo vero ad ſecundam, affirmative ad aliam Eccleſiam deſignandam ab Epiſcopo. ibid.

CAPUT PRIMUM.

De Sacrosancto Missæ Sacrificio.

I. CUM Missa verum sit, & unicum novæ Legis sacrificium, stricte & rigorose sumptum, non erit abs re hic sacrificii definitionem ad faciliorem eorum, quæ pertractanda sunt, intelligentiam accurate expendere, quæ sic communiter a Doctoribus traditur: *Sacrificium est oblatio externa rei sensibilis legitime instituta, & a ministro legitimo soli Deo facta per destructionem, vel notabilem ipsius rei oblatæ immutationem in recognitionem nostræ totalis ad ipsum subjectionis, supremique ipsius in nos, & res omnes dominii.* Ex eo quod sacrificium consistat in Dei cultu exteriori supremi ejus Dominii protestativo etiam coram hominibus, qui non nisi sensibilibus rebus communicant inter se; ideo dicitur *oblatio rei sensibilis*, cui additur *legitime instituta*, ratione publicæ auctoritatis, quæ indispensabiliter intervenire debet, ut talis oblatio fiat nomine totius communitatis, & sit publice, hoc est ex communi & generali consensione protestativa supremi Dei Dominii. Hinc defectu hujus circumstantiæ, martyrium esto sit oblatio sui ipsius Deo facta protestativa &c., quia tamen non est publica auctoritate institutum; stricte & proprie sacrificium dici non potest. Eadem prorsus ratione subditur *a Ministro legitimo*; ut enim exhibeatur nomine totius communitatis, Minister debet esse ad hoc specialiter, & legitime deputatus; quod non solum observatur in lege evangelica, in qua ad id sunt specialiter deputati Ministri legitimi, nempe Sacerdotes, ex Conc. Trid. sess. 23. c. 1. & Can. 1., sed etiam in lege veteri non nisi a Ministris specialiter, & legitime deputatis, Sacrificia offerebantur; ut videre est numer. 3. itaut divinitus punirentur, qui sine tali deputatione sacrificare ausi fuerint, ut constat de Saule primo Reg. 13., aliisque. *Soli Deo facta.* De essentia enim Sacrificii proprie sumpti est cultus Latriæ: Unde esto Missæ celebrentur in honorem B. Virginis, & Sanctorum, numquam illis sacrificare dicitur, ut docet Trid. Conc. sess. 22. c. 3. his verbis: *Quamvis in honorem, & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis Sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit.* Subditur: *per destructionem, vel notabilem ipsius rei oblatæ immutationem*: hoc ad rationem spectat Sacrificii proprie sumpti, quod res, quæ offertur, ad priores usus omnino reddatur inutilis; & consequenter aut totaliter destruatur physice, aut saltem notabiliter moraliter immutetur, tum ut ostendatur taliter in Dei obsequium, & cultum fuisse oblatum, & nulla sibi prorsus facta ad functiones naturales reservatione Sacrificans hilariter eam obtulerit; tum etiam, ut sic contestetur totalis nostra ad Deum subjectio, & suprema ipsius super nos potestas, plenumque Dominium: unde dicitur ultimo *in recognitionem nostræ totalis ad ipsum subjectionis, supremique ipsius in nos, & res omnes Dominii.* Sacrificii variæ enumerantur a Doctoribus divisiones, tum ratione materiæ, tum ratione formæ, tum ratione finis. Ratione materiæ dividitur in *Victimam, Immolationem, & Libamen.* *Victima* est oblatio illa, qua in lege veteri Deo offerebantur animalia, sive quadrupedia, sive volatilia. *Immolatio* est oblatio illa, qua Deo offerebantur res inanimes solidæ, ut fruges terræ, panes, thura, & hujusmodi. *Libamen* dicitur Sacrificium, quo Deo offerebantur res inanimes liquidæ, ut vinum, oleum, Sanguis, & hujusmodi. Ratione formæ multiplicatur in *Holocaustum, Hostiam pacificam, & Hostiam pro peccato.* *Holocaustum* dicebatur Sacrificium, in quo res oblata tota per combustionem in Dei honorem, & gloriam consumebatur, ac in fumum resoluta ascendebat ad Deum. *Hostia pacifica* dicebatur Sacrificium, in quo res oblata partim comburebatur, ut supra, partim reservabatur pro Sacerdotibus, & partim pro ipsis offerentibus. *Hostia pro peccato* dicebatur Sacrificium illud, in quo res oblata partim comburebatur, ut supra, partim vero reservabatur pro Sacerdotibus tantum, quia ea vescebantur in atrio templi. Tandem ratione finis Sacrificium dividitur in *Latreuticum, Impetratorium, & Satisfactorium.* Sacrificium *Latreuticum* est illud, quod fit totum in Dei cultum, & honorem; & si exhibeatur etiam in gratiarum actionem pro beneficiis a Deo ipso acceptis, dicitur etiam *Eucharisticum*; Si pro beneficiis obtinendis dicitur *Impetratorium*; Si tandem superaddatur finis Deo satisfaciendi pro peccatis commissis, dicitur *Satisfactorium.* Hinc cum omnes isti fines modo coadunentur in uno tremendo, & incruento Missæ Sacrificio, jure merito dicitur Lautreuticum, Eucharisticum, Impetratorium, & Satisfactorium. Holocaustum, Hostia pacifica, & Hostia pro peccato denominatur etiam, quia in Missæ Sacrificio omnes modi sacrificandi verificantur aut realiter, aut repræsentative. Tandem dicitur etiam Victima, Immolatio, & Libamen, quia in ipso omnia adimplentur quæ ad victimam, immolationem, atque Libamen spectant, juxta illud, quod S. Leo scripsit, Serm. 8. de Passione: *Carnalium Sacrificiorum varietate cessante omnes differentias Hostiarum una corporis, & Sanguinis implet oblatio.* Quod etiam Conc. Trid. docet sess. 22. c. 1. sic: *Hæc denique illa munda oblatio est quæ per varias sacrificiorum naturæ, & legis tempore similitudines figurabatur, utpote quæ bona omnia per illa significata, veluti illorum omnium consummatio, & perfectio complectitur.*

II. In hoc Sacrificio incruento repræsentatur Sacrificium illud cruentum, quo Christus in ara Crucis pro peccatis nostris seipsum Deo obtulit cum reali Sanguinis effusione morte violenta, & mactatione, cujus principalis offerens Christus est, esto illud Sacerdotum offerat ministerio, ut habetur ex Conc. Trid. *sess.* 22. *c.* 2. ubi sic: *Una est eademque Hostia, idem nunc offerens Sacerdotum Ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa:* Hinc Sacerdos in persona Christi consecrat dicens: *Hoc est Corpus meum; Hic est Sanguis meus &c.* Offerens vero minus principalis est Sacerdos, tamquam ipsius Christi Vicarius, ac immediatus minister; Per ordinationem enim accipit Sacerdos potestatem a Christo, ut in ejus persona hoc offerat Sacrificium, in quo Hostia, seu res principalis oblata, Corpus ipsius Christi est, ac Sanguis, imo totus Christus ex vi verborum consecrationis sub speciebus panis, & vini constitutus, ut expresse habetur *ex Conc. Trid. sess.* 22. *c.* 1., ubi expresse asserit; *quod Christus Corpus, & Sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum Symbolis Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituit, ut sumerent, tradidit, & eisdem, eorumque successoribus in Sacerdotio ut offerrent, præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem, uti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit:* Et ibid. Canon. 2. expresse definitur: *Si quis dixerit illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent Corpus, & Sanguinem suum; anathema sit.* Hostia vero, seu res, quæ offertur minus principalis in Missæ sacrificio, est substantia panis, & vini, quæ destruitur, in testimonium divinæ excellentiæ, ut sub eorum speciebus Christi Corpus, & Sanguis ponatur. Hinc Ecclesia, ut denotet quod panis, & vinum aliqualiter etiam offeruntur, pertinentque ad rem, quæ sacrificatur, antequam fiat consecratio, ordinat, quod offeratur panis his verbis: *Suscipe, Sancte Pater, hanc immaculatam hostiam*; deinde vinum sic: *Offerimus tibi, Domine: Calicem salutaris*; utrumque cum elevatione &c., quorum consecratio scilicet panis, & vini in hoc Sacrificio est de necessitate divini præcepti; quia Christus de facto utramque speciem consecravit instituendo hoc Sacramentum: ac expresse præcepit Discipulis suis, eorumque successoribus, ut sic illud peragerent,

dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.* Satis etiam hoc innuit Tridentinum Concilium loco supra citato, cum dicit; *Quod Deus, & Dominus noster, & si semel seipsum in ara Crucis morte intercedente Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur, quia tamen per mortem Sacerdotium ejus extinguendum non erat ...... Sacerdotem secundum Ordinem Melchisedech se in æternum declarans Corpus, & Sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum Symbolis, Apostolis, quos tunc novi testamenti Sacerdotes constituit, ut sumerent, tradidit &c.* Ex quibus numquam licitam esse in Missæ Sacrificio unius tantum speciei consecrationem, ver. gr. panis, & non vini, etiam urgente necessitate communicandi in mortis periculo quovis modo constitutum; imo secundum veriorem Theologorum Doctorum Hominum sententiam, etiam summo Pontifici denegatur facultas dispensandi, ut una tantum in Missæ Sacrificio species consecretur. Ita *Lug. Tom. 5. disp. 19. sec. 8. n.* 105. cum Suarez, Vasquesio, aliisque recentioribus Theologis, qui falsum, ac fabulosum existimant, quod scripsit Raphael Volaterranus, *lib. 7. Geographiæ cap.* 4. Innocentium scilicet VIII. Norvegios dispensasse, ut in una tantum specie panis consecrarent; eo quia vinum in ea regione conservari non possit, & statim acescat, quod experientia falsum esse demonstrat, ibi enim vina generosissima conservantur. Dicendum itaque quod Papa ad summum in aliquo urgentissimo casu potest rationabiliter interpretari præceptum consecrandi sub utraque specie; & consequenter declarare, quod in talibus circumstantiis non obliget; quod Jato modo dispensare dicitur: itaque S. Antoninus, Gabriel, Azorius, aliique, eo maxime quia consecratio utriusque speciei esto sit de jure divino, adhuc tamen non est de essentia Sacrificii Missæ præcise, ut est Sacrificium, seu prout est Sacramentum: etenim formæ consecrationis panis, & vini non sunt adinvicem necessario connexæ, ita ut una non possit sine alia suum effectum producere; ideoque quomodocumque hoc est sive per oblivionem, sive per ignorantiam, seu malitiam species consecretur, valide consecratur; & verum efficitur Sacramentum essentialiter in rationem Sacramenti: esto non habeatur integritas in ratione convivii spiritualis, sub speciebus enim solius panis consecrati vere Christus continetur, & exhibetur adstantibus adorandus, nondum facta calicis consecratione, & quod etiam majus est, sæculares, imo & Clerici extra Missæ Sacrificium sub una tantum specie panis consecrati communicantur; quod neutiquam fieri posset, si per unius tantum speciei consecrationem verum non conficeretur Sacramentum integrum in ratione Sacramenti.

III. Generaliter loquendo apud omnes Doctores sacramenta distinguuntur a Sacrificiis ratione materiæ, & ratione finis: ratione materiæ, quia materia Sacrificii consistit in rebus tantum; Materia autem Sacramentorum in rebus, & verbis simul: ratione finis, quia finis Sacramentorum est justificatio, & gratiæ augumentum; finis vero Sacrificiorum est cultus Dei in recognitionem ejus supremi Dominii: Unde Sacrificia institui possunt, etiam publica Ecclesiæ humana auctoritate, Sacramenta autem sola divina auctoritate; Ex quibus constat, quomodo Eucharistiæ Sacramentum a Sacrificio Missæ differat, hoc enim consistit in actione transeunte sacrificativa consecrationis, & necessario exigit utriusque speciei consecrationem; Sacramentum autem Eucharistiæ tamquam Sacrificii effectus permanet in facto esse, & in una tantum salvatur specie. Insuper Missæ Sacrificium principaliter ordinatur ad exhibendum debitum Deo cultum in contestationem supremi ejus Dominii: Sacramentum vero Eucharistiæ ordinatur ad hominem spiritualiter nutriendum; hinc ratione finis perfectius est Sacrificium, quam Sacramentum; nobilior est enim finis proximus Sacrificii, scilicet Dei cultus, quam finis proximus Sacramenti, scilicet satisfactio, seu spiritualis hominis nutritio.

IV. Differt Sacrificium Missæ a Sacrificio Crucis tantum modo offerendi; in Cruce enim Christus se obtulit Deo Patri cum reali sanguinis effusione, ac violenta morte, seu cruenter; in Missa vero incruenter, & mystice, seu repræsentative tantum, & absque reali Sanguinis effusione. Differt etiam Sacrificium Missæ a Sacrificio ultimæ Cœnæ in hoc quod in Sacrificio Missæ offertur Christus immortalis, & impassibilis; & in sacrificio ultimæ cœnæ Christus ipse mortalis adhuc atque passibilis seipsum Deo Patri obtulit. Inter varias actiones, quæ in Missæ Sacrificio peraguntur, sola consecratio censetur præcipua essentialis pars, imo tota essentia hujus Sacrificii juxta communiorem Doctorum, Sanctorumque Patrum sententiam, ut videre est apud Divum Chrysostomum, *Homilia de proditione Judæ*; ubi sic: *Verba Domini: Hoc est corpus meum, usque in finem Mundi præstare Sacrificio firmitatem*: apud D. Thomam *q. 82. art. 4. ad 1.*, ubi expresse sic habet: *Consecratio Chrismatis, vel cujuscumque alterius materiæ non est Sacrificium, sicut consecratio Eucharistiæ*: & ibidem art. 10. ad. 1. *Hoc Sacramentum perficitur in consecratione Eucharistiæ, in qua offertur Sacrificium.* Tandem apud S. Ambrosium *lib. 4. de Sacram. cap.* 4. ubi ait: *Sermo Christi hoc conficit Sacramentum*; ex quibus sic ratiocinatur. Sacerdos ex persona Christi, qui principalis est offerens, hoc perficit Sacramentum; cum autem sola consecratio proferatur a Sacerdote in Christi persona, dicens: *Hoc est Corpus meum. Hic est Sanguis meus*; ac in sola consecratione efficiatur illa panis, ac vini immutatio in Dei cultum, & substitutio corporis velut mortui, & sanguinis velut effusi Christi; qua incruente repræsentatur cruentum Crucis Sacrificium: absque dicendum est, quod in sola consecratione tota Sacrificii Missæ essentia consistat, & reliquæ actiones ad ejus tantum pertineant integritatem.

CAPUT II.

De Rubricis.

I. ANtequam ad Missæ Ritualia procedamus, aliqua nobis occurrunt dicenda de Rubricis in genere, quæ nihil aliud sunt, quam quædam regulæ indicantes ritus servandos in rebus sacris peragendis, quarum aliquæ sunt præceptivæ, hoc est obligantes in conscientia, & sub peccato, ad servandos ritus ab eis præscriptos; Aliæ sunt directivæ, hoc est proponentes per modum consilii quid agendum. Præceptivæ sub gravi obligant quotiescumque id, quod præcipiunt, sit alias de jure, vel ex legitima inveterata consuetudine graviter jubeatur, aut expresse sub mortali præcipiatur; quare nisi parvitas materiæ, inadvertentia, aut indeliberatio excuset, earum transgressio sit culpa gravis, unde notabilis, v. g., & voluntaria gravis mutatio, additio, aut detractio in Missæ celebratione, divini officii recitatione, ac Sacramentorum administratione, realiter est peccaminosa juxta duplicem S. Pii V. constitutionem, quarum prima incipit: *Quo primum*, exarata in principio Missalis; secunda vero inchoatur: *Quod a nobis*, pro reformatione Breviarii edita, ac in in ejus principio exposita, quibus ut eas legentibus patebit, omnis notabilis voluntaria gravis mutatio, additio, aut detractio circa Missæ celebrationem, ac divini Officii recitationem sub gravi interdicitur. Verum tamen est, quod transgressio harum constitutionum ex suo genere mortalis potest evadere levis ratione indeliberationis seu inadvertentiæ non plenæ, & si nulla omnino interveniat advertentia, seu deliberatio, sive actualis, sive in causa; potest etiam esse omnimode sine culpa.

II. Directivæ Rubricæ per se loquendo non obligant; unde per se loquendo nullum committitur peccatum sive grave, sive leve in earum transgressione; ita Tamb. lib. 1. c. 7. §. 2. n. 5. aliique passim; consilium enim ad culpam per se loquendo non obligat, sicut præceptum, ideoque cum rubricæ directivæ non ad præceptum, sed mere ad consilium spectent, earum transgressio per se loquendo peccaminosa non est; esto per accidens ratione scilicet motivi, seu finis possit esse culpabilis. V. G. si motivum inducens ad earum transgressionem sit pravum; sicuti esset negligentia, torpor animi, ac nimia propensio ad alias vanas occupationes, & similia. Quotiescumque enim omittantur sine rationabili causa, adhuc & si tantum sint directivæ, & ad consilium pertinentes non ad præceptum, peccatur saltem venialiter.

III. Loquendo de Rubricis ad Missæ celebrationem pertinentibus, grave committit peccatum omittens quemcumque ritum, vel partem Missæ essentialem, aut etiam accidentalem valde notabilem: ita communiter Doctores, qui ad praxim descendentes asserunt peccare mortaliter omittentes oblationem panis, aut vini, consecrationem in utraque specie, Hostiæ elevationem, aut Calicis, Particulæ mixtionem cum sanguine, aut aquæ cum vino, integram Epistolam, totum Evangelium, totam Præfationem, totum Canonem, & integram orationem *Communicantes, vel Hanc igitur* integram post Communionem, & hujusmodi: Item omittens, sive in celebratione Missæ, sive etiam in recitatione Officii, tot modicos versiculos, seu minimas partes, quæ simul constituere possint materiam notabilem; V. G. Si adæquare possint quantitatem integræ Epistolæ, integri Evangelii, & hujusmodi peccant graviter: de omissionibus intra Canonem si sermo sit, aliqui existimant quamcumque etiam minimam solius verbi transgressionem esse materiam notabilem, sufficientem ad gravem culpam; ita Nugnus *in part. 3. q. 83. art. 1. dub.* 2. aliique tacito nomine a P. Suarez citati *Tom. 3. de Sacramentis disp. 83. sect.* 3. dicentes huic sententiæ favere etiam quandam S. R. Congregationis 12. *Novembris* 1615. declarationem, qua decrevit Regulares graviter peccare omittendo in Canone nomen Episcopi, & proferendo ibi nomen sui ordinis Generalis. Hanc tamen declarationem intelligendam esse solum in casu, quo omittatur Episcopi nomen ex contemptu, & Generalis nomen substituatur animo inducendi novum ritum, docent passim Doctores. Hinc si quis Regularis bona fide omisso Episcopi nomine, nomen proferret sui Generalis, absque contemptu, ac animo inducendi novum ritum, ad summum peccaret venialiter: sic Tamb. Opusc. *de sacrificio lib. 2. cap.* 1. §. 3. *n.* 7. aliique plures, dubitantes insuper an revera Sacra Congregatio id declaraverit: Unde concludendum videtur cum probabiliori sententia, dummodo non destruatur sensus, aut non minuatur notabiliter significatio, seu repræsentatio Ministerii; quod omissio quatuor, aut quinque verborum, non excedat venialem culpam; quod si fiat advertenter, & cum deliberatione plena, aut plura quam quinque adhuc advertenter omittantur verba, quæ sensum destruant, vel notabiliter significationem Ministerii, seu repræsentationem minuant, quodlibet voluntarie, ac cum plena advertentia omissum in Canone verbum grave censetur peccatum; hoc enim omissioni totius integræ orationis æquivalet.

IV. Secluso contemptu, ac animo novum inducendi ritum, in quo casu sive intra, sive extra Canonem semper committitur grave peccatum; omittere speciale *Communicantes* vel *Hanc igitur*, quæ solemnioribus certis diebus adnotantur legen-

legenda, si non omittantur communia, non erit nisi veniale peccatum; & sic dicendum de omissione propriæ Præfationis dummodo ordinaria legatur; de omissione specialis ultimi Evangelii, dummodo Evangelium legatur S. Joannis. Item veniale tantum erit omissio partis non notabilis, ut esset Psalmi *Judica me Deus*, in principio Missæ, collectæ, seu alicujus commemorationis; *Gloria in excelsis*; *Credo*, & sequentiæ, V. G. *dies iræ* in Missa defunctorum; *Lauda Sion Salvatorem* in Missa Corporis Christi &c. Item veniale tantum erit omissio alicujus Prophetiæ, seu Epistolæ, in Feriis quatuor temporum, cum plures legendæ occurrunt; sunt enim partes Missæ valde extraordinariæ, & accidentales: Item omissio orationum, quæ dici solent dum sacræ induuntur vestes non excludit veniale peccatum; & hoc ex communi sententia doctorum contra Navarrum, aliosque dicentes, esse mortale: Pariter omissio precum, quæ legi solent ante Missam, & in Missali nuncupantur *præparatoriæ*, non est peccaminosa, si aliunde Sacerdos supponatur sufficienter dispositus, seu præparatus; nam de his recitandis precibus nullum extat præceptum, & a Rubrica relinquuntur arbitrio Sacerdotum cum dicit, *pro opportunitate*, & sic dicendum de omissione Hymni *Benedicite*, & Psalmi *laudate*, aliorumque precum, quæ dici solent pro gratiarum actione post Missam; Ita Bonamicus *de Missa lib. 2. cap.* 24. aliique passim; supposito tamen, quod preces alias consimiles substituat si non vocales, saltem mentales ad Deo gratias agendas; totalis enim gratiarum actionis omissio a peccato utique excusari nequit.

V. Omissio lotionis manuum ante Missæ celebrationem non excedit venialem culpam, si manus notabiliter immundæ non sint, ac sordidæ; in quo casu a culpa gravi excusari non posset, quia cederet in magnam Sacramenti irreverentiam, quæ juxta Trident. Synodum in Missæ Sacrificio *ab impietate non sejuncta esse potest*, sess. 22. de Sacrificio Missæ in Decreto de observandis, & evitandis in celebratione Missæ. Post Missam autem manuum lotionem omittere ne quidem veniale peccatum esse docet Quarti *in rubrica Missalis part. 2. tit. 12. dub.* 14. Veniale pariter est aliquas benedictiones, cruces, deosculationes Altaris, genuflexiones, inclinationes, manuum, & oculorum elevationes, & hujusmodi omittere, cum non sint graves ritus; dummodo tamen horum omissiones ita non multiplicentur, ut constituant quantitatem notabilem cujus omissio sine gravi esse non potest; ita Quarti *loc. cit. quæst. proœm. sect. 3. punct. 6. vers. Quoad reliquas cæremonias, aliique*. Item seclusio contemptu, ac animo novum inducendi ritum, solum culpa venialis est, omittere primam calicis ablutionem, cum vino faciendam, ipsamque facere cum sola aqua; non videtur enim materia tam gravis, sicuti si absolute purificatio omitteretur; quod si celebrans abstemius esset, nullum prorsus peccatum committeret: Sic Doctores citati, aliique communiter, addentes, quod pariformiter neque veniale peccatum committeret, qui sola aqua, aut vino in secunda purificatione faceret digitorum ablutionem, cum Rubrica circa purificationem, & digitorum ablutionem vino, & aqua faciendam non videatur præceptiva; esto enim purificatio, & ablutio præcipiatur, non tamen illius præcipitur modus, & hæc sufficiant de omissionibus &c. unde superest solum aliquod in transitu de additionibus etiam tractare.

VI. Quælibet additio circa formam sacrificii Missæ, sive destruat, sive servet sensum verborum consecrationis, a gravi culpa nunquam immunis censetur, quia in re tam gravi, ac sacrosancta, qualis est consecratio, non datur materiæ pravitas. Si additio destruit sensum verborum consecrationis, non conficitur Sacramentum; unde si dicatur in Hostiæ consecratione ver. gr. *Hoc est corpus meum phantasticum*, *aut aereum*, invalida fit prorsus consecratio, eo quod falsum asserit, ac sensum non servat; si autem addatur aliquod, quod non sit sensus verborum consecrationis destructivum, ver. grat. *Hoc est corpus meum formatum de Virgine*, Sacramentum quidem conficitur; sed celebrans grave committit sacrilegium, etiamsi non habeat intentionem novum inducendi ritum; quia in re tam sacrosancta magni ponderis, ac excellentiæ summæ temeritatis est etiam aliquid minimum addere: sic Doctores communiter. Quælibet alia additio etiam extra consecrationis formam, si notabilis sit quantitatis, & circa eaquæ clara, & intelligibili voce recitantur, gravis culpæ reitatem inducit; non sic si modicæ sit quantitatis, ac ea quæ adduntur verba, aut gesta secundum se pia sint, honesta, & salutaria, ut si in Hostiæ elevatione celebrans dicat, *Adorate Christe Jesu*, & in Calicis depositione pedem hujus deosculetur, secluso animo novum inducendi ritum, major, inquam, Doctorum pars has, & similes pias additiones ab omni prorsus peccato excusant; pro una tamen tantum, vel alia vice; alias facillime novus ritus induceretur; quod sub gravi vetitum diximus a S. Pio V. in cit. Constitut. quæ incipit, *Quo primum*, & a Conc. Trid. *cit. Sess. 22. in Decreto de observandis, & evitandis in celeb. Missæ*. Insuper prædictæ piæ additiones non excusantur a peccato, si alta voce proferantur; quia oriretur scandalum ratione Rubricarum, Regularumque Ecclesiasticarum manifestæ violationis ac publicæ deformitatis.

VII. Peccatum veniale committunt addentes in Missæ celebratione unam collectam, seu orationem ultra præscriptas, juxta Gobat *Tom. 1. tract. 3. n.* 748. si id faciant sine peculiari causa; contra Pasqualig. *quæst.* 215., asserentem nullum esse peccatum in prædictis additionibus. Addentes, *Gloria in excelsis Deo*, aut *Credo* cum præscribitur a Rubricis omittendum, tantum venialiter peccant, seclusa tamen magna deformitate, & scandalo, quod occurreret si v. g. diceretur *Gloria in excelsis in Missa de Requiem*. La Croix *lib. 6. part. 2. n.* 429. Aversa *quæst. 11. sect. 12. §. Sexto*, aliique. Cum *Gloria in excelsis* cantatur, aut *Credo* sub longo cantu; submissa voce recitare aliquam piam orationem, aut etiam parvas Horas memoriter, nullum prorsus esse peccatum docent Gobat *loc. cit. num.* 753. la Croix *loc. cit. num.* 430. Caietanus *in Summa verb. In festo prohibita n. 6.* aliique contra Tamburin. volentem cum aliquibus aliis saltem esse veniale peccatum.

VIII. Postremo ritum Missæ per Rubricas præfixum mutare absque ulla rationabili causa, & ex mera propria voluntate, v. g. infra octavas privilegiatas, aut in duplici festo missam votivam, aut mortuorum celebrare, peccatum est; leve autem si absque contemptu, & scandalo; sic sentiunt doctores communiter, neque enim locorum Ordinariis, sive sæcularibus, sive Regularibus facultas indita est propria voluntate quovis prætextu ritum mutandi, qui in Kelendario Romano, ac in Rubricis, in altiorem ritum, ex Decreto S. Rit. Congregationis. *Locorum Ordinarii tam sæculares, quam Regulares nequeunt propria auctoritate, quovis prætextu, mutare Ritum, qui habetur in Kalendario Romano, seu Rubricis Breviarii, in altiorem ritum, neque extendere concessa officia de loco ad locum: sic expresse statuit S. R. C. approbante Urbano VIII.* qui insuper tale Decretum cum aliis jussit apponi in novis Breviariis. Tandem propria auctoritate preces præscriptas in alias mutare, ut esset v. g. unam Epistolam in aliam, unum Evangelium in aliud, cum magna deformitate, & scandalo est peccatum grave, aliter peccatum veniale; & sic dicendum de aliis mutationibus. Sic Doctores passim. Cum autem omnis omissio, additio, ac mutatio in missæ celebratione, celebrantis indicet irreverentiam, quæ in tam tremendo sacrificio diligenter, accurateque semper cavenda est; ideo Sacerdos omnes sacras cæremonias in Rubricis perscriptas pie, ac sedulo diligenterque observare debet, ne positus inter homines, deumque mediator ad ejus iracundiam sedandam, negligenter suo munere fungens, ipsum potius magis ad iracundiam provocet.

C A P U T III.

De Missa ut est Sacrificium in specie.

I. Missæ nomen nonnulli derivatum fuisse autumant a quodam Ebraico vocabulo exprimente oblationem illam, quæ Missaco nuncupatur, cujus mentio fit Deuteronomii c. 16. quam in gratiarum actionem pro terræ fructibus sufficientibus ad familias alendas, acceptis singulis annis Hebræi Deo faciebant, eamque comedentes in ipso Templo, memoriam recolebant servitutis, qua pressi, & libertatis, in quam postea fuerant vindicati, ut videre est apud Baronium Anno Christi 34. n. 59. &c. Alii majorem Eruditorum partem sequentes opinantur hoc Missæ nomen a latino sermone ductum fuisse, nec aliud significare, nisi missionem, seu abeundi veniam incruento sacrificio peracto, eo fere modo, quo Cicero Philippica 5. cap. ult. ajebat: *Missas fieri Legiones bello confecto*. Aliqui alii etiam allegorice procedendo docent, Missæ nomen e latino vocabulo quidem derivatum; sed quatenus suo munere fungens Sacerdos, mediatoris partes exercet inter Deum, & hominem, hujus preces ad Deum ipsum mittendo; *unde* cum dicit: *Ite Missa est*, idem sonat, ac si diceret: Ite; deprecatio enim vestra jam jam ad Deum missa est. Sic Divus Gregorius *Dialogorum* c. 58. & Divus Thomas *in 3. part. quæst.* 83. *art.* 4. Quidquid tamen sit de Missæ nominis etymologia, an ponderanda sit realiter, an allegorice, dubio procul hoc verum est, quod Missæ nomine nihil aliud est intelligendum, quam lectionum ordo, precum, omniumque sacrarum cæremoniarum Ecclesiasticarum, quæ in offerendo Corporis, & Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi incruento sacrificio adhiberi præcipimur. Priscis Ecclesiæ temporibus hic ordo longior valde erat, quam præsens, qui a nobis modo in Missæ celebratione servandus præcipitur. Tunc enim, ut notat Martene de antiquis Ecclesiæ Ritibus Tom. I. c. III. de Eucharistia, ut est sacrificium in genere art. I. apud Justinum Martyrem apologia 2. ad Antoninum Pium.

II. Quinque erant præcipuæ liturgiæ partes, quarum prima in precibus pro Ecclesiæ conservatione, infideliumque conversione consistebat; secunda in pacis osculo; tertia in oblatione panis, & vini aqua mixti; quarta in eorumdem consecratione; quinta in Eucharistiæ communione, seu distributione, quibus explendis partibus non parvum temporis spatium expendebatur; his tamen non obstantibus mirum erat videre fideles erga hoc sacrosanctum sacrificium devotione ferventes Liturgiæ sedulo intervenire. Non sic temporibus Magni Basilii, nam sensim tepescente fervore ne longitudine pertæsi huic interesse negligerent, breviorem recitandam dedit, quam deinde Joannes Chrysostomus expeditiorem adhuc recitandam esse, ne populus in otium, ac libertatem plusquam par erat prorsus longitudinis prætextu deceptus, se ab hac Apostolica traditione eximeret, expedire sentiens, non pauca præcidit.

C A P U T IV.

De loco celebrationis Missæ.

I. Apostolos, eorumque primos discipulos in privatis domibus celebrasse recolitur apertissime ex libro

Actuum Apostolorum c. 20., ubi Paulum in tertio domus cœnaculo fidelibus panem fregisse narratur. In Cryptis quoque tempore Paganæ persecutionis, ac in Cœmeteriis Sacerdotes celebrabant, ut colligitur ex Apostolorum constitutionibus lib. 6. cap. 30., ubi sic legitur: *Antytipum Regalis Corporis Christi, acceptabilemque Eucharistiam offerte in Ecclesiis, & Cœmeteriis vestris.* Imo Ritus celebrandi in Cœmeteriis perseveravit etiam elapso persecutionis tempore, cum subobscuritas talium locorum reverentiam quamdam adstantibus inspiraret, & satis accommodati videbantur Sacramentorum administrationi. Hinc Joannes III., qui Anno 559. Apostolicam Sedem adeptus fuit, constituit, *ut oblationes . . . . . vel luminaria in eadem Cœmeteria per omnes Dominicas ministrarentur.* Ex libro Pontificali in Joan. 3. In Carceribus pariter sacra Synaxis celebrabatur, ut Confessoribus ibi detentis cælestis cibus non deficeret; secreto etenim Presbyteri, & diaconi ad hoc immittebantur, ut expresse depromitur ex Epistola 5. S. Cypriani ad Presbyteros, & diaconos, qua eos ad id faciendum omni diligenti cum cautione hortatur; ajebat enim: *Caute, & non glomeratim consulite, & providete, ut cum temperamento hoc agi tutius possit, itaut Presbyteri quoque, qui illuc apud Confessores offerant, singuli cum singulis Diaconis per vices alternent: quia, & mutatio personarum, & vicissitudo convenientium minuit invidiam.* Si contingebat postea ipsosmet Confessores esse Presbyteros, aut Pontifices, ipsi sibi ipsis, aliisque in vincula conjectis sacra faciebant, ut videre est apud Surium die IX. Octobris, ubi vitam texendo de Sancto Dionysio Parisiensi Episcopo refert hunc in carcere sacrosanctum incruentum Missæ sacrificium Deo obtulisse. Item de quodam Luciano Presbytero Antiocheno narrat Historia Ecclesiastica: *Quod cum jam jam moriturus esset, & tyrannica vis nec Ecclesiæ, nec Altaris copiam faceret: cumque vincula, & plagæ ne quidem ut se commoveret ei permitterent, supinum jacentem supra proprium pectus tremendum sacrificium peregisse, & tum ipsum participasse, tum aliis, ut de immaculata sacrificio participarent, copiam fecisse. Peractum est autem hoc sacrificium in carcere, ait Philostorgius* l. 2. c. 13.; cum sacer Christianorum Chorus, qui illum utpote morientem undique cingebat, Ecclesiæ speciem referret, ac simul munimentum præstaret, ne ab impiis spectari possent ea, quæ gerebantur.

II. Intermissis persecutionibus sub regimine Christianorum Imperatorum, redditaque Ecclesiæ pace insignes cœperunt ædificari Basilicæ, in quibus decentius celebrari poterat sacra Synaxis, & incruenta Deo victima immolari; quibus ædificatis Laodicenum Concilium statuit, *quod non oportet in domibus fieri oblationes ab Episcopis, & Persbyteris.* Hoc tamen non obstante non defuerunt, qui in domibus celebrarent, ut videre est apud Paulinum in vita Sancti Ambrosii, nu. 10., ubi dicitur, *quod trans Tiberim apud quandam clarissimam invitatus sacrificium in domo obtulit;* quod & traditur de Paulino Nolano Episcopo, teste Uranio in ejus vita; de Philippo Bituricensi Archiepiscopo, qui floruit circa annum 1250. uti scribitur in Patriarchio Bituricensi cap. 71. Item de Cassio Narniensi Episcopo fertur a S. Gregorio homil. 37. in Evangelium, *quod in Episcopii Oratario Missas fecit.* Hos tamen, aliosque, qui in medium adduci adhuc possent, sacrum confecisse in privatis domibus reddita Ecclesiæ pace, ac jam jam ædificatis Basilicis, credendum est sic se gessisse, aut reficiendorum sacro viatico infirmorum causa, aut æquissimis aliis rationibus, sacris canonibus pro tunc non contrariantibus; erant enim Viri fere omnes sanctitatis opinione celebres. De cætero tum ecclesiasticis sanctionibus, tum etiam civilibus legibus vetitum semper fuit, in domibus privatis celebrare, ut evincitur præsertim ex Concilio Cabilonensi 11. can. 49. & Aquisgranensi Ann. 816. cap. 84. renovantibus Decretum supra citatum Concilii Laodiceni: recolitur etiam ex Concilio Parisiensi VI. ex quatuor provinciis Anno 829. congregatum lib. 1. cap. 47. ubi improbat, immo damnat, *quod plerique presbyteri neglectis Basilicis Deo dicatis, in domibus, & hortis missarum celebrationes contra divinam auctoritatem, & canonicam institutionem facere præsumunt . . . . .* & postea, *quod Ecclesiasticæ antiquæ traditioni videtur reniti;* hinc jubet, *ut unusquisque Episcoporum hujuscemodi temerariam consuetudinem a parochia sua penitus amoveat.* Idque ita efficaciter jubet, ut qui contrarium attentaverit, *gradus sui periculum incurrat.* Laicos vero monet, *non esse sui officii, ut relictis Basilicis Deo dicatis, & Episcopali auctoritate contempta ad libitum suum in hortis, & domibus vel ædiculis, quas juxta domos construunt & palliis exornant, in quibus Altaria erigi faciunt, missarum celebrationem facere compellant.*

III. Civilibus etiam legibus jam vetitum erat in privatis domibus Sacra celebrare mysteria, ut videre est apud Justinianum Imperatorem sua novella constitutione 57., ubi sic legitur: *Omnibus interdicimus magnæ hujus Civitatis Habitatoribus, magis autem totius nostræ ditionis in domibus suis habere quasdam quasi orationum domos, & in his Sacra celebrare mysteria.* Huic accedit etiam Carolus Magnus in suo Capitulari 3. Anni 789. num. 9. ubi committit, *ut Comites in diebus festis, vel Dominicis omnes ad Ecclesiam veniant, & non invitent presbyteros ad domos suas ad missas faciendas.* Ab hujusmodi tamen legibus eximebantur omnes, qui tempore belli incensis jam, & dirutis Basilicis vicinioribus ratione armatorum incursus ad Ecclesias longe positas accedere nequibant, ut clare decernitur in Decreto Concilii Moguntini anno 888. celebrati can. 9., in quo sic habetur: *Concedimus etiam ut sicubi Ecclesiæ fuerint incensæ, in Cappellis Missas interim liceat celebrare donec ipsæ Ecclesiæ restaurari queant. In itinere vero positis, si Ecclesia defuerit, sub, seu in tentoriis si tabula Altaris consecrata cæteraque ministeria Sacra ad id officium pertinentia adsunt, Missarum solemnia celebrari permittimus.*

IV. Item Infirmorum Sacro viatico reficiendorum causa aliquando privatis in domibus missas facere erat permissum. Hinc Paulinus Nolanus Episcopus, sacri viatici percipiendi gratia decumbens in lecto, coram se sacrificium offerri præcepit. Similiter Sanctus Dunstanus Cantuariensis Archiepiscopus instante mortis articulo: *Jussit Sanctæ communionis Mysterium, idest Missam ante se celebrari, protensisque manibus Sacrosanctum viaticum de cælesti mensa porrectum suscepit.* Ita asseritur tom. 4. annalium Benedictinorum, p. 50. Hic tamen non est prætereundum, quod in Concilio Metensi Anno 888. Can. 8. vetitum fuit etiam pro infirmis celebrare in locis non consecratis, his verbis: *In locis vero non consecratis, idest in solariis, sive in cubiculis propter Infirmos, vel longius iter a quibusdam presbyteris Sacrificium offerebatur, quod omnimodis interdictum est.*

V. Missa itaque generatim, & de jure communi loquendo ac ordinarie in Ecclesiis tantum consecratis ab Episcopo, a quo unice consecrari possunt, vel saltem de Episcopi mandato benedictis a quopiam etiam simplici sacerdote, licite celebrari potest, ut videre est apud Clementem I. Epist. 3.; & Cap. t. de consecrat. dist. 1., ubi sic reperitur sancitum, Missarum celebrationes non alibi, quam in Sacratis Domino locis, absque magna necessitate fieri debere liquet omnibus; item cap. Sicut 11. *de consecra. dist.* 1., ubi habetur: *In aliis, quam Domino sacratis locis, idest in tabernaculis divinis precibus a Pontificibus delibatis missas cantare, aut Sacrificia offerre licet, nisi summa cogeret necessitas.* In hac re consule Concil. Trident. sess. 22. *in Decreto de observandis in celebratione Missarum*, ubi Episcopis jubetur, ne patiantur privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam consecratam, aut saltem benedictam, Sanctum hoc Sacrificium a Sæcularibus, aut Regularibus quibuscumque peragi. Esto enim Apostolorum temporibus domi celebraretur Missæ Sacrificium, ut supra vidimus; constans tamen ac perpetua fuit Ecclesiæ disciplina, ut in Templis, si adsint, Missæ Sacrificium celebretur. Dicitur si adsint Templa Deo sacrata de jure communi, & ordinarie, quod non potest Missa celebrari in locis non consecratis, aut saltem auctoritate legitima benedictis, quia necessitate urgente quilibet sacerdos Sacrum facere posset in locis etiam non consecratis, neque benedictis, ut tenent communiter Doctores, & ut expresse innuunt supracitati Canones, excludentes semper casus necessitatis.

VI. Inter casus necessitatis, in quibus extra loca Deo sacrata, seu benedicta celebrari potest, ut in privatis domibus, aut in Altari portatili sub dio, & loco ceteroquin honesto, præcipue enumerantur sequentes: Si Templi copia non adsit, & urgeat celebratio, tempore pestis, belli, crudelissimæ persecutionis, in his casibus enim sine periculo mortis, aut alterius gravis damni, in locis Deo Sacratis celebrari nequit, ideo &c. videatur cap. *concedimus* 30. de consecrat. dist. 1. Item de communi doctorum consensu absque licentia etiam Episcopi, si absens, aut nisi difficulter adiri possit, ipso jure quilibet sacerdos licite celebrare potest extra loca Deo sacrata, in bello pro Exercitu, in longa peregrinatione, in partibus Infidelium, sicut etiam in maximo Populi concursu, loci Sacri capacitatem quamplurimum excedente. Sic evenisse tradit Eginardus, lib. 1. de Translatione SS. Marcellini, & Petri c. 17., ubi sic: *Sacras illas BB. Martyrum exuvias . . . . cum magna omnium qui adesse poterant lætitia, & exultatione detulimus, sed præ nimia populi multitudine quæ præcedens cuncta compleverat, neque Ecclesiam adire, neque feretrum in eam inferre valuimus: Idcirco in campo adjacente atque in loco editiore Altare sub dio ereximus, ac feretro pone Altare deposito Missarum solemnia celebravimus.* Simile exemplum enarratum a Rudolfo in vita Rabani num. 26. Sæculo IV. Benedictino part. 2.; & ratio horum est, quia illicitum in lege, licitum utique facit necessitas.

VII. Id quod vertitur inter Doctores est, num Missæ super Navibus in mari, vel fluminibus celebrari possint. In hac quæstione partem negativam tuentur Sanctus Antoninus, Navarrus, Turrecremata, aliique apud Pignatell. 8. 70. Consult. 121. num. 4. ubi refert sententiam hanc secutam fuisse etiam sacram S. Officii Congregationem, quæ sæpe censuit non esse permittendum Missam super Navigiis celebrari in Indiarum navigationibus, ut habetur 31. Julii 1607., & 2. Augusti ejusdem Anni. Insuper die 2. Septembris 1621. Principi Philiberto denegata fuit licentia celebrare faciendi super Triremibus. Diana part. 9. Tract. 1. resol. 45. refert declarationem Cardin. de Anno 1633., qua committitur Episcopis, ut prohibeant Sacerdotibus tam sæcularibus, quam Regularibus, ne id ad praxim deducant, & potior est ratio, quia esto in casibus necessitatis extra locum consecratum celebrari possit secluso omni periculo sanguinis effusionis, aut alterius inconvenientis, non licet profecto si tale aliquid immineat periculum. In mari autem, ac Fluminibus, in quibus de repente ventis insurgentibus fieri potest sensibilis Navigii commotio videtur, quod periculum adsit semper, &c.

VIII. His non obstantibus affirmativam sustinent sententiam Durandus, & Cardinalis Franciscus de Lugo lib. 5. de Sacrament. cap. 6. quæst. 1. num. 9. & 14., ubi testatur se in navigatione ad Indos celebrasse in Navi, mari tran-

quillo,

quillo, nulloque extante periculo proximo effusionis Sanguinis, aut amotionis Hostiæ ex ventis; & sub his circumstantiis tantum hanc affirmativam sententiam sequuntur Auctores. Facundez præcep. I. Eccl. lib. 3. cap. 10. nu. 15. testatur de praxi celebrandi super navibus, quo ad eos, qui navigant ad Indos. Re enim, inquit, diu, & mature discussa privilegium celebrandi super Altari portatili in Navibus concessum fuit a Clemente VIII., & Paulo V. omnibus Navigantibus ad Indos; de quo privilegio si constaret, & de sic observata antiqua praxi, proculdubio id permittendum fuisset etiam in quacumque alia longa Navigatione. Esto enim concessio facta sit Navigantibus ad Indos, tamen cum talis facultas postulata supponatur ratione dubii solvendi, an liceat, vel non in Navibus Missam celebrare stante periculo Sacrosanctum versandi Sanguinem, eadem concessio censetur dubii decisio, atque inde, quod in posterum liceat absolute, dummodo juxta peritorum observationem pro tunc periculum non imminet versandi Sanguinem, & non parvæ Molis sint Naves. Cum tamen supra dicta concessione non parum dubitet Cardinalis Albicius *de inconstantia in fide* cap. 34. nu. 171. apud Card. Petra Tom. 4. Commen. ad Constitutionem 2. Urbani V. num. 30. ad Summum Pontificem pro obtinendo ad id speciale Indultum, putant Doctores esse recurrendum; eo modo quo se gessit Hierosolymitana Religio; quæ esto haberet jam Altaris portatilis privilegium, adhuc, ut in magnis suis Navibus, occasione longæ navigationis contra infideles Missam celebrare posset, supplicavit pro speciali indulto, quod etiam consecuta fuit prævio voto Sacr. Congregationis Concilii sub die 13. Martii 1706. cum clausulis supradictis, ac insuper cum assistentia alicujus sacerdotis, seu diaconi, qui peracta consecratione firmiter Calicem teneat ad cautius evitandam sanguinis effusionem. Clemens XI. benigne concessit die 22. Martii 1706. Constit. incipien. *Exponi nobis*, quæ est 26. in part. 1. ejus particularis Bullarii. Hinc esto olim passim denegatum fuerit tale indultum, ut refert Cardinalis Albicius loco supra citato num. 131., ubi plures adnotat casus hujus denegationis; nostris tamen temporibus, cum requisitis præcautionibus facilius concedi videtur facultas celebrandi extra loca sacrata Deo, aut saltem benedicta; neque ab Episcopis, neque a Cardinalibus concedi potest; imo nec Episcopi etiam Cardinales extra domum propriæ habitationis, sive intra, sive extra propriæ Diœcesis limites, in laicis domibus non obstantibus antiquis eorum privilegiis celebrare possunt; ex novissimo etenim Decreto Clementis XI. 15. Decemb. edito anno 1703. privilegia omnia quantum attinet ad præsens sunt totaliter abrogata, unde hic subditur.

DECRETUM CLEMENTIS XI.

De celebratione in Oratoriis privatis.

IX. Quoniam sancta sancte tractanda sunt, ac præsertim tremendum incruenti sacrificii Mysterium, quod omni Religionis cultu, & veneratione peragendum est, propterea super observandis, & evitandis in celebratione missarum in sacrosanctis Œcumenicis Conciliis, ac præsertim Tridentino, *sub capite unico sess.* 22. inter cætera statutum est, ut tantum sacrificium solummodo in Ecclesiis, aut Oratoriis divino tantum cultui dicatis celebraretur, præcipiendo Episcopis, & locorum Ordinariis, ne privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam peragi paterentur: ac subinde S. C. Eminentissimorum, ac Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium ipsius Concilii Tridentini executioni, & interpretationi præpositorum sæpe sæpius per opportuna decreta obrepentes abusus eliminavit, modernis tamen temporibus innotuit SS. Domino nostro, quod nonnulli Episcopi prætextu privilegiorum Cappellis Episcopalibus competentium, & complures Regulares sub prætextu Privilegiorum, quæ ipsis a Sancta Sede indulta noscuntur, per hujusmodi privilegiorum dilatationem, seu potius excessum, & abusum in nonnullis Diœcesibus præsertim Regni Neapolitani, ac in ipsa Neapolis Civitate, & sibi licere putant, quæ permissa non sunt, quinimo prohibita; siquidem nonnulli Episcopi etiam in aliena Diœcesi, & extra domum propriæ habitationis, in privatis laicorum domibus erigi faciunt Altare, ibique per unum, aut plures ex suis Cappellanis vivificam Christi Hostiam immolare: Regulares vero in quibusdam magnatum, seu aliarum nobilium Personarum, privatis Oratoriis, quæ certis quandoque ex causis a Sede Apostolica concedi solent, celebrare audent, vel plures Missas, quam in ipsis celebrare sit indultum; vel absque præsentia personarum, quarum contemplatione gratiosa concessio emanavit, vel extra debitas horas & post meridiem, vel illis etiam diebus, quibus per constitutiones Diœcesanas, aut etiam per Decreta S. Cong. Concilii celebrari prohibetur, aut quæ ipsimet Indultis Apostolicis excipiuntur, quamvis in iis celebrari possit, aut etiam Altari portatili uti non verentur in Sanctorum Sanctionum contemptum, ac Sanctissimi Sacrificii irreverentiam.

X. Quamobrem ad abusus hujusmodi eliminandos, & ad instaurandam venerationem tremendo ministerio debitam, idem SS. Dominus noster ex unanimi voto S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum inhærendo declarationibus alias hac de re editis, expresse declarat Episcopis, & his majoribus Prælatis, etiamsi Cardinalatus dignitate fulgentibus, neque sub prætextu Privilegii clausi in corpore Juris, nec alio quocumque titulo, ullo modo licere extra domum propriæ habitationis, domibus laicis, etiam in propria Diœcesi, quod fortius intelligitur in aliena, etiamsi Diœcesani consensus adhiberetur, erigere Altare, ibique Sacrosanctum Missæ sacrificium celebrare, seu celebrari facere, ac pari modo in Oratoriis privatis, quæ per Sanctam Sedem concessa fuerint non licere Regularibus cujusvis ordinis, aut Instituti, seu Congregationis, etiam Societatis Jesu, aut etiam cujuscumque Ordinis militaris, etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, aut aliis quibuscumque Sacerdotibus, etiamsi essent Episcopi, in iis celebrare in diebus Paschatis SS. Resurrectionis, Pentecostes, Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, aliisque Anni Festis Solemnioribus, ac diebus, in Indulto exceptis; In reliquis vero diebus prædictis Regularibus, seu Sacerdotibus quibuscumque etiam Episcopis in præfatis Oratoriis celebrare non licere, ubi etiam unica Missa, quæ in indulto conceditur celebrata fuerit, super quo celebraturus diligenter teneatur inquirere, & de eo se optime informare; Atque ille etiam in casibus permissis celebrare nequit post meridiem; demandando præterea ulterius, ac declarando in omnibus hujusmodi casibus personas qualcumque dictas Missas audientes nullatenus Ecclesiæ præcepto satisfacere: Quo vero ad Altare portatile, iterum inhærendo declarationibus supradictis censuit licentias, seu Privilegia concessa nonnullis Regularibus in cap. *in his Privileg.* & per alios summos Pontifices aliis Regularibus communicata utendi dicto Altari portatili in eoque celebrandi absque Ordinariorum licentia in locis, in quibus degunt, omnino revocata esse per idem Sacrum Concilium, & propterea eosdem Regulares prohibendos ne illis utantur, ac mandandum prout præsentis Decreti tenore mandat Episcopis, aliisque Ordinariis Locorum, ut contra quoscumque contravenientes, quamvis Regulares procedant, etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegati ad pœnas præscriptas per idem Sacrum Concilium in dicto Decreto sess. 22. usque ad censuras latæ sententiæ, tributa etiam iisdem facultate per hoc Decretum ita procedendi perinde ac si per Sanctam Sedem specialiter concessa fuisset, & ita Sanctitas Sua declarat, & servari mandat.

Romæ hac die 15. Decembris 1703.

B. Card. Panciaticus Præf.

XI. Quod Decretum debet intelligi juxta novissimam declarationem Innocentii XIII. constit. incip. *Apostolici ministerii* §. 22. ibi *Declaramus tamen*, quod cum in prædicto Decreto statuatur non licere Episcopis extra domum propriæ habitationis in domibus laicis erigere Altare, ibique Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrare, sive celebrari facere, hujusmodi prohibitio intelligenda non sit de domibus etiam laicis, in quibus ipsi Episcopi forte occasione Visitationis, vel itineris hospitio excipiantur, ut nec etiam quando Episcopi in casibus a jure permissis, vel de speciali Sedis Apostolicæ licentia absentes a domo propriæ ordinariæ habitationis, moram idcirco faciant in aliena domo per modum similis habitationis; His enim casibus, licita iis erit erectio Altaris ad effectum prædictæ celebrationis, non secus, ac in domo *propriæ ordinariæ habitationis*, quæ Innocentii XIII. constitutio confirmata est, quoad omnia a Benedicto XIII. sua constitutione quæ incipit, *In Supremo*.

XII. In dicto Decreto pariter non comprehenduntur Cappellæ, ac Cardinalium Oratoria; statim ac enim promoti sunt ad eminentem dignitatem hanc, absque alia Indulti specialis expeditione juxta dispositionem, quæ habetur Cap. Final. de Privileg. in 6. Cardinales enim sunt dignitate, & officio majores Episcopis juxta expressam declarationem Eugenii IV. constit. incip. *Non mediocri*, & Leonis X. Constit. incip. *Supernæ*, unde æquali pariter, imo majori titulo ex se gaudent privilegio habendi Oratorium privatum, quam Episcopi.

XIII. Neque in præfato Decreto comprehenduntur Ecclesiæ Regularium, aut Oratoria privata; Generales enim, ac Provinciales gaudent facultate erigendi in suis Conventibus, & Collegiis privata Oratoria ad divinum cultum tantum deputata absque Episcopi, aut etiam Pontificis licentia, & in ipsis unam, ac plures Missas celebrare eodem die sive a Regularibus, sive a Sæcularibus Sacerdotibus celebrentur, ratione privilegii localis, cujus omnes Sacerdotes frui possunt, ita cum pluribus Auctoribus Pater Rosignolus *de Eucharistia* quæst. 8. art. 14. num. 1. Diana part. 9. tract. 1. resolut. 32. & 33. Quarti part. 3. tract. 10. dub. 9. aliique passim. Privilegia enim Regularium revocata non fuerunt in Concilio Tridentino, Sess. 22. in Decreto *de observandis, & evitandis in celebratione Missæ*. Quo ad Oratoria privata cum ibi Concilium revocet tantum Privilegia Missæ celebrandæ in privatis domibus, uti sæpe declaravit Sacra Congregatio in Florentina 1. Septembris 1615. & in Conibrien. 1. Julii 1616. In supradictis Regularium privatis Oratoriis, seu Cappellis omnes Fideles Missam audientes diebus festivis satisfaciunt præcepto eo quod gaudeant hæc Oratoria privilegiis, ac si essent publica, utpote dumtaxat ad divinum cultum deputata per se, & non tantum per accidens, hoc est permanenter, & non solum transeunter, quod contingit, quando utitur Altari portatili, &c. & horum Privilegium locale sit, & non solum Personale, unde illo frui possunt omnes Christi fideles. Ita Tamburinus opusculo *de Sacrificio lib.* 1. *c.* 4. §. 3. *n.* 6., qui citat Azorium, Suarez, & Dianam &c.

XIV. Si sermo sit de Ruralibus domibus, an in ipsis Regulares erigere possint privata Oratoria; Nos profecto affirmativam tuemur sententiam cum Lezana, Rodriquez, aliisque non

pau-

paucis Auctoribus, inter quos doctissimus Pater Rusignolus loc. cit. n. 4., & sequen. ubi ostendit ab Episcopis in hoc non posse Regulares impediri, & concludit insuper, quod etiam in his Oratoriis omnes fideles Missam audiendo diebus festivis præcepto dubio procul satisfaciunt.

XV. Ecclesia polluta redditur locus indecens Missam celebrandi. Hinc Rubricæ Missalis, titulo *de defectibus in ministerio ipso occurrentibus*, sic habent: *Si Sacerdote celebrante violetur Ecclesia ante Canonem dimittatur Missa, si post Canonem non dimittatur*. Celebrans tamen in Ecclesia polluta esto graviter peccet, nullam tamen incurrit censuram, aut irregularitatem, quia jure statuta non est, secus vero si celebraret in loco interdicto, irregularitatem profecto incurreret, ut videre est *de Clerico excommunicato*, *Cap. Postulastis* &c., Tandem Missa non potest licite celebrari in loco, quo Paganus, aut Infidelis sepultus sit, Cap. *Ecclesia*, de Consecrat. dist. 2. nec ubi sepultus sit excommunicatus vitandus juxta illam regulam: Quibus non communicamus vivis, nec communicamus defunctis, Cap. *Sacris* de sepulturis. Poterit tamen ibi celebrari, si cadaveribus inde extractis Ecclesia consecretur, aut saltem benedicatur, de consecr. Cap. *Ecclesia in qua*. dist. 27.

C A P U T V.

De tempore, quo Missa licite celebrari potest.

I. IN Ecclesiæ primordiis Apostolos, primosque eorum discipulos serotino tempore cibo jam sumpto indifferenter celebrasse probabile videtur ex eo, quod Christus ipse peracta jam jam legali cœna se quoque primum sacrificium obtulerit: Hinc consuetudinem hanc prioribus Ecclesiæ sæculis adhuc perseverasse sentit Baronius, dum ad annum 34. sic habet: *Ceterum quoniam diversa erat aliquarum Ecclesiarum consuetudo, passimque post cœnam sacrificium offerebatur, eam sustulit in Africa Concilium Carthaginense tertium, statuens ut Jejunis semper excepta ipsa die anniversaria cœnæ domini offeretur*. Hinc statutæ horæ constitui cœperunt, ultra quas haud licitum erat Sacrum peragere; scilicet hora tertia, sexta, & nona, uti scribit Amalarius lib. 3. cap. 2. Hæ autem horæ mysticis ponderationibus apte in Ecclesia constitutæ ad Missas faciendas sic approbantur; quia scilicet hora tertia Christus moraliter fuit crucifixus Judæorum linguis clamantium: *Tolle crucifige*: Hora sexta, quia realiter clavibus manibus, ac pedibus infixis crucifixus fuit: Hora vero nona, quia hac hora tradidit spiritum. Modo autem tempus ordinarie præfixum ad licite celebrandum ab aurora incipit usque ad meridiem inclusive; unde rubrica Missalis explicite notat: *Quacumque hora ab aurora &c.* & alibi: *Missa privata saltem post matutinum, & laudes quacumque hora ab aurora usque ad meridiem dici potest, &c.* In qua determinatione non debemus ita scrupulose rimari, ut una tertia horæ parte antea, aut post Missa licite celebrari non possit; Hanc enim anxietatem sustulit omnimode Benedictus XIV. lib. 3. cap. de sacrosancto Missæ sacrificio, his verbis: *Equitate quadam juxta eam, quæ etiam Romæ viget, praxim celebrari solet horæ triента ante auroram, & post meridiem celebretur*; Ubi non est aurora physice pro licita Missarum celebratione, attendenda est aurora moraliter & politice, hoc est quando elapsum est quietis tempus, & laboris, ac vigilantiæ generaliter, ac juxta Regionum probatam consuetudinem tempus inchoatur, ex Decreto S. C. Rit. 18. Septembris 1634. quod hic subditur: *Ubi non est aurora physice pro licita Missarum celebratione, attendatur ea moraliter, & politice, quando scilicet terminari solet hominum quies, & inchoari labor juxta probatam Regionum consuetudinem*. *S. R. C. 18. Novembris 1634. in nova Missalis Romani*.

II. Pro anticipatione tamen, & postpositione celebrandi regulares præcipue varia Privilegia & Indulta Apostolica obtinuerunt. Alexander VI. Patribus Congregationis Vallisolet concessit horis duabus post mediam noctem celebrare posse per Breve quod incipit, *Sane merita*. Pius V. Patribus Societatis Jesu, ut legitur in compendio Privilegiorum suorum verb. *Missa* §. 3. concessit Missam celebrare posse per horam ante auroram, & post meridiem, causa tamen itineris, aut alterius impedimenti legitimi. Innocentius VIII. Augustinianis indulsit, ut statim post mediam noctem possint celebrare, & etiam post meridiem, quando tamen iter facere debent, aut quando redeunt cum non possint ante meridiem ad locum pervenire, ubi commode celebrare valeant; sic referunt Auctores permulti, inter quos P. Suarez Tom. 3. in tert. part. disput. 8. sect. 4. P. Rosignolus de Eucharistia q. 8. art. 16. n. 12.

C A P U T VI.

De Idiomate, quo Missa licite celebrari possit.

I. DE Idiomate, quo Missa licite celebrari sancitum, obiter aliqua præcipue, quæ a magni nominis doctoribus referuntur, nobis hic recensenda se offerunt. Apostolos itaque, eorumque successores Idiomatibus singularum Regionum, ad quos pertingebant Evangelicæ prædicationis, ac fidei propagandæ gratia, se accommodasse in Missis faciendis expresse opinatus est Cardinalis Bona de rebus Liturgicis lib. 1. cap. 5. ubi sic scribit: *Asserendum videtur Apostolos, eorumque successores eo idiomate in singulis Regionibus usos, quod tunc illis commune, ac vernaculum erat; & ita Hierosolymis, Chaldaice; Antiochiæ vero, Alexandriæ, & in aliis Græcorum Civitatibus, Græce: Romæ autem, & in toto Occidente latine celebrasse*. Sic approbasse dicere fas est etiam Joannem VIII. Summum Pontificem, qui sæculo IX. Sclavis, studio, ac prædicatione S. Methodii ad Christi fidem conversis, quam maxime laudavit eos Sacram liturgiam, ac divina officia sclavonica lingua peragere, ut videre est in ejus 247. Epistola ad Moraviæ Comitem Stentopulcrum, in qua sic se exprimit: *Litteras denique sclavonicas a Constantino quodam philosopho repertas, quibus Deo laudes debitas resonent, jure laudamus, & ut in eadem lingua Christi Dei nostri præconia, & opera enarrentur jubemus; neque enim tribus tantum linguis dominum laudare auctoritate sacra monemur, quæ præcipit, dicens: Laudate Dominum omnes gentes, & collaudate eum omnes populi; & Apostoli repleti Spiritu Sancto locuti sunt omnibus linguis magnalia Dei. Hinc, & Paulus cælestis quoque tuba insonat, monens: Omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster Jesus Christus in gloria est Dei Patris; de quibus etiam in prima ad Corinthios Epistola satis manifeste nos admonet, quatenus linguis loquentes, Ecclesiam Dei ædificemus. Nec sanæ fidei, vel doctrinæ aliquid obstat, sive Missas in eadem sclavonica lingua canere, sive Evangelium, vel lectiones divinas novi, & veteris Testamenti bene translatas, & interpretatas legere, aut alia horarum officia omnia psallere, quoniam qui fecit tres linguas principales, Hebræam scilicet, Græcam, & Latinam, ipse creavit & alias omnes ad laudem, & gloriam suam*. In epistola hac Summus Pontifex non solum comprobat liturgiam sclavonica lingua celebrari; sed insuper exemplo Apostolorum, & meræ scripturæ auctoritate ostendit sanæ fidei nullum detrimentum inde oriri, quæ docet Deum omnibus linguis esse laudandum.

II. Maronitis quoque concessum fuisse Missas Chaldaico, aut Arabico Idiomate celebrare colligitur apud Joannem Morinum in præfatione ad ritus ordinationum eorum, ubi hæc scribit: *Gregorius XIII. in Urbe fundavit istius Nationis Collegium, in quo adolescentes plures Maronitæ litteris latinis, & theologicis instituuntur, ut iis imbuti in patriam revertentes religione catholica, quam eorum majores coluerunt, excolant, & amplificent*. *Fundationis Bulla Gregorii XIII. Bulla habetur 91. In qua præter cetera ipsis conceditur Missas, & cetera officia Ecclesiastica idiomate Chaldaico, vel Arabico celebrare. Hoc autem faciunt Romæ non modo in Collegio proprio non secus ac Græci, sed etiam, ut accepi, nonunquam extra Collegium, quod aliis Orientalibus non facile permittitur*.

III. Sigismundus, liber in commentario rerum Moscoviticarum refert, apud hos totum Sacrum, seu Missæ sacrificium vernacula, ac gentili peragi lingua. Plurimos etiam schismaticos in Oriente, aliquotque Catholicos lingua patria missam celebrare refert Cardinalis Bona lib. 1. de rebus liturgicis cap. 9. n. 4. &c.

IV. Apud Occidentales in missis celebrandis semper latinum idioma, quod tunc temporis omnibus commune erat, fuisse usurpatum omne citra dubium est. An autem in aliquibus Liturgiæ partibus olim alias etiam linguas adhibuerint, affirmant Doctores, qui ostendunt *de Gloria in excelsis, de Epistola, Evangelio, aliisque lectionibus*. In prima equidem Natalis Domini Missa hymnus Angelicus Græco sermone decantabatur, uti affirmat Anonymus Turonensis in suo M. S. Speculo Ecclesiæ his verbis: *Nos canimus illud*, scilicet Canticum Angelicum, *græce juxta morem antiquum Romanæ Ecclesiæ, cui tam Græci, quam Latini solebant antiquitus deservire; & a Græcis habitabatur maxima pars Italiæ; unde lingua Græca non minus erat nota etiam latinis, quam latina; & quia 70. Interpretes utrumque testamentum transtulerunt ex Hebræo in Græcum, & inde translatum est in latinum ob honorem, & reverentiam linguæ græcæ, cantamus canticum Angelicum illud græce, in prima quidem Missa; sed in secunda latine; decet enim, ut græca præcedat latinam, tamquam mater filiam &c.*

V. Lectiones quoque in Ecclesia Romana græce, latineque lectas fuisse in Missis celebratis, refert Amalarius lib. 2. de Ecclesiasticis Officiis, cap. 1., ubi hæc habet: *Lectiones ab antiquis Romanis græce, latineque legebantur, qui mos apud Constantinopolim hodieque servatur, ni fallor, propter duas causas, unam quia aderant græci quibus incognita erat lingua latina, aderantque latini, quibus incognita erat græca; alteram propter unanimitatem utriusque populi*. Ex his colligitur sollicitudo, quam perpetuo enutrivit Sancta Mater Ecclesia suis filiis sacrosanctæ Missæ patefaciendi mysteria.

VI. Quantum ad præsens attinet certum est, quod hodiernus disciplinæ Ecclesiasticæ usus est, ut missa in Ecclesia occidentali non nisi lingua latina celebretur, qui esto latinus sermo, qui olim omnibus communis erat, modo obsoleverit apud nos, atque in nostra Italia invectus fuerit ille, qui vulgaris nuncupatur, latino idiomate Litterarum tantum usui reservato; adhuc tamen missam in vernaculum converti sermonem, non expedire Ecclesiæ bene visum est, & hoc præcise ad evitandos errores omnes, aliaque gravia inconvenientia, quæ in tali variatione evenire periculose possent, non vero uti hæretici impudentissime autumant, ut rudibus populis sacrificii hujus mysteria occultentur. Hoc enim patet ex Sacrosancta Tridentina synodus sess. 22. de Sacrificio Missæ, cap. 8., ubi ad rem sic habet: *Et si Missa magnam contineat populi eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur; quamobrem retento ubique cujusque Ecclesiæ antiquo, & a sancta Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum Matre, & Magistra probato ritu, ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant, & non sit qui frangat eis, mandat sancta Synodus*

modus Pastoribus, & singulis animarum curam gerentibus, ut frequenter inter missarum celebrationem, vel per se, vel per alios, ex iis, quæ in Missa leguntur, aliquid exponant, atque intee cætera Sanctissimi hujus Sacrificii Mysterium aliquod declarent diebus præsertim Dominicis, & Festis: obmutescant itaque modo Hæretici, & eorum fœdum agnoscentes mendacium se corrigant; videantque, quomodo Sancta Mater Ecclesia de filiis suis Missæ mysteriis instruendis, non tantum sedula, sed impatiens sit.

VII. De periculo evidenti errorum, ac gravissimorum inconvenientium, quæ in hujusmodi variationibus facillime occurrere possunt, exemplum jam habemus Romani Missalis a Patre Vois Ordinis Prædicatorum in Gallicam linguam conversi anno 1660., ex qua novitate tanta exorta fuit confusio, ut Clero Gallicano enixe instante talis traductio, uti scandalosa, ab Alexandro VII. anno immediate sequenti damnata fuerit; hac itaque de causa a similibus novitatibus abhorruit, & abhorret S. Mater Ecclesia.

C A P U T VII.

De Prærequisitis ad licitam Missæ celebrationem in Celebrante.

I. INter prærequisita ad licitam Missæ celebrationem, præsupposita valida ad Sacrosanctum Sacerdotii ministerium ordinatione ab Episcopo debitis formis suscepta, uti decrevit Concilium Nicænum cap. 4. ac Tridentinum sess. 22. cap. 1. primorem sibi vindicat locum præparatio, quæ in duplici statu considerari potest; proximo scilicet, ac remoto: status remotæ præparationis sistit præcipue in summa tum animæ, tum corporis integritate, ita quod Sacerdos non modo omnis lethalis peccati sit omnino expers, sed etiam levissimarum culparum, quantum humanæ fragilitatis patitur infirmitas, immunis prorsus existat, ut sic nuptiali veste indutus tutissime ad cæleste ingrediatur convivium. Pro quibus omnibus antequam ad Altare accedat tenetur probare seipsum, juxta illud Apostoli Corinth. II. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat*, hoc est confessionem sacramentalem præmittat præcipue, si se gravi peccato recognoscat obnoxium, uti ordinat Tridentinum Concilium sess. 13. cap. 7. de Eucharistia his verbis: *Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debeat, quod a Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc Sancta synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia Confessoris; quod si necessitate urgente Sacerdos absque prævia Confessione celebraverit, quamprimum confiteatur*. Et Can. II. ejusdem sessionis statuit expresse: *necessario præmittendam esse confessionem Sacramentalem sub pœna excommunicationis eo ipso*: ex quibus constat Tridentinum confessionem sacramentalem prærequirere cum ratione communionis, tum celebrationis, ut magis etiam innuit in Decreto de observandis, & evitandis in celebratione missæ sess. 22. sic: *omnem operam, & diligentiam in eo ponendam esse, ut, quanta maxime potest, interiori cordis munditia, puritate, atque exteriori devotionis, ac pietatis specie peragatur*.

II. Ubi autem supra dicebatur, si deficiente Confessoris copia urgente necessitate absque prævia confessione celebraverit, quam primum confiteatur, hæc particula *quam primum*, non debet facere sensum quod scilicet prima vice, qua sacerdos pro sua commoditate, aut occasione tantum alterius patrati criminis confitebitur, confiteatur; In hoc enim sensu damnata jam fuit propositio ab Alexandro VII. 18. Martii 1666. his verbis: *Illa particula quam primum intelligitur cum sacerdos suo tempore confitebitur*. Germanus igitur, & catholicus sensus est, ut quam primum, scilicet peracto sacrificio, statim ac sibi Confessarius occurrit, confiteatur, seu confiteri teneatur; aliter si culpabiliter unum, vel alterum neglexerit Confessarium, peccet graviter ratione violationis hujus præcepti obligantis sub gravi.

III. Olim tantum in celebrante non tantum animæ, sed etiam corporis exigebat puritatem Ecclesia, ut nocturna illusione pollutos sacrificio penitus interdiceret. Ad acquirendam autem utriusque, tum animæ, tum corporis puritatem, plurimum in offerente prodesse existimabant carnis macerationem antiqui Eremi cultores; Unde Sanctus Odo Cluniacensis Abbas sic suos docebat Monachos: *Qui ad Altare sacrificare Deo volunt, ipsi prius per mortificationem Dei sacrificium esse debent, alioquin magis temerarii, quam cultores ejusdem Mysterii deputantur*, lib. 2. Collationum cap. 28. Sacerdotes itaque ut se semper ad tremendum hoc sacrosanctum sacrificium celebrandum præparatos inveniant, causas peccatorum debent abscindere, ac mortificati eorum suggestionibus numquam aditum indulgere; & si pro humana acciderit fragilitate se aliqua crimine obnoxios agnoscere, non sinere, quod sol aut occidat, aut oriatur, quin statim ad Sanctissimum Pœnitentiæ Sacramentum confugiant.

IV. Ad remotam Missæ præparationem modo spectat jejunium etiam naturale, quia & si post legalem cœnam ut supra diximus incruentum Christus ipse sacrificium obtulerit, idque ab Apostolis, eorumque discipulis aliquando actitatum fuerit, ex communi tamen Sanctæ Ecclesiæ antiqua consuetudine non solum offerentes sacrificantes, seu communicantes, sed etiam assistentes sacrificanti sacri Altaris ministri debebant esse jejuni, ut expresse declarat Concilium Autissiodorense can. 19. *Non lice Presbytero, aut Diacono, aut Subdiacono post acceptum cibum vel peculum Missas tractare, aut in Ecclesia dum missæ dicuntur, stare*: modo autem juxta morem universalis Ecclesiæ Apostolica traditione introductum, certum est, quod nemo potest ad Altare accedere missam celebraturus, aut Eucharistiam sumpturus nisi jejunus; sic plura decreverunt Concilia, inter quæ Carthaginense III. Constantiense sess. 13. ac Toletanum VII. Can. 2. statuens, *ut nullus post cibi, potusve quamlibet minimum sumptum missae facere præsumat*. Sic sentiunt communiter omnes Sancti Patres cum divo Parente nostro Augustino Epist. 14. alias 158. n. 7. & 8. his verbis: *placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti sacramenti prius in os Christiani corpus Dominicum intraret quam cæteri cibi, nam ideo per universum Orbem mos iste servatur, &c.*

V. Ad jejunium naturale quod spectat, sciendum consistere in totali ab esu, potuque abstinentia, ita ut per quodcumque, quod ad modum cibi, aut potus sumitur, sive perveniat, sive sit etiam tantum in via ad stomachum, frangitur. Incipit autem a media nocte. Dicitur frangi jejunium hoc per quodcumque minimum, quod ad modum cibi aut potus sumitur, quia ultra duos prædictos modos deglutiendi, datur quoque deglutio per modum salivæ, quæ tunc evenit, quando minimum quid cibi, aut potus a saliva ipsa inseparabile (esto in salivam non sit conversum) & si separabile, tamen inadvertenter, & absque intentione manducandi, aut bibendi, tamquam saliva trajicitur, deglutiturque. Sic Auctores communiter sentiunt; Suarez, Vasquez, aliique apud Dianam part. 1. tract. 5. resolut. 12. Hinc si quis os abluendo aliquam aquæ guttulam salivæ mixtam inadvertenter deglutiret, hoc naturale jejunium proculdubio non frangeret, ac proinde celebraturus ad Altare licite posset accedere, juxta Missalis Rubricas titulo de defectibus dispositionis corporis, ubi sic: *Si abluendo os deglutiatur stilla aquæ præter intentionem non impedit communionem; secus vero si quis advertens, ac dedita opera parum aquæ, aut aliud etiam minimum quid a saliva tamen distinguibile per modum cibi, aut potus deglutiat*. Divus Thomas ad rem sic habet tertia parte Sum. quæst. 80. art. 8. *Neque post assumptionem aquæ, vel potus, vel etiam medicinæ in quantacumque parva quantitate licet hoc Sacramentum accipere: Nec refert utrum aliquid hujusmodi nutriat, aut non nutriat, aut per se, aut cum aliis*: & hoc totum juxta Missalis Rubricam. *Si quis non est jejunus post mediam noctem, etiam post sumptionem solius aquæ, vel alterius potus, aut cibi per modum etiam medicinæ, & in quantacumque parva quantitate, non potest communicare, nec celebrare*. Et Concilium Toletanum 7. Can. Nihil, ita decernit: *Si quis hæc temerarie præsumpserit excommunicationis sententiam sustinebit.*

VI. Ex quibus omnibus constat falsitas illius sententiæ, quæ in jejunio naturali prærequisito ad licitam Missæ celebrationem parvitatem admittit materiæ, ita ut non nisi peccet venialiter, qui elapso mediæ noctis tempore, aut cibi pauxillum comederit, aut aquæ biberit sciens, postremo die ad communicandum, aut celebrandum accedat. Nec refert in hanc sententiam propendere aliquos Auctores, inter quos Pasqualigus in praxi jejun. decision. 4442. cum Giberto consultat Canonic. de Sacramentis, Consult. 14. de Eucharistia, quia in hac materia standum est Rubricis, Sanctis Patribus, & præcipue Canonibus statutis; cumque pœna excommunicationis, quæ non nisi gravi peccato infligitur, etiam in casu parvitatis materiæ irrogetur a canone supra citato, jam cum communi sensu omnium fidelium existimandum est graviter delinquere, qui vel etiam minimum cibi, aut potus post mediam noctem sumpserit, & die sequenti celebrare præsumat.

VII. Dicitur minimum quid cibi, aut potus ad exclusionem eorum omnium, quæ rationem non habent comestibilis, aut potabilis, quomodo ea sunt, quæ a stomacho nec alterari, nec digeri possunt, aut ex parte in alitt substantiam converti: ita Sanchez, Diana, Lugo cum aliis; Hinc deglutiendo capillos, ungues abrasos, lignum, & quid simile jejunium naturale non frangitur, juxta sacros Canones tantum exigentes, ut nihil cibi, aut potus ante communionem, aut celebrationem sumatur, ut patet in cap. *Nihil* supra citato: *Nullus post cibum, potumque, quamlibet minimum, sumptum missas facere præsumat*; & in cap. liquido 4. de consecrat. dist. 1. *Placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti sacramenti prius in os Christiani corpus dominicum intraret, quam cæteri cibi &c.* Quæ autem ex sua natura comestibilia non sunt ab homine, aut potabilia, nec cibus, nec potus humanus nuncupari possunt; sicuti quæ sunt etiam ex sua natura comestibilia ab homine, aut potabilia, adhuc jejunium naturale non frangunt in eorum parva quantitate, si inadvertenter, ut supra diximus, per modum salivæ deglutiantur, ut sunt reliquiæ cibi diei præcedentis dentibus implicitæ, si casualiter transglutiantur; secus si advertenter, ac sensibiliter percipiantur in lingua; quo in casu exspui debent, juxta communiorem opinionem. Neque enim Auctores desunt tenentes jejunium naturale non frangi etiam si scienter, & cum advertentia memoratæ reliquiæ deglutiantur, quia juxta hos censentur semper deglutiri per modum salivæ, & tamquam pertinentes ad præcedentis diei comestionem. Hinc Rubrica Missalis tit. 9. de defectibus dispositionis corporis, præscindens ab advertentia, aut inadvertentia simpliciter sic habet: *Si reliquiæ cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt communionem, cum non transglutiantur per*

mo-

modum cibi, sed per modum salivæ. Ita Suarez, Castropal, Gobat, Diana cum aliis.

VIII. Imo, quod majus videtur, naturale jejunium non frangitur ab eo, qui ut discernat si sit vinum album, aut aqua, ut percipiat saporem, seu condimentum cibi, aquam, vinum, aut jusculum, vel aliud comestibile, aut potabile supra linguam ponit, prægustat, ac statim expuit, esto parum ipsius jusculi, vini, aquæ, vel alterius liquoris, salivæ admixtum casu deglutiat. Sic expresse docet Sanctus Antoninus tert. part. tit. 13. cap. 7. §. 8. his verbis: *De his etiam, quæ sumuntur per modum gustationis, sicut Tabernarii, & Coqui faciunt, qui cibum, & potum supra linguam ponunt ad probandum, & statim projiciunt, videtur, quod non impediat communionem..... ex decentia tamen debet quis a talibus abstinere, qui vult communicare.* Ita cum Divo Antonino Sylvius in tert. part. sum. Divi Thomæ quæst. 80. art. 8., & ratio est, quia si quid parum in tali casu deglutiatur non per modum cibi, sed salivæ transit ad stomachum; en ejusdem verba: *Idem judicium est de vino, vel condimento, quod ad percipiendum saporem gustetur, & statim expuitur; quamvis enim contingat aliquid ejus permixtum salivæ cum ea deglutire, non solvit jejunium; solvitur tamen si ex proposito sumeretur, etiam si is, qui sumpsisset mox evomeret, quia esset vera comestio, vel bibitio, scilicet trajectio cibi, vel potus in stomachum propria, & per se actione vitali: Si vero solum intrasset in asperam arteriam, & statim expueretur, hoc non esset deglutire, neque pertineret ad comestionem, cum ex eo non nutritio, sed potius suffocatio sequi nata sit, & propterea non solveret jejunium.*

IX. His rationibus jejunium non solvunt, qui ad confortandum caput, aut vitandum noxium aerem, seu odorem, aromata dentibus frangunt, dummodo nihil ex intentione ac advertenter deglutiant, quamvis aliquid succi inseparabiliter cum saliva permixtum deglutiant; quia trajectio illa ad modum salivæ vera non est comestio, aut putatio; imo eadem ratione & si parvum aromatis granulum casu, & sine intentione comedendi descenderet in stomachum, adhuc jejunium servaretur naturale; ita Coninch. Bonacina, & Diana part. 5. tract. 13. resolut. 1. §. verum, aliique. Has juxta rationes non frangitur jejunium si vapores attrahantur ex cibo, & potu præsentibus. Item si ad modum respirationis per os in stomachum attrahatur pulvis, pluvia, musca, vel quid simile; deglutiuntur inquam per modum respirationis, non comestionis, aut potationis: Ita doctores citati, aliique passim: secus autem dicendum si quis in flumen prolapsus invitus aquam sumeret. Ita Gobat, cum aliis. Iisdem inhærendo principiis solidissimis naturale non solvitur jejunium pro licita celebratione, aut communicatione prærequisitum deglutiendo sanguinem e gingivis, vel ex pustula defluentem; neque enim sumeretur ad modum potus, aut cibi; ita supra allegati Doctores, & Quarti dub. 2. circa finem citans Divum Thomam, Suarez, de Lugo, aliosque: addit insuper, quod esto sanguis in os defluens, etiam animo comedendi ex industria deglutiretur, jejunium adhuc sufficienter ad licitam celebrationem servaretur, quia intentio neque auferre, neque tribuere valet rationem cibi, aut potus prædicto sanguini ab intrinseco defluenti, juxta regulam a Divo Thoma traditam in 4. dist. 8. quæst. 1. art. 4., ab aliis communiter receptam. De ratione cibi est, quod ore ab extrinseco sumatur, non ab intrinseco; & hac ratione certum est, quod jejunium frangeret, si quis sanguinem ex manus, aut digiti vulnere sugeret, quia tunc vere cibus ore ab extrinseco sumeretur, eo fere modo, quo mulier si lac de propriis sugeret mamillis.

X. Tandem si quis decumbens ore saccarum sumeret, aut aliquid aliud paulatim liquendum, & deglutiendum ad raucedinis sublevamen, ut fieri solet si post mediam noctem esto dormiens, præter intentionem cibi sumendi, aut potus, aliquam ejusdem saccari portionem, esto minimam, deglutiat, jejunium frangeret, quia moraliter tamdiu perdurat comestio, quamdiu saccarum perdurat in ore. Si autem dubitet an aliquid deglutierit post mediam noctem an non, ac adhibita sufficienti diligentia dubius perseveret, debet absolute abstinere tum a celebratione, tum a communione, quidquid alii sentiant in contrarium; præsumptio utique in hoc casu præcipue stat contra ipsum, qui se exposuit periculo proximo comedendi in dormitione; quod non cadit sub dubio, & est tota dubitandi ratio de comestione post mediam noctem; & maxime quia etiam si dubium, seu ratio dubitandi non oriretur ex eo, quod se periculo proximo exposuerit, ut supra, & consequenter præsumptio non militaret ita aperte contra ipsum, adhuc quotiescumque subest dubitatio an comederit, vel non ante vel post mediam noctem in obsequium, ac reverentiam huic sacramento debitam, ab hoc sumendo, ac a Missæ celebratione deberet abstinere. Ita sentiunt graves Doctores, inter quos Benedictus XIV. lib. 3. cap. 12. num. 7. de sacrosancto Missæ sacrificio, ubi allegat decisionem Cleri Patavini in resolutionibus anni 1708. de Sacram. Eucharistiæ, quæst. 2. n. 13.

XI. Dari tamen possunt aliquæ circumstantiæ, in quibus non solum subeunte dubitatione fractionis jejunii, verum, & cum certitudine licite sacerdos celebrare potest, & sæculares communicare, inter quas una est necessitas integrandi sacrificium, aut sacramento servandi debitam reverentiam; secunda est necessitas sumendi Viaticum; tertia vitandi scandalum publicum. Ratione primæ circumstantiæ potest, imo tenetur sacerdos etiam non jejunus sacrificium complere, cui peracta consecratione unius, vel utriusque speciei, subvenit se non esse jejunum; potior enim est obligatio integrandi sacrificium, quam jejune communicandi: Item si peracta utriusque, vel unius speciei consecratione, celebrans moreretur, aut tali superveniente infirmitate, ita debilitaretur, ut sacrificium perficere non posset, seu complere; & si sacerdos non inveniretur; absolute, extante periculo profanationis ab hæreticis, aut Infidelibus, aut ratione alicujus incendii, inundationis, aut alterius incidentiæ, a laico utique propriis manibus Sacræ hostiæ, seu particulæ consecratæ sumi, & absumi possent: sic & in aliis similibus circumstantiis, in quibus periculum immineat profanationis tanti Sacramenti, tenent communiter Doctores.

XII. Ratione secundæ circumstantiæ, jam omnes infirmi cum mortis periculo, etiam non jejuni, communicantur, ut docet quotidiana praxis; Unde difficultas solum esse potest, an Sacerdos non jejunus teneatur Missam celebrare, ut infirmo in extremo mortis periculo constituto Viaticum ministrari possit; ad quam difficultatem fere omnes Theologi negative respondent, quia ex parte Sacerdotis viget præceptum celebrandi jejune, ex parte infirmi non viget præceptum sumendi Viaticum in tali circumstantia, scilicet dum Eucharistiæ copia deficit; videatur Benedictus XIV. loc. cit. n. 8.

XIII. Ratione tertiæ circumstantiæ, etiam si casu, aut culpabiliter jejunus non sit, potest celebrare Parochus, aut alius Sacerdos obligatus ex officio celebrare diebus festis, si non aliter evitari possit grave scandalum, aut non leve ipsius damnum. Ita Suarez disput. 4. sect. 5. cum aliis passim. Præceptum enim vitandi scandala, præferendum est præcepto celebrandi jejune; quia primum est naturale, secundum Ecclesiasticum. Primum spectat ad charitatem, secundum ad ordinem ritus. Primum tandem est præceptum negativum, secundum positivum. Leges autem positivæ tam severe non obligant, & rigide sicut negativæ faciunt. Unde ratione vitandi scandalum, Laici quoque præsertim Regulares, qui determinatis diebus communicari tenentur, possunt non jejuni accedere ad Eucharistiam sumendam, si aliter non possit grave scandalum, aut non leve damnum effugere; sic citati Doctores, inter quos Pater Rosignolus n. 12. in fine hæc habet: *In universum ubique intervenire potest scandalum conjunctum cum aliqua infamia, quæ aliter vitari nequeat, sive in Sacerdote sacrificante, sive in Laico communicature, etiam fracto jejunio potest ille sacrificare, hic communicare: Quandoquidem exceptio de vitando scandalo in omnibus præceptis locum habet, ubi contrarium non est intrinsece malum, & obligatio legis positivæ non obligat cum tanto onere, & discrimine.*

XIV. Tandem ad licitam Missæ celebrationem ex parte Sacerdotis exigitur quod ab omni censura, & irregularitate, sive ex defectu, sive ex alia ratione immunis existat, sicut etiam juxta Divum Thomam ab omni corporis immunditia. Pro corporis immunditia, intelligit Sanctus Doctor turpitudinem illam, quæ per peccatum non solum in anima reatu culpæ, sed in membris ipsis carneis pollutione contrahitur, nec per reatus culpæ expiationem tam cito deletur, perseverat enim adhuc per aliquod tempus post deletum peccatum hæc corporis deformitas, seu immundities, cum qua non decet, sive ad celebrandum, sive ad communicandum accedere. Hinc Sacerdos eadem die, quo lethale commisit peccatum, & si per Sacramentalem confessionem expiaverit, si nulla urgeat necessitas, debet a celebrando abstinere, & Missæ celebrationem ad minus in diem posterum differre; sic Divus Thomas in 4. sententiarum dist. 9. quæst. 1. art. 4., quæst. 2., ubi sic: *Non est consulendum, quod statim post peccatum mortale, etiam contritus, & confessus ad Eucharistiam accedat; sed deberet, nisi magna necessitas urgeat, per aliquod tempus propter reverentiam abstinere.* Cum D. Thoma consentit Cardinalis Toletus eximius Theologus lib. 2. cap. 1. n. 3. *Aliquando non sufficit confessio ad celebrandum, cum enim peccatum parvo tempore antecessit, non debet celebrare, sed expectare diem alium; Unde qui se accusant, quod nocte proxima peccatum carnis commiserunt, quamvis cum dolore accedant, & absolvantur, sunt tamen a celebratione arcendi.*

XV. Neque solum de peccatis venereis, quæ peculiaris indecentiæ ad Sacramentum sordes secum afferunt præ aliis peccatis, procedit casus, sed de omnibus peccatis mortalibus; Unde Sotus in 4. sent. dist. 12., quæst. 1. art. 7. sic habet: *Hæc prepositio non est singularis de pollutione, sed generalis de quocumque peccato; tanta enim esset irreverentia, homicidam cruentis manibus, aut blasphemum polluto ore illico ad Eucharistiam accedere, tametsi venereæ sordes peculiarem quamdam indecentiam ad Sacramentum præ aliis sceleribus afferant.* De facto ratione hujus peculiaris indecentiæ ad Eucharisticum Sacramentum in peccatis venereis fere major Theologorum pars cum D. Thoma affirmat, etiam citra peccatum, ac præter voluntatem, si pollutio nocturna contingat, & solum aliquod turpe phantasma inculpabiliter nobis adhuc animo obversetur; aut solum mentem gerimus distractam, si nulla sit causa rationabilis celebrandi, Missæ celebrationem esse in alium diem protrahendam; dicitur si turpe phantasma aliquod, etiam inculpabiliter, nobis adhuc animo obversetur &c., quia si pollutio absque impuris sequatur phantasmatis, ac carnis pruritu, uti juxta Abulensem dæmon efficere solet, ut pios retrahat homines a Sacra Eucharistia sumenda, vel Sacerdotes a Missa celebranda, D. Thomas loc. supracitato art. 7. absolute tradit non esse in tali casu, aut communionem, aut Missæ omittendam celebrationem: D. Thomæ in hac parte adhæret Turrecremata in canon. *Testamentum* dist. 6. sic: *Si in nobis causa non præcesserit, imo magis causa contraria, & hoc frequenter accidit, & præcipue in diebus, in quibus communicari debet, signum est, quod diabolus homini fructum*

Eu-

Eucharistiæ recipiendæ auferre conatur; unde in tali casu consultum fuit cuidam Monacho, ut in collectionibus Patrum legitur, quod communicaret, & sic diabolus videns se non posse consequi intentum, ab illusione cessavit.

XVI. Ad proximam præparationem quod attinet, quatuor assignantur dispositiones, scilicet mentis recollectio, præcum, & psalmorum recitatio, vestium Sacerdotalium assumptio, & Sacrorum vasorum præparatio.

XVII. Mentis recollectio sistit in hoc, quod Sacra, quæ tractaturi sumus mysteria, mente revolvamus, Incarnationis Dominicæ, Passionis, & Resurrectionis memoriam recenseamus, ad hanc dispositionem pertinet, intentionis directio, ac eos, pro quibus offerre sacrificium proponimus, Deo commendare; pro qua advertendum cum Valfrido libro de rebus Ecclesiasticis, cap. 22. sic nos docente his verbis: *In hoc error non modicus videtur, quod quidem se non posse aliter plenam commemorationem eorum facere, pro quibus offerunt, nisi singulas oblationes pro singulis offerant, vel pro vivis, & defunctis non simul æstimant immolandum, cum vere sciamus unum pro omnibus mortuum, & unum panem esse, & sanguinem, quem universalis Ecclesia offert. Quod si cui placet pro singulis singulatim offerre pro solius devotionis amplitudine, & orationum augendarum delectatione id faciat, non autem pro stulta opinione, qua putet unum Dei Sacramentum non esse generale medicamentum. Quodammodo enim in fide imperfectus est, qui putat Dominum non discernere, quando una petitione pro multis rogatur, quid cui sit necesse, vel fastidire eum æstimat, cum eadem oblatio nunc pro uno, nunc pro alio exhibetur.*

XVIII. Ad hanc quoque dispositionem spectant Religio, & pietas; defectu enim harum proxime non potest censeri præparatus ad licite tremendum hoc sacrificium conficiendum: ut itaque in venerabili Sacerdotis persona ad adstantium exemplum, ac ædificationem promovendam, devotionemque excitandam, pietas tanti muneris, ac dignitatis concinne resplendeat, cum laudabili vitæ ratione parato ac mœrenti animo ad celebrandum se debet præparare, ita ut per Religionis exteriora insitæ pietatis interiora indicentur. Hoc modo se non præparasse ostendunt, qui adeo præcipiti lingua, indecore, ac festinanter Missam legunt, ut adstantes intelligere verba non valeant, & Altari tam incomposite sistunt, ut nullam prorsus animo religionem, nullam præcibus, quæ ad sacrificium spectant, attentionem habere indicent, contra id, quod sollicite præcipit Rubrica Missalis. *Sacerdos autem maxime curare debet, quæ clara voce dicenda sunt, distincte, & apposite proferat, non admodum festinanter, ut advertere possit, quæ legit, nec nimis morose, ne audientes tædio afficiat.* Quæ dicenda sunt, itaque, sive submissa, sive elata voce, integra semper verborum pronunciatione legere debet Celebrans, præcesque, quæ a Sacris Ritibus præscribuntur, attente, decenterque absolvere, & ut a Missalis Rubrica numquam discedat, nimiam æque prolixitatem studeat evitare oportet. De hac prolixitate evitanda frequenter S. Philippus Nerius sermonem habebat, unde Sacerdotibus quibusdam, qui in sacro peragendo plusquam par est cælesti voluptate allecti ultra horæ medietatem Missæ absolutionem protrahebant, dicere solebat: *Non palam has delitias, sed clam in cubiculo magis optarem*, sic refert Baccius lib. 1. cap. 19. n. 9. in vita S. Philippi Nerii. Concludendum igitur una cum universali Doctorum Virorum, Sanctorumque Patrum opinione, temporis spatium, intra quod Sacrum expediri convenit, ad tertiam horæ partem saltem pertingere debere, nec horæ dimidium excedere: ita Quartus in comment. ad Rubricas Missalis Romani part. 1. tit. 16. dub. 6. cum Clericatu, aliisque plurimis.

XIX. Quoad præcum, psalmorumque recitationem, citra dubium est, quod antiquæ Ecclesiæ praxis semper obtinuit, ut celebraturus Sacerdos horum quorumdam recitatione se se ad Sacrum peragendum disponeret: ab aliquibus tamen plures, ab aliquibus aliis pauciores recitabantur, quia generaliter præfixi non erant; sed solum in aliquibus præscribebantur, ut videre est in Missa a Mattio Flacco Illirico vulgata, in qua præscribitur, ut antequam se sacris vestibus induat Sacerdos, si tempus ferat, septem pœnitentiales psalmos cum præcibus recitet, ac septem alios postea, scilicet. *Quam dilecta tabernacula. Benedixisti. Inclina Domine. Fundamenta. Domine Deus salutis meæ. Credidi propter quod locutus sum.* Missale quoque Hyspalense editum Anno 1534. jubet dici septem Psalmos pœnitentiales; vel *Quam dilecta* cum reliquis, qui hodie notantur in Missali Romano; apud Micrologum quatuor tantum inveniuntur. *Quam dilecta. Benedixisti. Inclina Domine, & Credidi.* In Missali Ambrosiano unicus psalmus *Miserere* adnotatur. Et in aliquibus aliis Missalibus nihil præfigitur; ex quo liquet hosce psalmos potius ex celebrantium devotione, quam ex obligatione recitatos fuisse, neque enim refert quam plurimos, sed quam devote Sacerdos recitet psalmos, ut se ad tremendum celebrandum missæ sacrificium præparet.

XX. Supposita officii divini absolutione, saltem quoad matutinum & laudes: Officium enim præcipue in præparationem ad Missam institutum est: sacerdos celebraturus recitare debet psalmos, & orationes quæ in tabella reperiuntur, & speciatim antiphonam, *ne riminiscaris*, cum psalmo &c. supra dixi supposita Officii divini absolutione &c., quia antiqua praxis perpetuo obtinuit, ut Missæ non tantum solemnes, sed etiam privatæ, non ante celebrarentur, quam solutis nocturnis vigiliis, seu officio matutinali completo, uti expresse sancivit Innocentius Papa IV. Epist. X. ad Ottonem Cardinalem Tusculanum; *Sacerdotes Missam celebrare priusquam Officium matutinale compleverint, non præsumant.* Idem recolitur ex pluribus Conciliis, non paucisque Statutis Synodalibus, quibus non tantum vigiliæ nocturnæ, seu horæ matutinæ præcipiuntur ante Missæ celebrationem solvendæ, sed etiam usque ad primam inclusive Officii divini recitatio præscribitur, ut videre est in Synodalibus tum Ecclesiæ Nannensis cap. 11. *Nullus antequam matutinas canonicas, & primam dixerit, Missam celebrare præsumat:* tum Ecclesiæ Biterensis cap. 42. ubi hæc leguntur; *Præcipimus, quod nullus missam celebrare præsumat, nisi prius Matutinas illius diei compleverit, atque primam. Quæ surgendo, & calciando, vel aliis negotiis occupando dici non debent, sed in Ecclesia cum devotione.*

XXI. His peractis accedit Sacerdos ad locum in sacristia, vel alibi præparatum, ubi paramenta, aliaque ad celebrandum necessaria habentur: Pro solis enim Episcopis, & Cardinalibus paramenta sacerdotalia in Altaris medio collocantur, in quo missa est celebranda ex Decreto S. R. C. 5. Julii 1612. unde pro aliis non privilegiatis, ponenda sunt in sacristia si adest, aliter in Mensa separata, & si hæc non sit, in eodem Altari quidem, sed non in medio &c. Inde accipit Missale, perquirit missam in sacristia, eamque legit tum ad indulgentias lucrandas, tum ad evitandum adstantibus tædium, quod sequeretur diutius immorando in Missæ inquisitione ad Altare, cum aliis inconvenientibus; deinde lavat manus dicens, *Da Domine &c.* ad reverentiam tanti Ministerii; caveat autem ne ibi vultum lavet. Post manuum ablutionem, & non antea calicem debet præparare; decet enim quod sacrum Vas non tangatur, nisi lotis manibus, & antequam alia non sacra tangantur: errat igitur, qui statim manus lavat, deinde Missam perquirit ante Calicis præparationem; super os calicis ponit mundum purificatorium, quod eleganter plicari debet, & apte ita disponi, ut æqualiter hinc inde pendeat; deficiente lineo purificatorio, potest adhiberi quodcumque strophiolum mundum in profanos usus non amplius adhibendum juxta Anonymum Italum in animadversionibus, seu, ut ipse ait, *Avvertimenti per la Messa*, Cap. 1. §. *Finita*. Non enim purificatorium necessario debet esse lineum, sed sufficit, quod sit ex materia apta ad abstergendum; ita Lohner part. 2. tit. 1. n. 4. Lineum tamen decentius est. Super purificatorium patenam ponit cum Hostia integra, quæ si ad Altare casualiter frangitur ante oblationem, aut casualiter ibi tantum agnoscatur, debet alia substitui, si absque scandalo, & longa mora haberi possit; si tantum post oblationem agnoscatur, & fractura evidenter non appareat talis, qualis est consecretur: Si evidenter appareat fractura, citra scandalum, & longam moram alia substituatur, mentaliter prompte offeratur, & primitus oblata servetur sumenda post purificationis sumptionem, Ita Pasqualigus quæst. 360.

R I T U A L I A.

XXII. Antequam Hostia super Patenam ponatur, leviter digitis excurrenda est, aut etiam excutienda, ut a fragmentis purgetur, deinde cooperienda Palla unica, quæ esse non debet ex papiro pisto, aut ex panno serico uti decrevit S. R. C. in una Camald. Montis Coronæ, 22. Jan. 1701. In sacrificio Missæ non est adhibenda Palla a parte superiori drappo serico coperta ex communi consuetudine, & quia in Rubrica nulla mentio fit, nisi de unica Palla, quicquid sentiat Pasqualigus cum Mossesio; postea superponitur Velum sericum, quo undequaque Calix cooperitur, quod si breve sit nimis, major pars a parte Calicis anteriori protrahitur; tegitur autem Calix, ut ejusdem sacra mysteria velata esse significentur: Ita Gavantus part. 2. tit. 1. Rubric. 1. num. 1. lit. N.. Super velum ponitur bursa coloris paramentorum, cujus pars aperta debet esse versus celebrantem: Nec super ipsam decet, quod ponantur conspicilla, aut manutergium &c. Intus habere debet corporale plicatum, quod extra ipsam deferri nequit sine Apostolica dispensatione, sicut nec Bursæ superimponi.

XXIII. His ita dispositis, & a Ministro quæ ejus sunt peractis, sacerdos accedit ad paramenta, & ad horum dexteram partem se statuit; ubi calceatis pedibus respondent, & Ministri; juxta illud; *Calceati pede in præparatione Evangelii pacis.* Hinc laudantur Ecclesiæ in quibus, ut sacerdotes, qui accedunt ad celebrandum in eis, ad Altare pergant mundis calceis, honestæ crepidæ asservantur sacerdotibus exhibendæ, si occurrat. Indutus debet ad paramenta accedere veste convenienti, cujus extremitas ad talum pedis saltem perveniat, & si ex justa causa, ratione scilicet pluviæ, aut itineris breviori quis accedat indutus, vestem debet superimponere talarem, quæ ad hunc finem in Sacristia servanda est; deinde se induit detecto capite, & birretum nec super calicem, aut etiam Missale deponat; sine anulis item, etiam si esset Protonotarius Apostolicus non participans; participantes enim hoc privilegio gaudent; aut Canonicus cujuscumque Ecclesiæ Collegiatæ etiam Cathedralis: Canonicorum autem nomine veniunt etiam dignitates quæcumque nisi aliquo sint speciali ad anulum ad Altare deferendum muniti privilegio: Si sit Prælatus sæcularis induit supra se Rochetum, si Regularis superpelliceum; ubi viget laudabilis hæc consuetudo, debet retineri; cum enim in aliis divinis Officiis uti soleant superpelliceo, multo magi decet, ut ornamentum hoc sacrificanti non desit: ad singulas vestes submissa voce respectivas recitet orationes, ut operationem semper comitetur oratio.

R I T U A L I A.

XXIV. Primo igitur accipit amictum circa extremitates, & cor-

cordulas a Ministro sibi exhibitum, & osculatur illud in medio, non ubi cordulæ fortasse decussantur; si adsit Crux osculetur, si non adsit, aut mutetur, aut si commode possit, pollice imprimatur, ut crux semper aliquo modo osculetur: sic Angelus part, 1. tit, 1. n. 1. & ponit super caput, & mox declinat ad collum, idest non immediate ducit super collum, sed prius supra caput, postmodum injicitur humeris; ita Cardinalis Bona rerum Liturgicarum lib, 1. cap. 4. num. 30., accepto amictu nullatenus aliud super inducitur crucis signum, quod nonnulli manu, & amictus cordulis faciunt, si placet antequam amictum accipiat, crucis signo potius se muniat, Ita Tonellius cum aliis, Bonamico, Gavanto supra lit. D. multo minus amictum accipiendo genu flectere, aut se inclinare licet, sic Lhoner supra &c., & si amictus humerorum latitudinem excedat, a Ministro apte restringatur, Lhoner part. 3. tit. 8, num. 2. & amictu collaria circumtegens vestium, cordulas ducit sub brachiis, & circumducens per dorsum ante pectus reducit, & ligat; Collaria alba, & linea numquam deponi debent, juxta Tonellium sup. Rubric. 2. num. 5. Tum alba induitur caput submittens, ut alba induatur, minister illam ambabus manibus complicatam in parte posteriori, præter eam partem, quæ collum in medietate circumdat capiti proponat celebrantis, qui manibus junctis caput submittit; sic Tonellius sup. rub. 3. num, 3., deinde manicam dexteram minister brachio dextro, sinistram sinistro imponens, albam ipsam corpori adaptat, elevatque ante, & a lateribus hinc inde. Et cingulo per ministrum a tergo sibi porrecto, se cingit. Cingulum autem exhibet Minister a parte dextera tenens extremitates ejusdem complicati, ut complicari solet: Ita Tonellius supra num, 3. celebrans cinguli nodum ita debet perstringere, ut flocci quantum poterint, pendeant longiores ad securius firmandas stolæ extremitates, Anonymus Italus supra. Minister revelet albam supra Cingulum circumcirca, ut honeste descendat, & tegat vestes, ac ejus fimbrias diligenter aptet, ut ad altitudinem digiti, vel circiter supra terram fluant; plicaturas quoque circa latera debet adæquare; tum unico genu genuflectens, ut belle circumfluat, elevat a terra ferme ad altitudinem unius digiti; his peractis sacerdos accipit manipulum, & osculatur crucem in medio, & Minister antequam exhibeat sacerdoti manipulum, osculatur manipuli crucem a latere, aut osculari saltem demonstrat, & porrigit sacerdoti, qui sibi illud imponit brachio sinistro, An manipulum imponendum sit infra cubitum non longe a manu, non conveniunt Doctores. Gavantus par. 2. tit. 1, Rub 3. lit. L. cum aliis stat pro parte affirmativa, Lohner par. 3, tit. 8. n. 2. pro parte negativa, & assignat rationem, quandoquidem si ponatur supra cubitum minus impedit, & fit remotius periculum tangendi cum ipso sacratissimam Hostiam, eamque extrudendi a corporali, aut extra Altare; probabilis est utraque sententia. Hoc unum certum est, quod a Ministro manipulum est aciculis firmandum, aut cordulis; deinde ambabus manibus accipiens stolam, simili modo deosculatur, & imponit medium ejus collo; Minister pariter ambabus manibus accipit stolam, crucem deosculatur a latere, aut fingit, ut dictum est de Manipulo, & porrigit sacerdoti, ut sibi illam imponat, & quidem non longe a collo, ut a superimponenda planeta contegatur. Ita Gavantus supra lit. N. Bauldry, part. 1. cap. 17. n. 9. aliique, & transversando stolam ipsam ante pectus in modum crucis, ducit partem a sinistro humero pendentem ad dexteram, & partem a dextro humero pendentem ad sinistram: pars igitur stolæ dextra, quæ est dignior ordine naturali superimponenda est parti ejusdem sinistræ; sic Anonymus Ital. Episcopi non transversant stolam, eo quod crucem jam habeant pectoralem, ut docet Cæremoniale Episcoporum; utramque postea partem stolæ extremitatibus cinguli, hinc inde ipsi cingulo conjungit, ministro tenente easdem stolæ extremitates, & applicante ad latera sacerdotis, non post humeros, ut celebrans extremitatibus cinguli stolæ partes percurrere, & firmare queat, ita Anonym. Ital. supra. Postremo accipit Planetam, quæ super Mensam, in qua extenditur a Ministro duplici plicatura, ut elevata hinc inde ambabus celebrantis manibus expeditius capiti submitti possit, sic Bauldry part. 1. cap. 17. n. 10. Minister quoque illam circa humeros, & collum eleganter accommodat: si vero pretiosiori materia sit Planeta v. g. opere phrygio, non debet plicari, sed inde a Ministro assumpta celebrantis capiti, collo, & humeris debet accommodari, quæ postea vinculis ab interiori ejus parte pendentibus firmanda est. Minister insuper biretum accipiens per cornu interius cum quasi illius osculo porrigit celebranti, qui illud accipiens per cornu exterius, sibi caput cooperit, semper absque alterius ministerio, Ita Gavantus apud Bonamicum par. 1. obs. 3. n. 1. Caput, inquam, sibi cooperit, non frontem, nec capitis dextrum latus unice; semperque sine pileolo si munitus non sit Pontificio privilegio. Sic paratus, & coopertus, nec per sacristiam vagetur, nec colloquatur, sed sibi constans aliquid meditetur.

XXV. Sacerdos omnibus paramentis ut supra indutus, minister retrocedit, ut perquirat an omnia recte sint disposita; sic Præmolus par. 3. c. 9. Accipit sacerdos manu sinistra calicem, ut supra præparatum, in nodo, & si forte sacerdotes aliqui sint in sacristia, antequam calicem accipiat, decet, ut aperto capite ipsos salutet; Ita Tonellius lib. 2. tit. 2. rub. 1. n. 1. Defert autem calicem elevatum ante pectus, nec nimis distantem, nec pectori adhærentem, & ita ut summitas ejus ad mediam pertingat pectoris altitudinem, ac bursam tenens manu dextra super calicem ad cautelam, ne aliquid decidat, ideoque super bursam, non a latere, sed in medio; & facta reverentia cruci, vel Imagini illi, quæ in sacristia erit. An hæc reverentia esse debeat cum profunda capitis, & humerorum inclinatione, Auctores non conveniunt: Nos autem cum majori Doctorum parte Gavan. par. 2. tit. 2. rub. 1. lit. 4., aliisque sequimur partem affirmativam, quia sic inclinatur Imagini Altaris in accessu ad ipsum, & recessu ab eodem. Prius se inclinat Sacerdos, quam Minister, qui, si in Sacristia Crux adsit, vel quid Cruci æquivalens, dum sacerdos se inclinat, genuflectit, aliter profundius tantum se inclinat.

XXVI. An Sacerdos paramentis jam indutus sacerdotalibus exeundo e Sacristia, ut ad Altare accedat, teneatur aquam suscipere benedictam, ut ea se signet, non conveniunt Doctores. Nos autem sententiam negativam tuemur; tum quia Cæremoniale Episcoporum præcipit quidem aspersionem in ingressu ad Ecclesiam, non vero indutis sacerdotalibus paramentis; forsan etiam, ut inconveniens evitetur, madefaciendi, seu labefactandi paramenta ipsa, tum quia a Missali Romano aquæ benedictæ susceptio non præscribitur in memorato egressu; & propterea nec Gavantus, nec Quarti, neque Gastaldus de aqua benedicta tunc suscipienda mentionem faciunt: huic sententiæ favet quoque Pater Angelus Serafinus de Florentia in suo Rituali recenter edito sub anno 1735. SS. D. N. Benedicto Pap. XIV. dicato. Supponitur equidem, quod Sacerdos celebraturus ad Sacristiam accedens, in hujus ingressu aqua benedicta se muniat, aut in ingressu Ecclesiæ.

XXVII. Hinc distinguitur duplex reverentiæ genus juxta rubricas, quia reverentiæ nomen genericum est sub se comprehendens genuflexionem, & inclinationem, sic Bauldry part. 3. tit. 2. rub. 1. n. 1. De genuflexione disseremus inferius. Loquendo hic de inclinatione, hanc triplicem esse communiter affirmant doctores, scilicet profundam, mediocrem, & minimam. Profunda est inclinatio omnium humillima, & fit inclinando non solum caput, sed & modicum corpus; ita ut extremitatibus manuum genua possint deprehendi. Sic Tonellius lib. 3. cap. 1. §. 4. Sacerdos autem hac inclinatur inclinatione quoties præscribitur in Rubricis. Inclinatio, seu reverentia mediocris, moto vix medio corpore importat notabilem humerorum inclinationem, quæ exhibetur quando notatur absolute in rubrica *inclinatio*, vel adduntur illæ particulæ, *aliquantulum*, *parum*, aut *mediocris*, *parva*, *ordinaria*. Minima importat solius capitis inclinationem rectam versus pectus, & observatur quando a rubrica ordinatur inclinatio capitis, ut infra patebit, quando majoris gratia claritatis subdividetur; animadvertendum tamen, quod quælibet supradictarum inclinationum exerceri debet pedibus immotis, & æqualiter consistentibus. Ita Bonamicus par. 1. obs. 12. n. 2.

XXVIII. Capite itaque cooperto accedit ad Altare, absque aspersione aquæ benedictæ, ut supra diximus, facit tamen reverentiam capite pariter cooperto Imagini principali &c. Sic Bauldry part. 3. tit. 2. rub. 1. n. 1. Ministro præcedente cum Missali, & aliis ad celebrandum necessariis; capit autem minister Missale apponendo manus inferioribus hujus angulis, illudque sustentans ante pectus; ita Gavantus supra lit. B. nisi ante alia ad celebrandum ultra Missale necessaria fuerint præparata: ut magis oporteret, præcedit quoque superpelliceo indutus, tribus, aut quatuor ad summum passibus eadem modestia, quæ sacerdoti præscribitur, ut advertit Gavantus par. 2. tit. 2. rub. 1. n. 1. lit. C. hoc est oculis demissis, incessu gravi, erecto capite. Doctores non conveniunt, an submissa voce dum procedit sacerdos ad Altare, licitum sit aliquos psalmos recitare, aut aliquas devotas preces seu orationes; nos sequimur partem affirmativam, quia rubrica nihil præscribit, unde ad libitum potest unusquisque pro sua devotione recitare quidem submissa voce orationes, aut psalmos, qui ei magis placuerint, absque hæsitatione, seu periculo addendi novum aliquid missæ contra Bullam Sancti Pii V., quia missa inchoatur ad Altare, non vero in accessu; sic major Doctorum pars, quicquid sentiat Cabrinus in contrarium, cap. 2.

XXIX. Si vero contigerit Sacerdotem transire ante Altare Majus, ubi Eucharistia asservatur Sacratissima, capite cooperto genuflectere debet; si vero sanctissimum ibi non servetur Sacramentum, capite semper cooperto faciat ei reverentiam profundam, hoc est inclinatione capitis, & medii corporis, nisi adsit antiqua consuetudo discooperiendi caput ad majorem populi ædificationem, uti sentit Lohner part. 2. tit. 4. num. 1. In quo casu Sacerdos discooperto capite deberet se inclinare. Hanc profundam inclinationem debet facere celebrans, si transeat ante Reliquiam insignem, aut solemniter expositam, aut si fiat de ea in illa die officium, vel festum, aut apud populum habeatur in magno honore. Sic Bauldry, supra cum aliis. Doctores non conveniunt, an in tali inclinatione sit discooperiendum caput. Nos sequimur sententiam negativam, ea fulti ratione, qua Cruci expositæ, tum in Sacristia, tum in Altari, ac Eucharistiæ ipsi servatæ in Tabernaculo, exhibetur quidem proportionata reverentia, sed tecto capite, unde a fortiori &c. sic Bauldry, aliique sentiunt. De aliis Reliquiis si forte distribuantur ad Altaris ornamentum, considerantur, ac si non essent. Hinc si in Altari, in quo reliquia ostenditur, pariter Sacratissima servetur in Tabernaculo Eucharistia, sufficit si tecto capite genuflectatur, nisi capitis discooperitio esset de legitima consuetudine illo in loco, in quo casus. Si forte transeat per Chorum dum recitatur *gloria Patri*, aut alia oratio, cui debita sit capitis inclinatio, debet sistere gressum, donec persolvatur absque ulla tamen inclinatione. Si obviat sacerdoti parato an deceat illum salutare inclinatione capitis, esto non conve-

niant

niunt Doctores intér se, nos dicimus, quod eum talis mutua reverentia non præjudicet, nec dignitati sacerdotis, nec delationi calicis, facienda est; sic Tonellius lib. 3. cap. 1. aliique. Si transeat ante Prælatos, Magnates, & Clerum capite semper cooperto plus, minusque, prout eorum dignitas postulat, debet item se inclinare, quia generaliter loquendo ratione Calicis delationis nemini debet caput discooperire, uti notat Cæremoniale Episcoporum l. 2. c. 8. cæterum exceptis supradictis, etiam salutatus neminem debet salutare. Si ante locum Sacramenti, etiamsi Sacramentum inclusum sit in Tabernaculo, transeat, adhuc cooperto capite genuflectere debet. Ita Bauldry part. 3. supra n. 3. cum Gavanto.

XXX. Pro genuflexionum methodo, illud generaliter tenendum est, quod si contingat genuflexio cum transitu, fit unico genu, si cum aliqua morula, utroque genu; in omnibus genuflexionibus tamen debet Sacerdos descendere recto corpore, recto capite, & non demisso deponendo genu dextrum usque ad terram juxta calcaneum sinistrum, si genuflectat unico genu; & si utroque genu genuflectat, apud genu dextrum deponat sinistrum. Si autem ante Altare, ubi celebratur Missa, transeat, sacerdos tempore elevationis Sacramenti similiter genuflectat, & detecto capite, illud adoret, nec ante surgat, quam celebrans deposuerit Calicem super corporale. Hæc genuflexio juxta generalem supra traditam regulam debet fieri utroque genu, est enim cum morula. Cum discooperit caput, magis decet, quod biretum tradat ministro, donec caput sit iterum cooperiendum; vel si birretum non tradat Ministro, illud tenere debet manu demissa, & ita ut pars aperta seipsum respiciat, & nullatenus poni supra Calicem: Ita Bonamicus part. 1. obs. 3. n. 2. Perseverat genuflexus donec depositus sit in altari Calix, aut Pixis in Eucharistiæ administratione, si paucis administranda sit, quia casu, quod multus populus foret communicandus, peracta adoratione supra præscripta, celebrans prius tecto capite debet surgere, & ad Altare procedere, aut etiam ad sacristiam, si ab Altari recedat. Postquam surrexit a genuflexione, nullam aliam genuflexionem facit, nisi adhuc transiturus sit ante medium Altaris, ubi servatur Sanctissimum Sacramentum. Si transeat ante Altare, ubi adsit celebrans, qui jam consecrationem peregit, & advertat, quod non assumpsit, jam unico flectit genu, & postea caput detegit, surgit, & procedit: Si obviam habet Sacerdotem Augustissimam deferentem Eucharistiam per Ecclesiam, genuflectit duplici genu: ita Bonamic. part. 1. obs. 12. n. 9. Si transeat ante Venerabile publicæ adorationi expositum, Doctores non conveniunt, an adorandum sit genuflexo utroque genu; Nos tamen affirmativam sequimur sententiam, imo potius hic, quam in aliis supradictis circumstantiis, sic sustinemus esse faciendum, ratione majoris solemnitatis, quæ hic intervenit, magis quam alibi. Celebraturus si sit in Altari, ubi expositum sit Sanctissimum Sacramentum, indubitanter debet in plano cum ad Altare accedit utroque genu flectere.

XXXI. Cum pervenit ad Altare, ubi celebraturus est, stans ante illius infimum gradum, si per portam constitutam versus cornu Epistolæ sit ad Altare exeundum, minister paulum retrocedens, facit Sacerdoti prætereunti copiam, si versus cornu Evangelii, Minister cum debita genufixione procedit ulterius ad portam Epistolæ. Sic Bauldry part. 1. c. 17. n. 14., in qua consistit a dextris celebrantis, sed aliquantisper retro, uti subdit idem Bauldry. Celebrans stans ante Altare ut supra caput detegit, neque enim decet capite cooperto celebrare absque legitima causa, ac Pontificia dispensatione, sive cooperitio fiat birreto, sive pileolo, sive omni alio modo, neque ab hac capitis discooperitione licet Episcopo dispensare. Sic Gavantus part. 2. tit. 2. rub. 2. lig. *. Ubi Canones ipsis etiam Episcopis leges imponunt (totam enim rem sacram peragere cooperto capite nec ipsi Episcopi possunt, legi etenim subjecti, ab ea lege sicut nec se, ita a fortiori alios dispensare non valent), nisi facultas dispensandi illis sit specialiter impertita: ita Hostiensis in cap. 1. de sup. negl. Prael. in 6. Detecto capite celebrans birretum Ministro porrigit, digito indice, & medio capit birretum per cornu medium extrinsecum, & deponit, ministro manu dextra biretum accipiente, cum osculo, vel quasi osculo illius, illudque ad minorem sinistræ manus digitum appendit, nulloque modo recipit super missale: sic Bonamic. supra; & Altari, seu Imagini crucifixi desuper positæ profunde se inclinat. Dum celebrans profunde se inclinat, minister in casu hoc genuflectit; An postea minister genuflectere debeat toties, quoties transit ante Altare, non conveniunt Doctores; Nos tamen ratione crucis, sumus pro parte affirmativa cum Bauldry supra, aliisque. Si autem sit in eo Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti, genuflectens debitam quoque addit reverentiam, absque ulla tamen corporis inconcinnitate, genuflectit unico genu; quidquid dicant in contrarium aliqui; qua facta cum debita reverentia genuflexione, nullam aliam debet superaddere; majori enim exhibita reverentia, cessat minor, nisi aliter expresse notetur, ob specialem aliquam rationem. His peractis ascendit ad medium Altaris, ministro pariter surgente, & per planum ad partem lateralem Epistolæ deambulans deponit biretum loco congruo, sed extra Altare, & postmodum per idem Epistolæ cornu ascendit ad Altare, deponit super cussinum librum clausum cum parte, quæ aperitur, respiciente Altaris medium, quo facto Minister per eamdem viam descendens vadit per planum, & facta in medio Capellæ genuflexione consueta, genuflexum se sistit a parte Evangelii anteriori in plano per duos circiter, aut tres cubitos ab infimo gradu distantes, ut sit post Celebrantem.

XXXII. Ibi ad cornu Evangelii celebrans sistit calicem, ut magis ad manus, extrahit corporale de Bursa, quod extendit in medio Altaris super Aram consecratam ambabus manibus, nullatenus autem excedere debet anteriorem Mensæ partem, sed tantum Corporalis ora extremitates anteriores tangat, ut sacerdos manus commode intra corporale contineat tempore consecrationis juxta doctrinam Tonellii, lib. 2. tit. 2. rub. 2. n. 3. Gavanti, aliorumque. Si, ut decet, in corporalis extremitate sit descripta Crux, extremitas hæc collocari debet ad partem Altaris anteriorem, ut Celebrans osculando Altare, illam quoque osculetur. Ita Bauldry part. 3. supra n. 3., cum Gavanto; & super corporale Calicem coopertum velo collocat ambabus manibus, & undequaque illud tegit, aut saltem in tota anteriori parte, si velum sit parvum; Bursam autem ad cornu Evangelii collocat, parte ejusdem aperta respiciente Altaris medium, dummodo imagines, aut quid simile in ea non repræsentetur, in quo casu caput inverti non debet. Bursa deponitur sinistra manu, quæ illam jam apprehendit, dum super Altare dextera detinet corporale; sic Tonellius supra n. 5. deponitur inquam ad cornu Evangelii in loco congruo, ne inficiatur a cera defluente. Sic Tonellius supra n. 5.

XXXIII. Si paramenta in Altari accipit, hoc idem facere debet antequam descendat ab Altari, ut missam inchoet, ex defectu enim sacristiæ, ut diximus, toleratur paramentorum assumptio ex Altari. Advertendum cum Le-Brun. tom. 1. pag. 157. quod in veteribus ordinibus Romanis, & Auctoribus Ecclesiasticis usque ad sæculum XV. pars sinistra Altaris nuncupabatur dextera relate ad manum dexteram sacerdotis ad Altare conversi, & eorum, qui ad Ecclesiam veniebant ingredientes, & e converso pars dextera Altaris nuncupabatur sinistra. Nunc autem dextera, & sinistra Altaris pars desumitur relate ad dexteram, & sinistram Crucifixi expositi in medio. Hinc sequitur, ut sinistra Altaris pars sit, in qua Epistola, dextra vero in qua Evangelium recitatur, ut in Pontific. Romæ edito anno 1485.

CAPUT VIII.

De præparandis pro Missa solemni.

I. IN sacristia supra digniorem mensam extendantur Paramenta consueta omnia sacerdotalia cum diaconalibus a dextris, subdiaconalibus a sinistris, coloris respectivæ festivitatis, & calix de more indutus ante vestes ipsas collocetur in medio, juxta Gavantum par. 2. tit. 2. rub. 5. lit. X. Hinc inde ponantur duo Missalia, a dextris unum pro sacerdote, a sinistris pro Diacono, & Subdiacono alterum; a dexteris Missalis pro sacerdote apte disponitur velum oblungum plicatum, imponendum subdiacono ad Offertorium, a sinistris Missalis pro Diacono, & subdiacono adhereat velum illud pariter plicatum ad cooperiendam Credentiam utrumque coloris Paramentorum: ita Bauldry par. 3. c. 11. art. 2. n. 1.

II. In alia Mensa concinne exponantur novem Cottæ pro novem Clericis, qui missæ inservire debent (clericorum nomine veniunt ministri non sacri, & ministrorum nomine veniunt ministri sacri diaconus scilicet, & subdiaconus) quæ omnes, aut saltem binæ sint inter se uniformes, & si quæ a ceteris differant, hæc distribuantur cæremoniariis. Ante Cottas, si sit spatium aptum, ponitur pelvicula cum campanula, & manatergio plicato, cum ampullis vitreis albo vino, & aqua plenis, ac operculo coopertis: a dextris pelviculæ collocatur Turibulum, a sinistris Navicula cum cocleare ac sufficienti Thuris puri, & boni odoris copia, cui si in solemnioribus alia addantur aromata, Thuris quantitatem non debent excedere, imo neque æquare; ut advertit Tonellius lib. 3. c. 2. §. 2. n. 10. cum aliis pluribus. In extremitatibus duo ponuntur mediocria candelabra cum suis candelis facile accendendis per Ceroferarios ferenda. Im promptu sint etiam intortitia pro Elevatione.

III. In Capella super Altare statuatur a parte Epistolæ Cussinus unicus, Paramentorum colori uniformis. Ante Altare a latere Epistolæ in plano presbyterii collocatur Credentia, quæ cooperitur linteo mundo, undequaque pendente usque ad terram; super hanc credentiam nec Crux ponitur, sicut nec Reliquiæ, aut Imagines, quemadmodum nec ulli gradus debent elevari, uti advertit Gavantus part. 2. tit. 2. supra. Post Credentiam versus cancellos excurrat scamnum oblongum, quod sex commode possit capere Clericos, vel duo scamna, si unum non sufficit, ponantur: Hoc scamnum debet esse nudum, coloratum tamen, sicuti scamna Canonicorum assistentium, ac inservientium Missæ Pontificali; ita Cæremoniale Episcoporum. Supra & prope eamdem credentiam stet scamnulum nudum, coloratum ut supra pro sessione primi Cœremoniarii, ultra scamnulum hoc versus Altare, cum debita intermedia distantia, disponatur scamnum aliquantisper longum cum postergali vestitum aliquo panno viridi decenti, super quo sedeat in medio sacerdos, & hinc inde Ministri: Sic Bauldry par. 3. sup. n. 6. scamnum certe si Cardinalis, Episcopus, Prælatus, aut loci Ordinarius, aut Superior illi Missæ præsens interesset. Cæterum statui possunt tres etiam sedes nobiliores, dummodo illa Celebrantis nobilior sit, & ministrorum brachiatæ non sint, si tales haberi possint; absente Superiore sub sedibus extendi potest tapete. Pradella ordinarie non adhibetur, nisi celebrans sit Archidiaconus, Archipresbyter, aut Superior localis, ratione jurisdictio-

pis quasi Episcopalis, quibus neque denegatur bacile cum buccali mediocris formæ pro manuum ablutione: ita Bauldry p. 3. n. 2.

IV, Pariter quando celebraret Provincialis, aut Generalis alicujus Religionis in Ecclesiis suæ Provinciæ, vel Ordinis, sedere possent ad partem Evangelii, uti sedet Episcopus, loquendo tamen de sola sessione ratione loci; sic Bordonus Con. 5. Reg. par. 2. ref. 64. n. 7. cum Diana, aliisque; tum quia in Ecclesiis sibi subjectis comparantur cum Episcopis, Patriarchis, & Primatibus; tum quia sunt Principes in suis Religionibus; tum tandem quia etiam Abbates Regulares non pontificantes ibi sedent juxta Cœremoniale Canonic. Regul. S. Salvatoris cap. 17. pag. 56.

V. Pro Cœremoniariis ponuntur duo scamnula in loco apto, ut primus Cœremoniarius a sacerdote, & ministris, dum admonet, & secundus a Clericis videri possit. Hinc primus Cœremoniarius potest sedere in plano anguli prope cornu Epistolæ, facie conversa ad populum; secundus vero ad Cancellos, facie directe ad primum Cœremoniarium conversa. Post Altare, si potest, aut in sacristia, si non multum distet, vel in alio loco remoto oculis populi, quantum fieri potest, paretur vas cum carbonibus accensis pro usu Thuribuli, ac forcipe ad capiendos carbones in Thuribulo ponendos.

VI. Missale aperitur super Cussinum existentem in cornu Epistolæ in pagina, ubi legenda est missa currentis solemnitatis; Calix vero, aliaque necessaria præparantur in Credentia cooperta linteo a secundo Cœremoniario, a quo deferuntur; Calix collocatur in media parte anteriori, cujus parvum velum ex anteriori parte debet cadere supra mensam, non ultra; Bursa parte aperta parietem respiciente, ut bene administrari possit, dum exhibetur per Cœremoniarium diacono in symbolo. A parte dextra anteriori versus Altare deponatur liber pro Evangelio, & Epistola, ita ut relinquatur aliquid loci pro Thuribulo ibi collocando, quando occurrit. A parte sinistra sternitur velum oblongum subdiaconi, ita tamen, ut supersit spatium pro Navicula suo tempore ibi ponenda. Pelvicula cum ampullis, Mappula, & Campanula, statuitur in medio paris posterioris, parietem respicientis. In Credentiæ corolbus situs servatur pro Candelabris ceroferariorum. Hæc omnia cooperiuntur alio velo longo ad terram ferme pendente; Ita Arnaud, par. 2. tit. 2. n. 12.

VII. Clerici paulo ante Missæ initium, & antequam transportentur necessaria ad Credentias, vestiunt superpelliceum. Cœroferarii, statura circum circa pares, accipiunt candelabra nudis semper manibus, & discoopertis, cum cereis accensis, itaut primus Cœroferarius a dextris ponat dextram manum in medio candelabri globo, sinistram autem in pede; secundus autem accipiat globum in sinistra, pedem in dextra manu, & utraque manus pedem tenens correspondeat cingulo. Ita Bauld. sup.

VIII. Navicularius accipit naviculam, clausam in pede, itaut pars, quæ aperitur, non respiciat pectus, ut facilius, & promptius administretur, quidquid alii sentiant. Thuriferarius vero assumit Thuribulum cum prunis, pollice dexteræ manus tenens illud per annulum majorem, & per majorem simul cooperculi catenulam elevans digito annulari; superpellicei manicam dexteram inde reflectit super brachium dextrum, ne comburatur; Sic Cœremoniale Episcoporum. Clerici sic instructi, ne transeuntes impediant, poterunt recedere ad aliquam lateralem sacristiæ partem. Ministri, quando tempus advenerit, vocatis per secundum Cœremoniarium duobus Acolythis ad mensam paramentorum, primus adjuvat diaconum, secundus subdiaconum dum parantur. Uterque Minister post manuum lotionem sua paramenta capit, excepto manipulo, quod assumunt solum postquam celebrantem vestierint. Ministri adjuvantes Celebrantem non tenentur recitare cum ipso respectivas vestium Sacrarum Orationes in Missali assignatas; possunt tamen pro arbitrio; quidquid aliqui dicant in contrarium; Rubricæ enim loquuntur de solo celebrante.

IX. Si Celebrans sit in aliqua dignitate constitutus, aut illius diei celebritas majorem exigat solemnitatem, postquam oraverit manus lavat, aquam sibi porrigente primo Acolytho, & ministris exhibentibus manutergium. Si autem in dignitate non sit constitutus, & adsit lavatorium, ad illud utique pro lavandis manibus debet accedere; ut acolythi hæc, & alia munia prompte, & expedite præstare possint stant post Ministros; & inter Acolythos mediant Cœremoniarii, si alibi non detineantur; ita quod omnes cum ministris efforment semicirculum. Porro Diaconus principaliter inserviens aperto capite amictum porrigit Sacerdoti, illud osculando prope Crucem; postea albam, cingulum; inde manipulum subdiaconus offert cum osculo pariter prope crucem, illudque cingit; inde diaconus planetam imponit; Ita Cœremoniale Episcoporum libro primo, cap. 19. &c.

X. Parato Sacerdote recedunt Acolythi ad suum locum, & dato signo inchoandæ missæ per primum Cœremoniarium, secundus Cœremoniarius Thuriferarium, & Navicularium deducit ad Sacerdotem, ad imponendum incensum, si sit mos imponendi; diaconus ministrat naviculam, Thuriferarius Thuribulum, & Sacerdos omnibus caput discooperientibus incensum imponit, Bauld. par. 3. cap. 11. art. 4. n. 1. Sacerdos de more benedicit incensum, dicens benedictionem illam: *Ab illo benedicaris &c.* Sic sentimus cum Bauld. supra, Gavant. aliisque, quidquid in contrarium sentiat Corsettus.

XI. Antequam Celebrans cum Ministris, & Inservientibus clericis e sacristia discedat, Imagini principali faciunt inclinationem nudatis capitibus, eo quod Celebrans tunc non defert calicem; ratione cujus, ut diximus, nemini birretum levat, sed cruci, & Præsulibus sese inclinat cooperto capite; ita dicimus cum Bauldry part. 3. supra art. 4. n. 2. quidquid alii in contrarium sentiant. Postea omnes cooperiunt caput, invertunt faciem versus januam, ut clericos prosequantur abeuntes, & prosequuntur unus post alium, ita tamen ut ultimus procedat celebrans, ante hunc diaconus, cui præcedit subdiaconus; sed prius Ministri tecto capite salutant celebrantem, quasi se ejus precibus in Missa commendantes, quibus etiam celebrans tecto capite aliquantulum se inclinans correspondet.

XII, Cœroferarii ante eos deferunt candelabra cum candelis accensis. Ante hos ambulat Thuriferarius cum Naviculario; post hos sequuntur Acolythi pares, sicut etiam bini, seu pares debent procedere Ceroferarii, & non unus post alium, nisi ratione angustiæ loci pares non possint incedere. Si unicus sit Cæremoniarius, omnes debet præcedere, ut possit obviantia submovere impedimenta in via ad Altare, quod non ita facile potest supplere Thuriferarius; ita Gattald. lib. 1. sect. 1. c. 1. n. 17., & nos cum ipso, quidquid alii in contrarium sentiant: si autem duo adsint Cœremoniarii, dicimus, quod secundus Cœremoniarius debet antecedere Thuriferarium propter rationem supra dictam. Primus vero debet incedere ante subdiaconum cum Clerico inserviente de libro a sinistris sui, Hæc dicta sint de egressu Missæ solemnis in diebus solemnitatis ordinariæ. Cæterum in die celebritatis extraordinariæ, verbi gratia pro canonizatione alicujus Sancti, pro dedicatione Ecclesiæ &c. posset institui processio ad Altare, etiam majori cum apparatu &c. Cum pervenerint ad credentiam, Ceroferarii deponunt candelabra, & collocant ea in cornibus posterioribus, & ibi remanent accensa pro toto Missæ tempore; ita dicimus cum Bauldry, quidquid alii in contrarium sentiant, quia cito in cornibus anterioribus presto forent Ceroferariis, nihilominus facile possent e credentia deturbari &c.

XIII. Cum pervenerint ante infimum gradum Altaris, Ministri cum Celebrante, ac Clerici, an debeant in recta linea ante ipsum consistere, non conveniunt Doctores. Nos autem sumus pro parte negativa, supposita etiam sufficienti amplitudine Presbyterii, ut commode, & cum debita distributione, seu distantia inter se disponant; quia regula generalis est, quod ministris dignioribus dignior assignetur locus, inferioribus ministris inferior: unde in Missa Pontificali ministri inferiores, imo nec omnes ministri sacri stant in eadem linea cum Episcopo; solus enim Presbyter assistens, & Diaconus stant in eadem linea cum Episcopo. Dicendum igitur quod secundus Cæremoniarius debet se collocare in distantia quatuor, aut quinque passuum ante ipsum Altare in plano, quasi in medio potius a parte Epistolæ, & clericus de libro a parte Evangelii; ad sinistram Clerici de libro Navicularius; ad sinistram Navicularii Acolythus secundus; ad sinistram secundi Acolythi secundus Ceroferarius; ad dexteram secundi Ceroferarii ibit Thuriferarius; ad dexteram Thuriferarii, primus Acolythus; ad dexteram Acolythi primi primus Ceroferarius; in medio, sed in eadem linea, consistet primus Cœremoniarius; Immediate ante gradus omnino in medio stabit Celebrans cum Diacono a dextris, & Subdiacono a sinistris; ita Cæremoniale Episcoporum lib. 2. c. 8.

XIV. Celebrans, & ministri deponunt birretum, Sacerdos suum tradit Diacono, qui recipit illud cum osculis, & simul cum proprio cedit primo Cæremoniario, cui similiter Subdiaconus suum tradit. Tandem omnes genuflectunt unico genu si Tabernaculum adsit cum venerabili incluso, unusquisque in suo loco, adeoque celebrans, & ministri super infimum gradum, Clerici omnes in plano; si Venerabile non adsit in Altari (ut adesse non deberet juxta Cæremon. Episc. l. 2. c. 8.) adhuc omnes genuflectunt, ut supra, excepto celebrante tantum profunde se inclinante, sic Bauldryus part. 3. ut supra. Ibi melius inter Diaconum a dextris, & Subdiaconum a sinistris, antequam ascendat ad Altare, Sacerdos facit cum ipsis ut infra confessionem, & clerici secedunt ad sua loca, & ibi illico, & immediate genuflectunt. Secundus Cæremoniarius deponit omnia birreta accepta a primo Cæremoniario super scamno, aut sedibus, ubi celebrans, & ministri sessari sunt, aut in alio loco decenti; nullatenus super credentiam, & multo minus super Altare; ita Gavant. supra; deinde vadit ad suam sedem paratam. An Thuriferarius, Navicularius, & utrique Acolythi debeant recedere, non conveniunt Auctores. Nos sumus pro sententia affirmativa cum Gavanto, Bauldry, aliisque, quia si ante Altare persisterent, & tunc, & pro decursu actionis inutiliter impediretur tum expeditus ministrantium transitus, tum populi circumstantis aspectus.

XV. Posito quod Acolythi secedere debeant ad suum scamnum, etiam Thuriferarius cum Naviculario sese recipere debent ad idem scamnum, non prope ad partem Epistolæ; quidquid alii teneant in contrarium; quia tam bene possunt procedere ad Altare pro administrando incenso facta confessione a suo scamno, quam a parte Epistolæ. Insuper ad nihil inserviret locus ille extraordinarius, quem occuparent, ut advertit Gavantus supra. Igitur post clericum de libro, primi se conferunt Thuriferarius, & Navicularius; deinde Acolythi; tandem Ceroferarii; secundus Ceroferarius, & secundus Acolythus debent advertere, ne in transitu ante medium Altaris iterum genuflectant. Primus autem Ceroferarius, & sic primus pariter Cæremoniarius respectu sui socii advertant expectare in suo loco socium, ut simul ad credentiam accedere possint, & ibi statim deponere candelabra, prout superius dictum est.

XVI,

XVI. Dum Clerici se sic disponunt, & genuflectunt, facit celebrans confessionem submissa voce, ut in missa privata respondentibus ministris, qui cum dicunt *Confiteor tibi Pater, & te Pater*, ad celebrantem se convertunt, & profunde inclinant; pariter se convertunt ad celebrantem usque ad finem dum dicunt, *Misereatur tui &c.* semper postea cum Celebrans se inclinat, ipsi quoque, sed profundius, se inclinant. Ad vocem *Oremus* ipsi non deducunt manus; solum statim ac celebrans incipit confessionem Chorus cantat *Introitum*, numquam dum adhuc celebrans degit in sacristia.

CAPUT IX.

De Missæ Introitu usque ad Gloria in excelsis inclusive.

I. INtroitus modo dicitur, quia eo ad Missam inchoandam veluti intratur, seu ingressus fit, ideoque in missali Ambrosiano adnotatur hoc vocabulo *ingressa*. In assignando Introitus Missæ Auctorem discrepant inter se Doctores. Valfridus enim Micrologus, aliique, quos refert Torres Instit. Sacerdot. tit. de sacrificii oblatione pag. 6. existimarunt fuisse S. Cælestinum I. Honorius lib. 1. in gemma animæ c. 87., & Brunus de Cæremoniis lib. 2. c. 1. pag. 28. putant fuisse S. Gregorium, & horum opinio probabilior existimatur; composuit enim Sanctus hic Pontifex Antiphonarium ex libro psalmorum selectis Antiphonis, aliis ad Introitum, aliis ad responsoria, aliis etiam ad offertoria inservientibus, & si qui pauci sunt Introitus ibi non e psalmis, sed aliunde selecti, a Durando appellantur irregulares, quia ut plurimum, & juxta universalem regulam Introitus constat ex antiphona, & psalmo cum gloria patri. Unde Introitus, qui dicitur in die Nativitatis Domini; *Puer natus est nobis*: In die Ascensionis Domini; *Viri Galilei*: In Pentecostes; *Spiritus Domini*: In Festo S. Petri Apostoli; *Nunc scio vere*: omnes dicuntur irregulares, etiamsi desumpti sint ex Sacra Scriptura, quia adhuc non sunt secundum generalem supra dictam Regulam. Eo magis etiam irregulares hac ratione dicuntur Introitus illi, qui neque e Psalmis, neque e Sacra Scriptura deducti sunt; uti *Salve Sancta Parens. Gaudeamus omnes in Domino. Benedicta sit Sancta Trinitas &c.*

II. Olim Antiphonæ *ad Introitum* illæ dicebantur, eo quia a Choro decantabantur populo introeunte in Ecclesiam, nec harum terminabatur cantus, quousque imperturbato ordine, sive Pontifex, sive ceteri Ecclesiastici ordines, secundum suam quisque dignitatem, Ecclesiam ingressi, congruam stationem jam suscepissent. Integer etiam psalmus cum *Gloria Patri* olim in Introitu recitabatur; & a Sæculo octavo circum circa tantum incepit ritus recitandi solum paucos quosdam versus, e psalmo ipso depromptos cum *Gloria Patri &c.* In Missa cantata pariter olim Introitus canebatur a Choro, absque eo quod celebrans illum recitaret; quia tamen sæpe sæpius occurrebat celebrantem non posse intelligere, quæ canebantur a Choro, sive in Missis cantatis, sive privatis missis, semper postea introitus a celebrante etiam recitabatur, sicuti modo fit, quo lecto se transfert celebrans ad medium Altaris, & dicit *Kyrie eleison*.

III. Hoc verbum *Kyrie eleison* idem significat, ac si latine diceretur, *Domine miserere*, unde nihil ad ea, quæ nobis sunt necessaria, consequenda, hac petitione accomodatius; & si enim vitam omnibus virtutum numeris absolutam laudabiliter, uti decet, duceremus, Dei semper misericordia omnes indigemus, juxta illud Augustini: *Veh laudabili Hominis vitæ, si seclusa misericordia eam discutias*. Nihil igitur hac petitione in Missæ sacrificio repetendum magis; hinc consulto hac ratione olim præfinitum non erat quoties petitio hæc *Kyrie eleison* esset dicenda, sed toties dici sinebatur, quoties celebranti pro sua devotione placuisset, ut videre est apud Martene de antiquis Ecclesiæ ritibus lib. 1. c. 4. art. 3. n. 5. ubi sic legitur: *Interim cantato, & repetito semel, & iterum pro solemnitatum varietate introitu, Chorus subjungit Kyrie eleison, Christe eleison, quod tamdiu olim repetebat donec subsistendum celebrans innuisset*: modo autem ad ritus uniformitatem servandam, & ne nimis prolixa harum precum repetitione audientes missam tædio afficiantur post introitum, attentis a celebrante, & ministro vocibus, ter dicitur *Kyrie eleison*, ter *Christe eleison*, & iterum ter *Kyrie eleison*. Quod fit quoque in Missis, quibus anteponuntur Litaniæ, in quarum recitatione petitio hæc *Kyrie eleison*, sicut & *Christe eleison* pluries repetitur; & ratio est, quia cum Litaniæ recitantur nondum inchoata est Missa. Olim in Missis, quæ post litanias celebrabantur, hujus petitionis *Kyrie eleison* recitatio omittebatur, eo quod in ipsis Litaniis jam peracta fuisset, ut habet Mabillonius in Commentariis in Ordinem Romanum art. 6. n. 3. his verbis: *Verum in iis Missis, quæ litaniis sequebantur Kyrie eleison omitti mos erat, ut ex libellis nostris patet, ob eam videlicet causam, quod in litaniis jam cantatum fuisset.*

IV. Supradicta *Kyrie eleison* facta repetitione dicitur *Gloria in excelsis*, si ex rubrica dici oporteat: Siquidem Hymnus hic non in omnibus dicitur Missis, non inquam recitatur in Missis Mortuorum, ac feriarum infra annum extra tempus Paschale, neque in iis, quæ dicuntur in Dominicis septuagesimæ, sexagesimæ, Quinquagesimæ, & Quadragesimæ, totoque Passionis tempore, ac similibus, eo quod hymnus sit spiritualis lætitiæ, cui locus dare non convenit pro diebus luctui, ac pœnitentiæ præcipue dicatis, qua ratione excipitur feria V. in Cœna Domini, quia in hac feria jam lætitia inchoatur Paschalis. Hinc Divus Thomas in tertia part. quæst. 8. art. 4. loquendo de hoc hymno hæc habet: *Tertia autem pars commemorat cælestem gloriam, ad quam tendimus post præsentem vitam, & miseriam dicendo*: Gloria in excelsis Deo, *qui cantatur in festis, in quibus commemoratur cælestis gloria; intermittitur autem in Officiis luctuosis, quæ ad commemorationem miseriæ pertinent.*

V. Si sermo instituatur de hymni hujus principio, nemo est, qui nesciat hunc ortum esse ab illa Angelorum cælesti multitudino, qui nato Domino cecinerunt: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Si vero de ceteris verbis hunc glorificationis hymnum prosequentibus inquiratur, hoc unum certum est, quod non ab Angelis, sed ab Ecclesiasticis pussimis, ac doctis hominibus addita fuere, uti expresse Concilii Toletani Patres asseruerunt his verbis: *Reliqua, quæ ibi sequuntur, Ecclesiastici Doctores eas posuerunt*. Quinam postea Ecclesiastici Doctores isti fuerint, incertum est juxta Cardinalem Bona Rerum Liturgicar. lib. 2. c. 4. n. 4., ubi sic, *Prima hujus hymni verba, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, e Cælo ad nos Angelorum voce derivata sunt, cætera quis addiderit, incertum est*. Non desunt tamen qui asserunt, sanctum Thelesphorum Papam hymnum hunc cælestem fuisse prosequutum; alii sentiunt Hilarium Pictaviensem Episcopum, ut scribit Innocentius III. lib. 2. Mysteriorum missæ, cap. 20. Nonnulli putant a Græcis promanasse, & Torres Inst. sacerdot. de sacrificii oblatione num. 64. pag. 94. opinatur ab Apostolis fuisse prosequutum. Quidquid sit de istis opinionibus, hoc verum est, quod Patres Concilii Toletani IV. anno 633. habiti, *de Gloria in excelsis*, verba faciunt tamquam de oratione, ut supra a pluribus Doctoribus composita, quæ in officiis recitabatur, & in publicis acclamationibus cani consueverat; unde habemus, quod hanc Orationem cecinerit Leo III. cum obviam iret Pipino Caroli Magni filio, ut videre est apud Auctorem Tractatus *de Missa, divinisque Officiis*, secundæ editionis Parisiensis anno 1714. pag. 19., & 20. qui etiam indicat hymnum hunc in Missa recitari cœptum sæculo VII., non quidem generatim in omnibus Missis, sed in Missa tantum Nativitatis Domini: Cum enim in hac die facta fuerit cum Angelis multitudo cælestis laudantium Deum, & dicentium; Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, ut habetur *Lucæ* 2. sic congruum fuit, quod in hac missa inchoaretur ritus canendi hymnum, *Gloria in excelsis*, & ut servaretur memoria, quod a Græcis nobis pervenit, in prima Missa græce, in secunda latine canebatur. Hoc totum colligitur ex quodam Anonymo libro, cujus titulus *Speculum Ecclesiæ*, ubi hæc habentur: *in hac Missa* (scilicet Nativitatis Domini) *cantatur Gloria in excelsis, quod antea tacebatur; solus sacerdos præcinit hac nocte, mox cum eo totus Chorus. Nos* (scilicet in Ecclesia Turonensi) *canimus illud græce juxta morem antiquum Ecclesiæ Romanæ in prima quidem missa, sed in secunda latine.*

VI. Postquam missa Nativitatis Domini cantari cœpit cum Hymno, & Gloria in excelsis, qui antea ab aliquibus tantum in officio dicebatur, aut post missam; unde fertur Sanctum Benedictum suis Monachis jussisse, ut eum in laudibus recitarent, & ut testatur S. Gregorius Turonensis, mos jam fuerat in Galliis illum recitandi post missam ad modum gratiarum actionis pro re bene se habita, cœpit ritus hic ad alias quoque missas extendi; & quia hac hymni cœlestis recitatione veluti exprimitur Personarum dignitas, quibus præ aliis id permittitur, quod pene Angelicis Choris fuit a Deo concessum, ad solos Episcopos in ordine presbyterali digniores, & quidem tantum Dominicis, & festis diebus, missam celebrandi cum hymno, *Gloria in excelsis*, potestas data fuit, reservata pro Sacerdotibus non Episcopis hac facultate ad solius Paschatis diem festum, ut videre est in principio Libri Sacramentorum Sancti Gregorii, ubi sic scribitur: *Item dicitur Gloria in excelsis Deo, si Episcopus fuerit, tantummodo in die Dominico, sive diebus festis ...... a Presbyteris autem minime dicitur, nisi in solo Paschate*. Tractu postea temporis, hoc est paulo post X. Sæculum, non solum Dominicis, ac festis diebus, sed etiam in missis per annum presbyteris omnibus potestas data fuit celebrandi cum Hymno, *Gloria in excelsis*.

VII. In hoc hymno tantæ devotionis, ac pulchritudinis, verba nulla expositione indigent, præter illa quibus dicitur: *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam*. Magnæ enim Dei gloriæ, potius, quam gratiarum actio, procul dubio honor, obsequium, reverentia, ac prostratio debetur: dicendum igitur, quod ibi *Gloriam*, usurpetur pro eo attributo, in quo Deus ipse summe gloriatur, scilicet pro ejus misericordia, quæ erga nos exercita, semper in ipsius Dei miserentis vertitur gloriam; sæpenumero etiam in Sacris Scripturis gloria pro misericordia accipitur, sicut ex verbis Apostoli, ad Romanos c. 3. *Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei*, id est Dei misericordia.

VIII. Inter partes Missæ sacrificium componentes enumeratur etiam populi salutatio, quæ pluries in missæ progressu fit, & incipit post Hymnum Angelicum *Gloria in excelsis*, in missis, in quibus a rubrica præscribitur, & post *Kyrie eleison*, in quibus non dicitur hymnus angelicus. Hujus salutationis formula in Ecclesia Occidentali generaliter pro Sacerdotibus est illa, *Dominus vobiscum*, cui minister pro populo respondet, *Et cum Spiritu tuo*; Pro Episcopis vero in diebus lætitiæ: *Pax vobis*; in diebus pœnitentiæ pariter, *Dominus vobiscum*. In Ecclesia Orientali formula salutandi est, *Pax omnibus*, & eruitur ex

Litur-

Liturgiis Basilii, & Chrysostomi. Itaque formula salutandi populum dicendo *Dominus vobiscum* originem traxit ab ea salutatione, quæ legitur in Libro Ruth, *Dominus sit vobiscum*. Illa vero quæ fit dicendo *pax vobis* ex ipsis Christi Domini verbis, quibus post resurrectionem suam Discipulos salutavit, desumpta est. Ex quibus colligitur vetustissimum esse morem salutandi populum, & consequenter in Missam ab Apostolis ipsis invectum fuisse; unde in Concilio Bracarensi can. 21. sic habetur: *Placuit, ut non aliter Episcopi populum, sed uno modo salutent, dicentes Dominus sit vobiscum, sicut in libro Ruth legitur, & ut respondeatur a populo, & cum Spiritu tuo*; sicut, & ab ipsis Apostolis traditum *omnis retinet Occidens, & non sicuti Priscilliana pravitas immutavit*.

RITUALIA.

IX. Collocato Calice in medio Altaris super corporale, facta prius Cruci reverentia accedit ad cornu Epistolæ, aperit Missale, deinde manibus ante pectus junctis redit ad medium Altaris, ubi facta primum cum capitis inclinatione profunda reverentia Cruci, absque oculorum elevatione, se vertit a cornu Epistolæ, quod semper facere debet, cum se vertit ad salutandum populum dicendo, *Dominus vobiscum*; descendit post infimum Altaris gradum, deinde vertens se ad ipsum Altare stat in medio junctis manibus ante pectus; & facta Cruci, seu Altari profunda reverentia, hoc est cum inclinatione capitis, & medii corporis, erectus missam incipit. Si in eo Altari, in quo est celebraturus, sit Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti, debet facere genuflexionem, nulla alia superaddita inclinatione. Sic sentit Lohner part. 2. tit. 7., Bauldry part. 3. tit. 3. rub. 1. n. 1. Postea a fronte ad pectus se signat, dicens voce intelligibili: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Dicitur voce intelligibili, quia ita elata esse non debet, ut alios Sacerdotes in eadem Ecclesia forte celebrantes exturbet, unde ad hoc evitandum inconveniens, unusquisque talem vocem adhibeat, ut a circumstantibus in aliqua competenti distantia commode audiri possit. Cum se signat Sacerdos, minister simul eodemque tempore se pariter signat, sic Castaldus lib. 1. cap. 16. n. 11. cum aliis communiter. Postquam se signavit, ut supra, pronunciat eadem voce intelligibili antiphonam, *Introibo ad Altare Dei, &c.* Ministro respondente voce mediocri pariter intelligibili: *ad Deum, qui lætificat &c.* Cum Celebrans in fine psalmi dicit *Gloria Patri &c.* caput Cruci inclinat inclinatione minima, hoc est solius capitis, non vero medii corporis; Tonellius lib. 3. cap. 1. §. 4. n. 1. Pro hujus inclinationis majori intelligentia advertendum est, quod inter minimas inclinationes, hoc est, quæ fiunt inclinatione capitis, & non medii corporis, tres adhuc subdividuntur species, scilicet minimarum maxima, minimarum media, & minimarum infima, seu minima. Inclinatio minimarum maxima consistit in profunda capitis inclinatione, quæ trahit secum modicam, seu aliqualem etiam humerorum inclinationem; Minimarum media comprehendit notabilem tantum capitis inclinationem; Minimarum minima absolvitur levi capitis inclinatione. Dum igitur Sacerdos dicit *Gloria Patri*, tum ipse, tum Minister, sese inclinant inclinatione minimarum maxima. Tribus his diversimode se inclinandi formulis satis instruitur celebrans, quomodo se gerere debeat in exhibendis adorationibus Latriæ, hyperduliæ, ac duliæ, & consequenter quomodo se debeat inclinare Cruci, & ad nomen *Jesus*, quibus debetur adoratio Latriæ; ad nomen Mariæ, cui debetur adoratio hyperduliæ, & ad nomina sanctorum, quibus tribuitur adoratio duliæ.

X. Dicto *Gloria Patri*, & repetita antiphona *Introibo*, dextera manu procedens sibi crucis signum a fronte ad pectus, dicit, *Adjutorium nostrum*, sic voces distribuendo in crucis signo faciendo, ita ut cum dicit, *Adjutorium*, tangat frontem, cum dicit *nostrum* tangat pectus, cum dicit, *in nomine* tangat sinistrum humerum, cum dicit, *Domini* tangat humerum dextrum, uti docet Cœremon. Episcop. lib. 1. cap. 35. ad notat. hujus tit. Rub. 4. num. 5. eodemque modo se signat etiam inserviens; deinde inclinatione profunda se inclinans Altari junctis de more manibus dicit *Confiteor &c.* In hac recitatione non est intrudendum nomen Patroni, nec alterius Sancti ex prohibitione Sancti Pii V. nisi legitima inveterata consuetudo alicujus Diœcesis, aut Religionis, seu Ordinis id exigat; ita Lohner par. 2. tit. 7. n. 4. cum aliis non paucis. Nec celebrans se vertit modo ad unam, modo ad aliam partem, cum dicit *Vobis Fratres, & Vos Fratres*; Nullum enim debet sic inclinatus præstare reverentiæ signum, sive erga ministros, sive erga populum. Ad pronunciationem *Beatæ Mariæ, vel Beatam Mariam*, neque caput inclinat, cum jam sit in inclinatione positus, & supervacaneum sit in tali circumstantia ulteriorem superaddere inclinationem; sic docet Lohner par. 2. tit. 3. 51. de humerorum inclinatione n. 4. quidquid alii sentiant in contrarium. Eodem modo inclinatus prosequitur, donec a ministro dictum sit *Misereatur*, qui in reverentiæ signum erga celebrantem, dum dicit *Misereatur*, aliquantulum ad ipsum se vertit, nec ante orationem *Misereatur* præponit particulam *Amen*. Cum autem a Ministro incipitur Confiteor, Celebrans se erigit, & minister in hac recitatione observat ea omnia, quæ supra pro Sacerdote adnotavimus, excepto quod dicendo, *Tibi Pater, & te Pater*, aliquantisper se ad Sacerdotem convertit. Cum dicit *mea culpa*, ter pectus percutit dexteræ manus digitis omnibus simul junctis, clausis, & curvis, quod observandum est ab utroque, Celebrante scilicet, ac ministro, cum percussione tamen modesta, seu mediocri, non sonora. Facta a Ministro confessione, Celebrans stans erectus respondet, *Misereatur Vestri* nullatenus se circumvertendo, cui minister adhuc profunde inclinatus respondet in fine *Amen*. Deinde Celebrans se signans dicit eodem tempore, *Indulgentiam*, distribuendo verba sic; pronuntiando *Indulgentiam* tangit frontem, pronuntiando *Absolutionem* tangit pectus, pronuntiando *& remissionem* tangit humerum sinistrum, pronuntiando *peccatorum nostrorum* tangit humerum dextrum, quod facit erectus etiam minister, dum se signat cum Celebrante; deinde stans inclinatus inclinatione majori, cum Ministro pariter inclinato, junctis manibus prosequitur usque ad Orationem *Aufer a nobis* exclusive, quæ Oratio dicitur voce secreta, & cum dicitur *Oremus* extendit, & jungit manus pronuntiando *Oremus* eadem clara voce, qua reliqua. Antequam dicat *Oremus* extendit quidem, sed non elevat, neque humiliat manus; & cum dicit *Oremus*, eas jungit, adhuc mediocriter inclinatus, ut erat, & recitando semper manibus junctis, *Aufer a nobis* &c. ascendit ad medium Altaris, ubi inclinatus inclinatione mediocri, manibus item junctis, super eo positis, ita ut Mensæ Altaris innitantur sex digiti longiores simul juncti, parvis digitis frontem tantummodo tangentibus, secreto dicit *Oremus te Domine*, & cum pervenerit ad ea verba, *Quorum Reliquiæ hic sunt* ad venerandas Sanctorum Reliquias in Altari reconditas, illud osculatur in medio, æqualiter, & recte se inclinando. Ita Corsettus Tom. 2. part. 1. sect. 2. num. 8. manibus pro osculando Altare extensis æqualiter hinc inde extra Corporale, quod semper observatur, quando osculatur Altare, excepto, quod peracta consecratione, ubi pollices ab indicibus non separantur, ideoque manus semper intra corporale collocantur.

XI. Osculato Altari absque eo, quod faciat Cruci inclinationem, quod semper servatur post Altaris osculum, manibus de more junctis, naturaliter ambulando accedit ad cornu Epistolæ, ubi erectus & corpore, & capite, facie conversa versus Altare, se signando incipit intelligibili voce, ut supra diximus, Missæ introitum. Caveat autem, ne introitum incipiat ambulando, quod facile contingere potest in missis præcipue, quarum Introitus memoriter retinentur, ut in Defunctorum Missis. Dum Celebrans signat se, cum incipit Introitum, Minister quoque se signare debet; & prosequitur eadem clara, & intelligibili voce manibus junctis ante pectus, usque ad finem inclinando Caput cum dicit *Gloria Patri*, inclinat autem versus Crucem inclinatione minimarum maxima, absque oculorum elevatione: ita Tonellius loc. cit. tit. 4. rub. 3. num. 3. Dum Celebrans Introitum repetit, non signat se, ut prius, quemadmodum nec in Missa de Requiem efformat secundum Crucis signum in aere, dum Introitum repetit. Eo repetito junctis ante pectus de more manibus accedit ad medium Altaris naturaliter, ut supra, ambulando, ubi stans erectus & corpore, & capite dicit eadem voce, hoc est intelligibiliter *Kyrie eleison*, ter *Christe eleison*, & ter *Kyrie eleison*, alternanter cum Ministro, semper ipso Celebrante incipiente.

XII. Dicto ultimo *Kyrie eleison* stans Sacerdos in medio Altaris, quæ est pars nobilior ceteris, quia in ipsa insigniores hujus incruenti Sacrificii partes efficiuntur, extendens manus decenter usque ad humeros, voce prædicta incipit, si dicendum sit, *Gloria in excelsis*. Cum profert *Deo*, jungit manus ante pectus, & caput Cruci inclinat inclinatione minimarum maxima, absque oculorum elevatione. Ita Bauldr. par. 3. tit. 4. rub. 6. nu. 8. Quo erecto, stans manibus de more junctis ante pectus, prosequitur usque ad verba, *cum Sancto Spiritu* exclusive. Ad illa verba *Adoramus te*, caput inclinat inclinatione minimarum minima. *Ad gratias agimus*, caput inclinat inclinatione minimarum maxima; similiter præstatur inclinatio minimarum maxima ad nomen *Jesu Christe*, & ad illa verba, *Suscipe deprecationem nostram*, & in fine cum dicit, *Sancto Spiritu*, signat se distribuendo productionem signi juxta verba, ita ut dum dicit *cum Sancto*, tangat frontem cum dicit *Spiritu*, tangat pectus, cum dicit *in gloria* tangat humerum sinistrum, & cum dicit *Dei Patris* tangat humerum dextrum.

XIII. Dicto Gloria in excelsis, vel si non sit dicendum, dicto ultimo *Kyrie eleison* Celebrans manibus hinc inde extensis extra corporale osculatur Altare in medio, inde manibus de more junctis ante pectus, oculisque modeste ad terram demissis, non clausis, nec circumactis per Templum, sicuti nec in proprios Celebrantis pedes affectate defixis, vertit se a sinistro Altaris latere ad dextrum versus populum. Qui utuntur perspicillis, antequam se vertant, debent deponere super Altare extra corporale; & extendens, ac jungens manus ante pectus, absque capitis inclinatione ad populum, non innitendo Altari, quod relinquit a tergo, ne Planeta cum detrimento complicetur, dicit voce intelligibili, & clara, *Dominus vobiscum*, quibus verbis populum salutat, præcipue adstantem, & cum ipso Ecclesiam; unde his utimur vocibus pluralibus adhuc, & si unus tantum intersit minister, ut docet Gavant. part. 2. tit. 5. rub. 1. lit. Q; ad quam Sacerdotalem salutationem Minister, inclinato aliquantulum capite, nomine populi respondet *& cum spiritu tuo*, & junctis, ut prius manibus debita cum gravitate, per eamdem viam revertitur ad librum, ubi manus extendens, ac jungens ante pectus, eo pacto, quo extenduntur, ac junguntur dicendo *Dominus vobiscum*, caput inclinans cruci inclinatione, ut diximus, minimarum maxima, dicit *Oremus*, non in medio Altaris, sed in cornu Epistolæ, voce supradicta intelligibili &c. Tum extendit manus, ita ut palma unius manus respiciat alteram, digitis simul junctis, quorum summitas humerorum altitudinem,

ac

ac diſtantiam non excedat, quod in omni manuum extenſione ante pectus obſervatur. Erectus itaque dicit Orationem, eadem ordinaria intelligibili voce, qua ſupra, cum pervenerit ad concluſionem *Per Dominum noſtrum*, jungit manut juxta conſuetam formalitatem.

XIV. Circa concluſionem advertendum eſt, quod quando in oratione, quæ dirigitur ad Patrem, nominatur Filius, in concluſione dicendum eſt, *Per eumdem Dominum &c.* niſi nominetur in fine Orationis, ſiquidem tunc debet dici *Qui tecum &c.* Si nominetur Spiritus Sanctus, dicendum venit, *In unitate ejuſdem Spiritus Sancti*, &c. ſive dicamus, *Per Dominum Noſtrum*, ſive *Per eumdem Dominum &c.* ſemper junguntur manus; & ad nomen *Jeſum Chriſtum*, verſus Crucem caput inclinatur inclinatione minimarum maxima, quæ perſeverare debet uſque in finem concluſionis, manibus junctis. Si ſint legendæ plures Orationes, non debet reperiri ſecunda Oratio, niſi completa concluſione primæ Orationis, quidquid in contrarium ſentiant aliqui, quia ſic expreſſe loquitur Rubrica, contra quam omnis praxis eſt abuſus, & conſequenter nihil valet. Si aliter concludatur Oratio, *qui tecum*, *vel qui vivis &c.* cum dicit *in unitate*, jungit manus, abſque tamen capitis inclinatione, ac cruci converſione; ſic ſentit Anonymus Italus c. 5. §. *ma ſe*. Jungit itaque manus converſus ad librum, & quomodocumque concludatur Oratio. Solum prima, & ultima Oratio terminatur debita concluſione, & primæ tantum, & ſecundæ præmittitur invitatio *Oremus*. Excipe tamen ſi dicenda ſit ultima Oratio ſuper populum propria illa invitatione, *Oremus, inclinate capite veſtra Deo*, in quo caſu ſemper Oratio præcedens debet concludi &c.

R I T U A L I A.

Pro Miſſa ſolemni.

XV. Facta confeſſione, Sacerdos aſcendit manibus junctis cum Miniſtris ad medium Altaris, ſubmiſſa voce dicens, *Aufer a nobis* &c. Subdiaconus manu dextra, Diaconus manu ſiniſtra partem Albæ, & veſtium anteriorem levando, altera manu infra pectus admota, quod ſemper obſervandum eſt in ſimilibus, ſine genuflexione aſcendunt pariter, medium habentes Celebrantem; Omnes Clerici ſurgunt, & manibus modeſte pectori admotis, non junctis, ſtant in ſuis locis facie ita ad Altare converſa, ut directe parietem oppoſitum ex parte Evangelii quaſi reſpiciant: Thuriferarius tamen, & Navicularius deducente ſecundo Cœremoniario per gradus Epiſtolæ laterales aſcendunt fere ad medium Altaris, remanente ſecundo Cœremoniario ante infimum gradum, genuflectente tamen cum ipſis ad ſuppedaneum. Ita autem moderate debent aſcendere, ut ibi perveniant, dum Sacerdos oſculatur Altare, Cœremoniarius primus aſcendit cum Miniſtris ad Altaris ſuppedaneum, ut advertit Bauld. part. 1. c. 1. art. 1. n. 19. Dicto *Oramus te Domine* a celebrante ſubmiſſa voce, inclinatus, ut fit in miſſa privata, & oſculato Altari pariter a ſolo celebrante; miniſtri pro primo acceſſu genuflectunt manibus junctis, nec Altare tangentibus, quod obſervari debet, etiamſi non adſit Venerabile. Cœremoniarius primus facta genuflexione a dextris Diaconi vel ſupra vel prope ſuppedaneum, prout capax erit, ibi ſiſtit: deinde Celebrans ſtans fere in medio vertit ſe ad populum, non totaliter, ne humeros vertat Altari, ſed aliquantulum facie ſcilicet converſa ad partem Epiſtolæ. Subdiaconus ſtat quaſi a ſiniſtris celebrantis aliquantulum poſt eum facie pariter aliquantulum ad Altare converſa, & Diaconus deſcendit ad ſecundum gradum in medio, quidquid aliqui ſentiant in contrarium. A dextris quaſi Diaconi, ſed aliquantulum poſt eum ſtat Navicularius, & Cœremoniarius primus ſtat in ſuppedaneo poſt Thuriferarium, miniſtrante Diacono naviculam, quam manu dextra ſemiapertam accipit de manu dextera Navicularii porrigentis illam abſque oſculis; ſic habet Cœremon. Epiſcop. l. 1. cap. 23. ſicut & Bauldryus part. 1. c. 15. quidquid aliqui teneant in contrarium.

XVI. Accepta de manu Navicularii navicula Diaconut, ſtatim ſiniſtra naviculam tenens, partem ſemiapertam convertit ad Celebrantem, & Thuriferarius inclinatus miniſtrat Thuribulum, non vero Cœremoniarius, quia ad hunc non pertinet præſtare munera clericorum, niſi ſint minus periti, aut alibi occupati. Thuriferarius itaque ſuſtentans annulum majorem ſiniſtra manu, & elevans alterum operculi annulum manu dextra, ac complectens catenulas prope medium earumdem inter operculum & Thuribulum, hunc ſuſtentat æqualiter elevatum ad altitudinem naviculæ, ut ex navicula commode celebrans mittere poſſit in Thuribulum incenſum. Hinc Diaconus ſtans parum inclinatus verſus Celebrantem dicit *Benedicite Pater Reverende* oſculando prius, & poſtea cochleare, & manum celebrantis, cochleare oſculatur in ſummitate manubrii, & manum in parte exteriori, non vero digitos oſculatur; deinde Celebrans ter imponit incenſum in Thuribulum admota pectori ſiniſtra manu, in tribus locis diſtinctis ponit incenſum, ſcilicet in medio, a dextris, & a ſiniſtris, dicens interim voce ſubmiſſa, *ab illo benedicaris &c.* diſtribuendo prolationem verborum hujus benedictionis, itaut ad primam impoſitionem dicat *ab illo benedicaris*, ad ſecundam: *in cujus honorem*, ad tertiam *cremaberis Amen*. Ita Bauldryus part. 2. ſupra cum aliis.

XVII. His peractis Diaconus manu dextra recipit a Celebrante cochleare, in inferiori parte manubrii, & oſculata prius, ut ſupra, celebrantis manu, manubrium etiam oſculatur cochleare; deinde celebrans abſque eo quod dicat: *In nomine Patris* &c. dextera manu ſuper thus in Thuribulum producit Crucis ſignum, & illud benedicit, unde Thuriferarius Thuribulum apertum tenet, nec claudit, donec peracta ſit benedictio: ita Bauld. par. 2. c. 9.

XVIII. Poſtea Diaconus dimiſſa navicula in manibus Navicularii illam manu dextera recipientis ſine oſculis, accipit Thuribulum a Thuriferario, qui dimiſſo operculo, & annulum manubrii habens in ſiniſtra, catenulas omnino tenens in dextera, Thuribulum proponit Diacono, qui ſummitatem catenularum prope manubrium in dextera recipit, & eaſdem catenulas in ſiniſtra prope quaſi operculum, nempe immediate ſupra dexteram Thuriferarii. Sic ſemper Thuribulum exhibeatur, & recipiatur, quando tranſire debet a ſecunda in tertiam manum. Oſculato igitur prius Thuribuli manubrio, & poſita catenularum ſummitate ſuperiori in ſiniſtra celebrantis, & inferiori earumdem catenularum parte immediate prope operculum in dextera manu, quam oſculatur, Thuribulum dat celebranti. Sic exhibetur ſemper Thuribulum, quando non debet ulterius tranſire &c. Hinc genuflectentibus Thuriferario, Naviculario, ac ſecundo Cæremoniario in ſuis locis; duo primi deſcendunt in planum, Thuriferariut ſe confert ad cornu Epiſtolæ, ut converſus ad cornu Evangelii finem expectet incenſationis, Navicularius autem, & ſecundus Cæremoniarius procedunt ad credentiam, ut ibi ille deponat Naviculam quaſi in cornu anteriori verſus cancellos, (Ceroferariis hinc inde Credentiæ velum elevantibus) & poſtea uterque ſe recipit ad ſua loca. Eodem tempore Clericus ſerviens de Libro accedit per gradus laterales ad cornu Epiſtolæ, ubi profunde ſeſe Cruci inclinans, amovet cuſſinum cum Miſſali de Altari, & iterum facta profunda inclinatione, deſcendit extra gradus, niſi ſint plures, & ibi ea ſuſtinet ambabus manibus ante pectus prope cornu Epiſtolæ faciæ verſa ad Altare.

XIX. Interim Celebrans accepto Thuribulo, ut ſupra, ſe convertit ad Altare, & facta Cruci profunda inclinatione, ſeſe miniſtris pariter ac Cæremoniario primo profunde tantum inclinantibus, non genuflectentibus (Rubrica enim miniſtris genuflexionem imperat in tranſitu, in acceſſu, & receſſu a Cruce; quod hic non evenit) incenſat Crucem triplici ſimplici ductu, tantillum quieſcendo ad quemlibet ductum; hinc facta iterum Cruci reverentia, miniſtris, ac primo Cæremoniario genuflectentibus, procedit Celebrans ad Altaris incenſationem, & primo quidem converſus ad partem Epiſtolæ, ter partem Altaris poſteriorem incenſat diſtribuendo incenſationis ductus juxta diſtantiam, qua diſtribuuntur candelabra, & tot promovendo paſſus, quot ductus Thuribuli, ut manus cum pede, quantum fieri poteſt, concordent: ſic Bauldryus part. 2. c. 9. art. 2. n. 6. Cum pervenerit ad finem partis Epiſtolæ, ſtans ibi aliquantulum ſe inclinat, ut demiſſo Thuribulo partem ipſius Cornu inferiorem ſemel incenſet, & deinde ejuſdem cornu partem ſuperiorem bis ducto Thuribulo, non autem unamquamque partem ſemel, atque iterum. Sic advertit Gavantus part. 2. tit. 4. rub. 7. lit. D.

XX. Incenſata parte laterali Epiſtolæ, faciem ad medium Altaris quaſi convertens, ter ducit ſuper menſam Thuribulum linea tranſverſali, quaſi per tres ſemicirculos, diſtribuendo paſſus, ut ſupra, & cum pervenerit ad medium Altaris, Celebrans, facta profunda inclinatione, Miniſtris, & Cæremoniario primo genuflectentibus, ut ſupra, thurificat poſteriorem Altaris partem a cornu Evangelii, recta linea ſicut modo dictum eſt de parte Epiſtolæ. Interim Clericus de libro deponit Cuſſinum cum miſſali, ne inutiliter eum tenere videatur. Ita Bauld. part. 1. c. 1. art. 1. n. 21. quidquid alii ſentiant in contrarium, & pariter incenſata inferiori, & ſuperiori parte ipſius cornu Evangelii duplici ductu, ut in cornu Epiſtolæ, & ſic de cæteris partibus &c. Deinde manu aliquantulum demiſſa anteriorem Altaris partem, ſeu frontem incenſat, ter ducens Thuribulum dum procedit a cornu Evangelii ad medium Altaris, & facta Cruci reverentia miniſtris cum primo Cæremoniario, ut ſupra genuflectentibus, ſimiliter triplici ductu reliquam anteriorem partem uſque ad cornu Epiſtolæ incenſat. Hinc utraque manu prout tenet Celebrans Thuribulum reddit Diacono, qui recipit ſtans in gradu ſubſequenti ſuppedaneum, aut in alio prout ſitus fert; recipit autem Thuribulum ſic, admota ſua dextera pectori oſculatur dexteram Celebrantis, ſupponendo ſiniſtram ſuam, cum qua catenulas prope manubrium aſſumit, illudque oſculatur, & cum Celebrans, utraque manu derelinquit Thuribulum, dextera manu etiam apprehendit catenulas prope operculum, ut habebat Celebrans. Diaconus accepto Thuribulo, ut ſupra, abſque eo quod Altari terga vertat, deſcendit ad planum partis ipſius Epiſtolæ, convertit ſeſe ad Celebrantem, ſtantem junctis manibus ante pectus, ſiniſtro brachio quaſi tangente frontem Altaris, & cum Cæremoniario primo profunde caput inclinans, triplici ductu ſimplici incenſat Celebrantem, & iterum caput inclinat profunde cum primo Cæremoniario, nullatenus ſe inclinante Subdiacono, multo minus ſe inclinante, nec modicum ipſo Celebrante.

XXI. In actu Thurificationis Celebrans, Diaconus, & alius quilibet proportionaliter graviter ſe gerat, modeſte, quiete, & ſine ulla prorſus properatione; non perſonam, non caput ullo modo moveat, cum ducit, aut reducit Thuribulum, quod cum movet, ad ſe trahens ſub brachio leviter, & competenti mora reducit, manum ſiniſtram immobilem pectori admovet, retinetque, dum producit. Thurificando Altare, prius pedem Altari proximiorem movet, & tot facit omnino paſſus, quot thuribu-

li

li tractus. Sic Cæremon. Episcop. lib. 1. c. 23. Incensatione peracta Diaconus Thuribulum ambabus, prout habet, manibus restituit thuriferario, qui recipit absque osculis, manum dexteram admovendo ad manubrium, aut ejus anulum; deinde celebranti se reverenter inclinans, recedit ad deponendos carbones &c. quo peracto redit & ipse in Cappellam, & potest sistere, aut post clericum servientem de libro, aut ante navicularium: Thuribulum autem collocat in suo loco, cæroferariis credentiæ velum elevantibus.

XXII. Si in Altari adsint Reliquiæ, seu Imagines Sanctorum, continentes scilicet Reliquias, sunt incensandæ, non sic de Imaginibus pictis, seu etiam sculptis in ornamentum Tabernaculi; in hac enim circumstantia secundum banc Rubricam, non sunt incensandæ; nam quamvis incensationem Imaginum approbaverit Synodus Septima art. 4. Nihilominus rubrica hic harum incensationem non imperat; unde aliæ Imagines sine Reliquiis non sunt in missa incensandæ; igitur si in Altari adsint Reliquiæ &c. incensata Cruce, & facta ei reverentia, antequam a medio Altaris discedat, absque eo quod se inclinet Reliquiis, primum incensat eas, quæ a dextris sunt, hoc est a parte Evangelii prope Crucem, incipiendo a proximioribus Cruci, vel Tabernaculo, bino ductu simplici, non duplicato, hoc est semel versus Reliquias Cruci, vel Tabernaculo proximiores, & deinde semel iterum versus alias, & iterum facta Cruci reverentia similiter, non Reliquiis, incensat bis alias, quæ sunt a parte Epistolæ; deinde prosequitur Altaris incensationem, ut supra; ter scilicet ducens Turibulum in unoquoque latere, & non ultra adhuc si essent plures vel Reliquiæ, vel Imagines, vel plura, aut pauciora candelabra.

XXIII. Si in Altari fuerit Tabernaculum, in quo clausum asservetur Venerabile Sacramentum, accepto Thuribulo, antequam incensationem incipiat, genuflectit unico genu, & postea Cruci caput inclinat, quod semper facere debet, quotiescumque ante medium Altaris transit, quando incensat, extra casum incensationis, nunquam genuflectit in transitu ante medium Altaris, nisi adsit venerabile publicæ venerationi expositum.

XXIV. Diaconus, & Subdiaconus hinc inde Celebranti assistunt, dum incensat, aliquantulum post ipsum stantes. Diaconus dextera, Subdiaconus sinistra pectori admota, & aliquantulum eam partem elevantes Planetæ, quæ est circa humeros, & brachia celebrantis, ne impediat. Cum transeunt ante Crucem semper genuflectunt, etiamsi Celebrans tantum Cruci profunde se inclinet: Advertendum tamen est, quod rubrica præcipit, scilicet *cum transeunt*, si ergo non transeant, genuflectere non debent. Si autem Diaconus, & Subdiaconus fuerint canonici, non tenentur genuflectere, sed tantum id facere, quod facit Celebrans; sic Bauldryus part. sup. cap. 0. art. 2. n. 10. Deinde Diacono a dextris Celebrantis, & Subdiacono a dextris Diaconi in recta linea, primo Cæremoniario stante prope angulum posteriorem Altaris versus ipsum Celebrantem, qui stans in cornu Epistolæ junctis manibus, legit *Introitum* ipse solus, ministris se signantibus, & caput inclinantibus, prout facit Celebrans; post Introitum adhuc ibidem cum ministris alternatim respondentibus dicit submissa voce *Kyrie eleison*, & ibi omnes persistunt, usque ad ultimum *Kyrie* cantatum a Choro, si non sit sedendum; Non est autem sedendum, nisi cantus protrahatur longiori melodia, vel a Choro, vel a Musicis Choris. Dum Chorus cantat ultimum *Kyrie*, ad nutum primi Cæremoniarii uterque minister post Celebrantem recedit, Diaconus in secundo gradu, Subdiaconus in plano post Diaconum, & dum Celebrans per suppedaneum transit ad medium Altaris, Diaconus per eumdem secundum gradum, Subdiaconus per planum, eodem tempore, & ordine procedunt ad medium Altaris, ibique se locant formantes una cum Celebrante rectam lineam, donec intonaverit Hymnum, *Gloria in excelsis Deo*, ad quam intonationem ministri cum primo Cæremoniario, qui stat in Altaris latere ad cornu Epistolæ, inclinant caput, cum Celebrans dicens *Deo* illud inclinat.

XXV. Dum inchoatur a Choro, *& in terra pax*, facta genuflexione in suo loco, a quo unusquisque discedit, Diaconus aliquantulum secedit ad partem Epistolæ, ibique paululum expectat Subdiaconum ascendentem, & sic hinc inde ambo æqualiter ascendunt (quod semper debent facere, cum ascendunt ad Altare) ad latera Celebrantis, dextera sibi fimbrias albæ elevantes, & sinistram manum pectori admoventes. Cum perveniunt ad Altare, non debent facere novam reverentiam, quia genuflexionem præmiserunt in loco, a quo recesserunt: ita Bauldryus supra cum Gavanto, aliisque, quidquid alqui sentiant in contrarium. Manibus itaque ante pectus junctis, totum hymnum prosequuntur, non alternanter recitando, sed simul cum Celebrante, ita ut tamen numquam præveniant, sed potius Celebrantem subsequantur; quapropter Celebrans aliquantulum altius, quam illi, recitare debet, salva semper submissa voce pro omnibus. Cum Celebrante caput inclinat etiam Cæremoniarius primus, quando opus est, & in fine se signat, juxta Gavantum supra. Quia autem citius Celebrans hymnum *Gloria in excelsis* terminat, quam Chorus, ideo regulariter Celebrans cum Ministris vadit ad sedendum, & tunc facta a Celebrante Cruci inclinatione, aut genuflexione si asservetur in Tabernaculo Venerabile Sacramentum, & a Ministris semper genuflexione, procedunt nudis capitibus per viam breviorem, hoc est per gradus laterales Epistolæ ad sedendum. Ita autem solicite debent procedere ad sedendum, ut in via non sint, dum cantatur in Choro *Adoramus te*, vel aliud simile exigens capitis inclinationem, ne cogantur sistere. Si enim contingat, debent versus Altare se inclinare. Præcedit primus Cæremoniarius, qui e sede Celebrantis hujus Birretum accipit, & retrocedens versus Altare facie omnino ad populum conversa, locum cedit transeuntibus ministris. Descendit postea Subdiaconus, & post hunc Diaconus, & tandem Celebrans, qui omnes cavere debent, ne se convertendo terga vertant Altari. Quare Celebrans, & Subdiaconus, dum sunt apud suas sedes, debent invertere latus sinistrum versus Populum. Celebrans sedet ministris elevantibus Planetæ partem posteriorem, ne super eam sedeat, & porrigente Cæremoniario primo birretum Diacono, Diaconus cum quasi osculo porrigit Celebranti, qui illico caput operit. Tum Diaconus, & Subdiaconus acceptis sibi suis birretis, profunde se inclinant Celebranti, & aliquantisper etiam sibi invicem, & postea sedent, & ipsi unus a dextris, alter a sinistris elevantes sibi Tunicellæ partes posteriores, (quod si opus est debent facere Acolythi) & caput cooperiunt.

XXVI. Sic sedentes Celebrans, & Ministri super genua sua manus digitis junctis extendunt, ita quod manus dextra extendatur super genu dextrum, & sinistra super sinistrum, vel ut alii volunt sub casula conjungant; Ita Lohner par. 2. tit. 9. num. 2. sed minus bene. Episcopus enim super Gremiale, non sub ipso manus extensas, ac disjunctas tenet. Si sedendum non sit, sicut evenit cum celebratur, dum est expositum Venerabile Sacramentum, an Ministri stare debeant ad Altare quasi pares cum Celebrante, seu paulo post ipsum, ea scilicet distantia, qua ab Altari distant, non conveniunt Doctores: Nos autem sumus pro sententia affirmativa, quia sic fert communis usus Romanus ex Gavanto part. 2. tit. 4. rub. 7., tum quia in fine hujus rubricæ numerantur casus, in quibus Ministri stare debent unus post alium, inter quos iste non enumeratur. Quando Ministri sedent cum Celebrante regulariter sedere debent etiam Clerici, tum quia sic usus obtinuit, tum quia etiam in Missa Pontificali sedent, vel super gradus Troni Episcopalis, vel super humilem aliam sedem; ita Cæremon. Episc. lib. 2. cap. 8. sicut etiam sedentibus Clericis, dicimus, quod a fortiori sedere debent Cæremoniarii: incongruum enim esset quod ipsi, & præcipue primus, ut plurimum Sacerdotali dignitate insignitus, stent, reliquis inferioribus Clericis sedentibus; nec juvat dicere, quod ipse debeat admonere, quando caput est inclinandum &c.; siquidem ejus scamnum constituitur ad hoc in tali situ, ut ab omnibus videri possit. Itaque omnibus sedentibus, quando a Choro cantantur verba illa, in quibus Sacerdos in Missa privata caput inclinat, Cæremoniarius primus tempestive surgens aliquantulum capitis inclinatione, vel etiam manus dextræ nutu Celebrantem, & ministros monet, ut inclinent caput &c.. Hoc idem signum dat secundus Cæremoniarius Clericis, ut facilius & ipsi commoneantur, sed secundus Cæremoniarius non surgit, quia neminem sibi priorem monere debet; semper tamen tum Clerici, tum Cæremoniarius priusquam sedeant, debent Celebranti se se inclinare; sic Bauldryus part. 3. num. 3.

XXVII. Dum in Choro cantatur, *Tu solus Altissimus*, debent Clerici admoneri a secundo Cæremoniario, ut assurgant, sed ita tempestive, ut cum dicitur *Jesu Christe* stantes possint inclinare caput. Quando Chorus cantat, *Cum Sancto Spiritu*, Celebrans, & ministri invitantur a primo Cæremoniario ad surgendum, sed non se signant. Cæremoniarius primus procedit ante Celebrantem inclinans se ante ipsum, & postmodum se recipiens ad sinistram Subdiaconi, donec sit procedendum ante Altare; surgunt statim ministri, deponunt super respectivas sedes birreta sua, & Diaconus cum debitis osculis ab ipso Celebrante sedente accipit ejus birretum, quod reponit in ejus sede. Deinde facta a ministris inclinatione, & per consequens etiam a primo Cæremoniario, unus post alium procedunt ad medium Altaris per planum Capellæ, adeoque per viam longiorem, manibus junctis: sic Gavantus supra. Primum itaque incedit Cæremoniarius primus, deinde Subdiaconus, postea Diaconus, tandem Celebrans: advertat Diaconus, ut dum pertinget ad angulum infimi gradus Altaris, paululum retrocedat, ut locum præbeat Celebranti, cui etiam se inclinat. Cum Celebrans venerit ante medium infimi gradus, habens Diaconum a dextris, Subdiaconum a sinistris, & primum Cæremoniarium post terga, genuflectunt ministri in infimo gradu, se tantum inclinante Celebrante, si non adsit Venerabile in Tabernaculo inclusum, & primus Cæremoniarius in plano, quod etiam observatur cum dicitur: *Credo*, *Dominus vobiscum*, *Oratio*, *Præfatio* &c. Facta igitur reverentia celebrans ascendit ad Altare, ministris anteriores vestes elevantibus usque ad secundum gradum, ad quem etiam ascendit Subdiaconus, a quo postea descendit in planum statim post Diaconum, sic utroque remanente in medio Altaris post celebrantem. Cæremoniarius primus per planum Epistolæ ascendit ad latus Altaris, in quo ad *Introitum* erat Diaconus, ubi celebranti advenienti orationem, seu orationes dicendas ostendit, folia vertit, si opus est. Clerici debent, ut prius, stare ad credentiam.

XXVIII. Decreta. *Missa B. Mariæ Virginis sub invocatione septem dolorum feria sexta infra hebdomadam Passionis, ab iis, qui gaudent hujusmodi indulto, debet recitari cum Gloria Patri ad Introitum, & cum Psalmo Judica me Deus ad Confessionem; sed sine Gloria in excelsis.* S. R. C. 31. Augusti *1660. in Tornacen.* Decretum hoc, quo Gloria in excelsis silendum esse statuitur in Missa B. Mariæ Virginis sub invocatione septem Dolorum, quia mysterium hoc mœrorem potius sapit, quam gaudium, vim suam totam deperdidit, cum Benedictus XIII. sub die 22. Aug. 1727. suo Decreto demandavit officium,

cium, & missam septem dolorum B. Virginis recitari in tota universali Ecclesia cum Hymno Angelico, & symbolo.

XXIX. Decreta. *In Missis votivis B. M. V. quæ recitantur in Sabbato, dicitur Gloria in excelsis Deo, etiamsi non fiat officium de eodem.* S. R. C. 30. Jul. 1680. *in una Ord. Capuccin.* Hoc Decretum intelligi debet tum de Sabbatis feriarum, tum Adventus etiam si ipsa die officium non fiat de Beata Virgine, uti S. eadem R. C. declaravit sub die 19. Maii 1607. in Placentina; si autem in Sabbato officium recitatur de Beata Maria Virgine, & velit quis Missam votivam de aliquo Sancto celebrare, non potest in hac Missa recitare Gloria in excelsis; sicuti nec Præfationem ejusdem B. Virginis; sed communem, & hoc pariter ex Decreto ejusdem memoratæ S. R. Congregationis sub die 2. Decemb. 1684. in una Canon. Lat.

C A P U T XX.

De Orationibus, usque ad sequentias.

I. POstquam Celebrans dixerit *Dominus vobiscum*, aut *Pax vobis*, si fuerit Episcopus, ut adstantes ad Deum deprecandum excitet, clara, & intelligibili voce dicit: *Oremus*: quo dicto æquali voce incipit, & prosequitur primam orationem, & alias quoque, si plures sint dicendæ. Quæ in sacrificio missæ recitantur orationes, vocantur etiam *Collectæ*; non in eo sensu, quo ab Apostolo ordinantur in Epistola ad Corinth. 1. cap. 16. *De collectis, quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavi in Ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite, ut non cum venero tunc collectæ fiant.* Sic enim, ut patet, non preces, quæ ad Deum diriguntur, sed eleemosynæ, quæ in fidelium congregationibus colligebantur, pro alendis pauperibus, indicantur. Hinc Ecclesiastici scriptores sæpe *collectam* usurpant ad significandam congregationem ipsam fidelium, ut videre est in iis scribendi formulis, *Congregari ad collectam, adesse ad collectam, collectas agere.* Orationes igitur, quæ in Missis recitantur, collectæ dicuntur in hoc sensu, scilicet, quia tunc Sacerdos, tamquam inter Deum & Homines mediator, collectis, præcipue omnium adstantium fidelium votis, & precibus, dicendo *Oremus* has præces, & vota sic, veluti in unum collecta, per orationem ad Deum ipsum dirigit.

II. Collectarum, seu orationum, quibus summa petendorum a Deo pro omnibus fidelibus paucis verbis ipsi exponitur, institutores primarios fuisse Apostolos affirmat Genebrardus; qui lib. de Apostolica Liturgia cap. 20. modum hunc Deum deprecandi ab Apostolis, numquam interrupta Ecclesiæ praxi, ad nos devenisse demonstrat. Has tamen orationes in Ecclesiæ primordiis, unusquisque secundum proprium sensum, fervorem, atque devotionem, sibi efformabat: sed huic licentiæ, ratione gravissimorum inconvenientium, quæ hinc sequebantur, occurrendum esse existimarunt Patres Concilii Carthaginensis 3. cap. 23. Milevitani can. 12. & Africani 6. cap. 70. Inter compositores collectarum approbatarum, quibus modo in Missis utimur, enumerantur præcipue Sancti Gelasius, & Gregorius Pontifices, & post hos Leo II. & Innocentius III. Leoni II. tribuuntur orationes illæ, *Deus cujus dextera B. Petrum &c. Deus qui B. Petro collatis clavibus &c.* Innocentio vero III. illa *A cunctis &c.* Olim in hac Missæ parte una tantum oratio recitabatur juxta Menardum in notis ad Sacramentarium Sancti Gregorii pagin. 6. lin. 170. Sanctus Columbanus cæpit plures in Missa orationes recitare: unde accusatus, quod hoc faceret contra morem Ecclesiæ, & ab Eustasio ejus Discipulo egregie defensus, Ecclesia ipsa persuasa, quod multiplicitate precum, ac orationis assiduitate, nihil, utilius, Ritum hunc approbavit, præfinito tamen collectarum numero usque ad septem, & non ultra, ad evitandam nimiam prolixitatem, quæ in publicis orationibus tædio sæpe populum, ac molestia afficere solet. Hinc Honorius in Gemma Animæ lib. 1. cap. 116. sic habet: *Qui hunc numerum supergressus fuerit, ut cæcus errabit.*

III. Decreta. *In missa votiva SS. Sacramenti tertia oratio dicenda est ea, quæ secundo loco erit dicenda ratione temporis occurrentis, non vero ea, quæ est assignata secundo loco infra octavam ejusdem SS. Sacramenti.* S. R. C. 4. *April.* 1705. *in Lycien.*

Juxta hujus Decreti sanctionem, in hac missa votiva, sicut & in aliis secunda oratio regulariter erit de festo semiduplici occurrenti, vel simplici, si missa sit privata; quia in solemnibus commemoratio festi non est facienda; tertia dicenda erit ea, quæ ratione temporis assignatur secundo loco. Ordo autem orationum erit sequens: ab octava Pentecostes usque ad Adventum, & a Purificatione usque ad Quadragesimam, oratio erit *A cunctis*. Ab octava Epiphaniæ usque ad Purificationem *Deus qui salutis*: a Feria IV. cinerum usque ad Dominicam Passionis de feria currenti: a Dominica Passionis usque ad Dominicam Palmarum de feria: a Dominica Pasche usque ad Ascensionem, *Concede nos famulos tuos*. Infra aliquas octavas, & in vigiliis, in quibus jejunatur, *de sancta Maria*; sed infra octavas Beatæ Mariæ, in Vigilia & infra octavam omnium Sanctorum, oratio dicitur de Spiritu Sancto, *Deus qui corda fidelium*.

V. Decreta. Ab *Orationibus expungenda sunt cognomina, & Patriæ Sanctorum.* S. R. C. 5. Maii 1736. in Einsidlen. attenta hujus Decreti sanctione, non solum in posterum, sed ab omnibus etiam orationibus, quæ antecedenter cum cognomine, aut Sanctorum Patria recitabantur, cognomina, & Patriæ debent obliterari; to enim *expungenda*, præcipue anteriores indicat orationes, & providet pro subsequentibus; hinc in oratione S. Canuti, tum pro missa, tum pro recitatione Officii, omitti debet verbum *Danorum*; in ea S. Francisci, *de Paula*: in ea Sanctæ Margaritæ *Scotorum*, & sic de ceteris. Quoad cognomina in oratione Sancti Petri debet sileri *Nolascum*, in ea S. Philippi *Benitium &c.* In Missalibus, atque Breviariis novissimæ impressionis, Cognomina, ac Sanctorum Patriæ in orationibus non inveniuntur; errant tamen in Oratione Sancti Joannis Gualberti, in qua silent *Gualbertum*, existimantes ipsius hoc esse cognomen, cum tamen revera nomen illius sit. In oratione quoque S. Petri Cælestini non debet expungi *Cælestinum*, quia non est cognomen, sed nomen proprium ab ipso assumptum, cum ad Summi Pontificatus culmen fuit evectus. An in oratione Sancti Pii V. vi hujus Decreti debeat expungi *Quintum* expositores inter se non conveniunt; Aliqui stant pro parte affirmativa, & pro sui ratione asserti exemplum producunt S. Gregorii Papæ VII. in cujus oratione, recenter edita, non exprimitur *septimum*. Si autem, qui partem tuentur negativam, hanc adducunt rationem, quia to *Quintum*, nec cognomen, nec Patriam indicat S. Pii; unde si supra laudato Decreto committitur, ut ab orationibus cognomina tantum, & Sanctorum Patriæ expungantur, non erit certe, quod in memorata oratione *Quintum* obliteretur. Hanc nos sequimur sententiam, eo quia supradicta additio *Quintum* nec directe, nec indirecte, aut reductive, ad Patriam, seu cognomen S. Pii spectat: cognomen namque illud est, quod ducit in notitiam, seu cognitionem familiæ, seu Domus, e qua ortum ducimus. Hac eadem ratione suffulti dicimus, quod neque in oratione Sancti Petri Chrysologi debet omitti *Chrysologum*, esto aliqualiter cognominis denominationem sibi usurpet; ut videre est in prima lectione primi nocturni ejusdem officii. *Petrus, qui ob ausum ejus eloquentiam Chrysologi cognomen adeptus est*: hujusce enim rationis non sunt cognomina, quæ per Sacram Congregationem in memorato Decreto ab orationibus Sanctorum expungenda decernuntur; sed tantum cognomina, quæ sobolis, ac prosapiæ, seu Domus, a quibus Sancti ortum suum duxerunt, indicativa censentur.

VI. Orationes, seu collectæ, quæ in missæ sacrificio recitantur, ad Deum Patrem diriguntur, non ad Sanctissimam Trinitatem explicite, quia sic nos orare docuit Jesus Christus Redemptor noster, per quem habemus accessum ad Patrem: Matthæi cap. 6. *Pater noster, qui es in Cælis.* Et Joannis 6. *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Unde prædictæ orationes concluduntur *per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.* Neque per hoc, quod explicite ad Deum Patrem tantum orationes dirigantur, ceteræ personæ Divinæ excluduntur; ratione enim unitatis essentiæ, ac Divinitatis in omnibus, per unius tantum explicitam invocationem, omnes semper implicite invocantur. Hinc Divus Thomas secunda secundæ quæst. 83. art. 1. orationem definit totaliter in ordine ad Deum. *Oratio*, inquit, *est petitio decentium a Deo immediate, vel mediate ad eum directa.* Cumque a Deo petitio fieri nequeat absque mentis elevatione in ipsum, subjungit, *vel ascensus mentis in Deum.* Quomodo posset de facto voce externa pium suum desiderium internum Homo Deo exprimere, si mens æque non elevaretur in ipsum? sive igitur privatim, hoc est proprio motu, & nomine, sive publice, hoc est nomine, & auctoritate Ecclesiæ, uti in missæ sacrificio, oretur, mens nostra semper debet in Deum elevari fide, spe, & charitate, ne in vacuum orare videamur, & missis absque fructu spirituali adstare. Hinc S. Cæsarius initio sermonis 85. omnes missæ adstantes præmonet, ut ad collectas genuflectant, ac mentem in Deum elevent: *Rogo, & admoneo vos, fratres carissimi, ut quotiescumque juxta Altare a Clericis oratur, aut oratio a Diacono clamante indicitur, non solum corda, sed etiam corpora fideliter inclinetis. Nam dum frequenter, sicut oportet, & diligenter attendo, Diacono clamante flectamus genua, maximam partem velut columnas erectas stare conspicio.* Et sermone præcedenti. *Supplico, fratres carissimi, & paterna pietate commoneo, ut quotiescumque oratio inducitur, qui forte aliqua infirmitate non potest genua flectere, & dorsum incurvare, vel cervicem humiliare non differat.*

VII. Ex communi Theologorum consensu Oratio facienda modo supra dicto adultis usum rationis habentibus necessaria est necessitate divini præcepti, & naturalis, immo etiam necessitate medii, ut expresse colligitur ex non paucis Sacrarum Scripturarum locis, in quibus non obscure indicatur necessitas orandi pro omnibus, eo quia omnibus præcipiatur, ad Colloss. cap. 4. *Orationi instate vigilantes in ea.* Lucæ 18. *oportet semper orare.* Jus etiam naturæ exigit, ut per actus religionis honoretur, & colatur is, a quo esse habetur, & omnia, quæ ad vitam, & conservationem sunt necessaria, & ipsi tamquam supremo auctori nostro nosmetipsos cum insita humilitate subjiciamus. Unde ad rem magnus Gregorius in suis Moralibus. *Ille Deo veram orationem exhibet, qui semetipsum cognoscit, quia pulvis sit humiliter videt, qui nihil sibi virtutis attribuit, qui bona, quæ agit, esse de misericordia conditoris cognoscit.* Tandem cum ordinarius Dei concursus ad salvandos adultos sit semper mediis eorum petitionibus, sequitur profecto, quod oratio ipsis necessaria sit necessitate medii ad consequendam salutem, ut constat ex Christi verbis, Lucæ 11. *petite, & accipietis.* Quasi dicat, qui non petit, non accipit; juxta illud Jacobi Apostoli cap. 4. *non habetis propter quod non postulastis.* De tempore, in quo orationis urget præceptum, esto per se loquendo, & ex virtute Religionis, nihil præcise determinari possit, generali-

ter tamen verum est non esse diu nimis ab oratione desistendum, suadente Apostolo ad Thessalonicenses cap. ultimo: *Sine intermissione orate*. Maxime diebus Dominicis, & festis, in quibus non alia ratione abstinentia præcipitur ab operibus servilibus, nisi ut negotiis corporalibus expediti, orationibus tum publicis, tum privatis, commodius unusquisque vacare possit. Plures etiam a Theologis assignantur casus, in quibus per accidens, & ex lege charitatis, tum erga seipsum, tum erga proximum, præceptum orandi obligat. Ratione charitatis erga se ipsum, V. G., cum quis advertit se in gravi peccandi periculo constitutum, ratione alicujus vehementis tentationis, tenetur auxilium, ne succumbat, a Deo humiliter, fide, spe, & charitate, postulare; similiter quando necessitas se ipsum a gravi culpa redimendi, & gratiam recuperandi urget, tenetur indesinenter orationis studio vacare, ut a Deo misericordiam consequatur, & veniam; & sic in similibus casibus, in quibus maximi momenti pendet negotium. Ex lege charitatis erga proximum, V. G. quando occurrente aliqua ipsius spirituali necessitate, cui succurri non possit, nisi per orationem, hoc ipso, quod nobis talis necessitas manifestatur, tenemur vi charitatis orare pro eo; & sic in aliis similibus casibus.

VIII. Oratio enim ex Christi promissione habet sibi adnexam infallibilem impetrandi vim, ut manifeste ex non paucis Evangeliorum textibus colligitur. Matthæi quippe cap. 21. habetur: *Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes accipietis*; & Marci 11. *Propterea dico vobis: omnia quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis, & evenient vobis*. Præcipit itaque in hoc textu fide tenendum esse, firmiterque credendum, quod semper nobis postulata in oratione evenient, quotiescumque utilia sint ad salutem, ac pie, fideliter, perseveranterque postulentur. Unde Jacobi 1. dicitur: *Postulet autem in fide nihil hæsitans*; & Lucæ 18. *oportet semper orare, & non deficere*. Hujus perseverantiæ in oratione servandæ rationem assignat Divus Chrysostomus dum ait: *Deus vult cogi, & quadam importunitate vinci*: consulto itaque Ecclesia supradictam collectarum multiplicationem in Missæ sacrificio approbavit, ad innuendum quanti valeat perseverantia in postulando etiam a Deo juxta id, quod fertur Lucæ 11. de amico tres panes importuno tempore postulante &c.: *& si ille perseveraverit pulsans, dico vobis, & si non dabit illi surgens, eo quod amicus ejus sit, propter importunitatem tamen surget, & dabit illi quot habet necessarios; & ego dico vobis petite, & dabitur vobis, quærite, & invenietis, pulsate, & aperietur vobis*.

IX. Peracta in Missa orationis conclusione, quæ, ut diximus supra, fit *per Christum Dominum nostrum* &c. quando oratio directa est ad Patrem; *& per Qui vivis, & regnas* &c. si directa sit ad Filium, uti sunt paucæ non ita antiquæ, ac aliæ juxta Bellarminum controversiarum T. 3. l. 5. De Missa cap. 16. §. de collecta, ubi sic: *fortasse dedita opera voluit Ecclesia aliquas collectas dirigi ad Filium, ne homines crederent non posse disertis verbis invocare nisi Patrem*. Minister nomine populi respondet *Amen*, quæ non hebraica est, & aliquando exprimit affirmationem, aliquando desiderium, aliquando assentionem, juxta exigentiam petitionum, quæ ad Deum diriguntur per orationem; unde si oratio versetur circa postulationem auxiliorum ad vitanda peccata, Amen desiderium significat alia consequendi auxilia; si versetur oratio circa ea, quæ a nobis facienda sunt, & petitiones sint, V. G. de agendo, pro acceptis beneficiis, gratias Deo, *Amen* nostram assentionem, & consensum significat. Tandem si versetur circa fidei dogmata, ut in symbolo, *Amen*, significat affirmationem hoc est rem ita se habere uti fuit asserta. Hinc Justinus martyr Apologia secunda inquit: *Absolutis precibus, & gratiarum actione, quilibet de populo, qui est, fanstis vocibus acclamat Amen*. Modo autem ad evitandam confusionem, & rumorem, minister pro omnibus adstantibus respondet, *Amen*.

X. Post Collectam sequitur in hac missæ parte lectio Epistolæ, ut per doctrinam Apostolorum, & Prophetarum, populus ad fidei misterium disponatur, juxta D. Thomam 3. part. quæst. 83. art. 4. *Præmittitur instructio fidelis populi, quia hoc Sacramentum est mysterium fidei, quæ quidem instructio dispositive fit per doctrinam Prophetarum, & Apostolorum, quæ in Ecclesia legitur per Lectores, & Subdiaconos*. Vetustissimam esse in missa lectionem Epistolæ non obscure eruitur ex Epistola prima ad Thessalonicenses, ubi habetur: *adjuro vos per Dominum, ut legatur Epistola hæc omnibus sanctis fratribus*. Quibus verbis esto Apostolus non ordinet expresse, ut lectio Epistolæ in Missa fiat, quia tamen præcipit, ut legatur omnibus sanctis fratribus, qui non nisi ad sacram Synaxim simul convenire solebant, Doctores inferunt tempore Missæ lectam fuisse, adeoque ab ipsis Apostolis in Missa lectionem Epistolæ introductam; ita Cardin. Bona lib. 2. c. 6. Grancolas tract. Missæ, pag. 36. aliique. Seriem autem Epistolarum, quæ per totum anni circulum in Missis leguntur traditam fuisse a D. Hieronymo, communiter existimatur.

XI. In Missis privatis Epistola legitur a Celebrante, in Missa vero cantata a Subdiacono cantatur. Olim Epistolæ lectio munus erat Lectorum, uti notat Morinus de Sacris ordinationibus part. 3. exercitat. 12. c. 2. a sæculo VIII. juxta opinionem Martene de Antiquis Ecc. Rit. lib. 1. art. 4. n. 6. Subdiaconus cœpit legere in Missa Epistolam; Unde Atalarius, qui floruit sæculo IX. de hoc mirabatur, uti se exprimit lib. 2. c. 11. his verbis: *Miror, qua de re sumptus usus in Ecclesia nostra ut Subdiaconus frequentissime legat lectionem ad Missam, cum hoc non reperiatur ex ministerio sibi dato in consecratione commissum; neque ex litteris canonicis, neque ex nomine suo*. De facto in Ordinatione Subdiaconi nihil tunc inveniebatur, quod ad officium legendi Epistolam referri posset; ut autem ex officio Subdiaconus postea in Missa cantata Epistolam cum cantu legeret, Episcopus in ejus ordinatione facultatem ei conferre cœpit his verbis: accipe librum Epistolarum, & habe potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei. Subdiacono deficiente, Epistolam canere potest quilibet Clericus in minoribus constitutus, dummodo hoc munus exerceat absque manipulo, ex rescripto S. R. Congregationis die 6. Julii 1698.

XII. Cum Celebrans Epistolam terminaverit, minister veluti omnium nomine Deo gratias agens respondet, *Deo gratias*, eo quod eos ad fidei misteria per doctrinam Prophetarum, & Apostolorum disposuerit, quæ vox vetustissima est, & numquam satis adhibita; unde eam Sanctus Benedictus commemorat cap. 66. suæ Regulæ tamquam a suis Monachis sæpe repetendam, atque iterandam; & Divus Pater Augustinus videns hanc erga Deum tam grati animi significationem Donatistas irridere, tantæ ingratitudinis in eos audaciam exprobrare non desinit.

XIII. Inter Epistolam, & Evangelium recitatur illa Antiphona, quæ juxta Honorium Augustodunensem nuncupatur *Graduale*, eo quod in missa solemni, in Altaris gradibus caneretur, & secundum alios, *Graduale*, dicitur ideo, quia caneretur eo tempore, quo Diaconus suggestus gradus ascendebat, ut ibi, juxta priscorum temporum consuetudinem, caneret Evangelium. Ita Card. Bellarminus To. 3. Controversi. lib. 6. de missa; *ne illud tempus, quo Diaconus ab Altari recedens, & in suggestum ascendens in silentio elaberetur, mos canendi Graduale fuit introductus*: inter cujus auctores enumerantur præcipue S. Cælestinus, & Sanctus Gregorius, pro primo assignatur locus ex lib. Pontificali in vita ipsius S. Cælestini 1. ubi legitur: *constituit Graduale post officium ad Missam cantari*. Pro secundo extat Antiphonarium, in quo per ordinem digesta reperiuntur singula, quæ in missis per annum cantari solent, inter Epistolam, & Evangelium.

XIV. Graduali expleto dicitur *Alleluja*, quæ vox hebraica est, idemque sonat, ac *laudate Dominum*; unde cum vox lætitiæ communiter censeatur, stillicidium *est enim gaudii Cælestis*, juxta Rupertum lib. 1. c. 35. in diebus mœroris omittenda decernitur. Esto enim Dominus toto corde, & ore, sive in jucunditate, & jubilo, sive in mœrore, ac tristitia, semper sit laudandus, adhuc tamen, quia in tristitia pœnitentia figuratur juxta illud Apostoli: *Gaudeo non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam*: ideo ad hanc fovendam promovendamque, temporibus luctui, pœnitentiæque dicatis, cujusmodi sunt a Septuagesima ad Sabbatum Sanctum. Insuper feriæ quatuor Temporum, atque Adventus cum vigiliis de Jejunio, duabus tantum exceptis, Paschatis, scilicet, & Pentecostes; ab omnibus, quæ lætitiam sapiunt se abstinent. Hic loco ejus, scilicet *Alleluja* in Missa dicitur *Tractus*, qui in quibusdam e Scriptura Sacra versiculis, *tractim, & cum asperitate vocum*, ut ait Durandus, *& prolixitate verborum cantatis*, consistit, ad exprimendum humilitatem, & luctum, qua Ecclesia, supradictis temporibus mortem, quæ per Diaboli invidi intravit in mundum, vitæque præsentis miseriam luget.

XV. De sequentiis, quæ tales appellantur, quia *Graduale*, consequuntur, & quatuor præcipue sunt, quibus utitur Romana Ecclesia, consistentes in quibusdam Rithmis, qui post Graduale cantantur, nulla alia traditur eruditio, nisi a quibus, & quo tempore fuerint compositæ. Prima *Victimæ Pascali*, quæ inservit pro Paschatis die, ejusque octava, teste Durando lib. 4. cap. 22. tribuitur Ruberto Francorum Regi. Sæculo II. Secundæ, pro festo Pentecostes, *Veni Sancte Spiritus*, Auctorem fuisse creditur Beatum Hermannum. Sæculo item 11. Tertia pro festivitate Corporis Christi, ejusque octava: *Lauda Sion Salvatorem*, a Divo Thoma Aquinate refertur composita. Quarta denique pro die commemorationis omnium fidelium Defunctorum, eorumque missis per annum, *Dies iræ dies illa*, scripta existimatur a Cardinali Frangipano Ordinis Prædicatorum, qui obiit anno 1294.

R I T U A L I A.

XVI. Cum nominatur nomen Jesus, Celebrans caput versus Crucem inclinat inclinatione minimarum maxima, nisi sæpius repetatur in eadem Oratione, Epistola, aut Evangelio &c. Bauldryus part. 3. cap. 5. nu. 6. Ad nomen similiter B. Mariæ caput inclinatur, sed inclinatione tantum minimarum media, quod intelligi debet, dum nominatur Deipara, non sub quocumque nomine, sed solum sub nomine *Mariæ*. Insuper caput inclinatur inclinatione minimarum media ad nomina Sanctorum, de quibus missa celebratur, vel fiat commemoratio, eo quod facta fuerit etiam in Officio. Unde non est caput inclinandum ad nomina Sanctorum, quæ commemorantur in suffragiis, ver. gr. in Oratione *A cunctis*, caput est inclinandum ad nomen *Mariæ*, non autem ad nomina duorum Apostolorum, aut aliorum Sanctorum. Bauldryus part. 3. cap. 5. nu. 2. litt. N. In oratione *A cunctis* N. N. indicat nomen Patroni, vel Titularis Ecclesiæ, in qua missa Celebratur. Quod si Sanctus Patronus, vel Titularis idem esset cum Sanctis in illa Oratione contentis, ver. gr. cum S. Petro, vel Paulo, nulla alia mentio facienda est Patroni, vel Titularis &c., ad summum potest inferi sanctus, qui magis arridet, ut Principalis loci protector, aut etiam sanctus proprii nominis, juxta Anonymum Italum cap. 5. §. *in oltre*. Nos autem dicimus, quod quando S. Patronus,

nus, vel Titularis jam nominatur in Oratione *A cunctis*, non est altius subrogandus; & multo minus sanctus proprii nominis: ad servandam Orationum uniformitatem in missis, quæ in eadem Ecclesia Celebrantur. Caput inclinatur etiam in oratione pro Papa, quando nominatur, quod debet intelligi de Pontifice regnante, & de inclinatione non versus Crucem, quæ tantum ad nomen Iesu fieri debet, sed versus librum.

XVII. In quatuor temporibus, vel aliis, quando dicendæ sunt plures Orationes, cum Prophetiis dicto *Kyrie eleison*, in medio Altaris, & facta prius reverentia minimarum maxima cruci, seu inclinatione, revertitur ad cornu Epistolæ; ubi eadem corporis erectione, extensione, & manuum conjunctione, qua præscribitur enunciatio *Oremus*, ante Orationes, stans ante Librum dicit *Oremus*, *&* *flectamus genua* clara, & intelligibili voce, & illico manibus super Altare, ita hinc inde positis, ut liber inter ipsas mediet, genuflectit, singulis cum eo, si forte stent, genuflectentibus adstantibus, atque Ministro, unico genu tantum dextro. Ita Gavant. part. 2. tit. 5. Rub. 4. litt. E. quidquid alii in contrarium opinentur. Deinde dum Minister respondet *Levate*; sine mora surgens, eadem clara, & intelligibili voce, manibus extensis, ut ad consuetas Orationes, dicit Orationem, ad quam populus, & ministri etiam, si sint genuflexi, debent esse acclines, Cum pervenerit ad conclusionem, jungit manus, juxta morem aliarum conclusionum &c,

R I T U A L I A.

Pro Missa solemni.

XVIII. Celebrans ad medium Altaris pertingens, illud osculatur, quod facit semper, quotiescumque recedens, ad Altare accedit; deinde convertens se ad populum illum de more salutat cantando *Dominus vobiscum*. Cum Celebrans se vertit ad populum, & illum de more salutat, Ministri stantes manibus junctis ante pectus, numquam se inclinant. Facta salutatione, Celebrans, de more per suppedaneum, Diaconus per secundum gradum, & Subdiaconus per planum procedant ad cornu Epistolæ, sine præcedente genuflexione, Ibi Celebrans extendens, & jungens manus, tum capitis inclinatione ad Crucem, manibus iterum extensis, ut diximus, dicit *Oremus*; & Orationem cum cantu: Ministri non extendunt manus, bene vero Cruci caput inclinant, quotiescumque Celebrans canraturus Orationem caput inclinat. Ad Orationem Ministri stant in recta linea, manibus junctis ante pectus, caput pariter inclinantes, quotiescumque Celebrans ad nomen, *Iesu*, aut Sancti, de quo canitur missa, caput inclinat. Ita Castaldus lib. 2. c. 1. nu. 15. aliique. Nec Diaconus, aut Subdiaconus respondent in fine Orationis, *Amen*; cum respondeatur a Choro, Sic Gavantus part. 2. tit. 5. R. 5. Litt. H.. Si sit dicendum *flectamus genua*, cantatur a Diacono in tono Orationis; & eodem tono respondetur a Subdiacono *Levate*. Cum Diaconus genuflectit, omnes alii cum eo genuflectunt; cum Subdiaconus surgit, alii quoque surgunt. Celebrans, etsi, ut diximus, in missa privata genuflectat, in missa tamen solemni *ad flectamus genua* non debet genuflectere, ut expresse Rubrica præcipit.

XIX. Circa finem ultimæ Orationis, Cæremoniarius primus Cruci profunde se inclinans ab Altari discedit, & accedit ad Credentiam, Librum accipiens Epistolarum, ut deferat ad Subdiaconum, qui ambabus manibus, absque osculis, sed cum mutua mediocri inclinatione eum accipit; quo accepto deferens illum elevatum supra pectus, ut Libri pars aperienda suam respiciat dexteram, simul cum primo Cæremoniario vadit ad medium Altaris non præcedente, sed incedente primo Cæremoniario ad sinistram Subdiaconi. Ita Bauldryus parte 1. c. 1., cum Gavanto; quidquid in contrarium alii opinentur: & facta ab utroque genuflexione unico genu super infimum Altaris gradum (debent autem genuflectere ad illa conclusionis verba, *Jesum Christum*, vel ad illa *in unitate Spiritus*, prout Oratio terminatur a Celebrante; & hoc ne in via cogantur subsistere, & se inclinare) comitante cæremoniario primo a sinistris, ut supra, vadit ad partem Epistolæ, juxta cornu Altaris, ubi Celebrans legit Epistolam submissa voce, & ibi in plano, absque nova genuflexione incipit cantare Epistolam. Diaconus, cum Celebrans finierit ultimæ Orationis conclusionem, statim vadit ad cornu Epistolæ, prout ad *initium*, seu *Introitum*, & Celebranti ministrat, & in fine Epistolæ, quam sacerdos submissa voce legit, respondet eadem submissa voce *Deo gratias*, inclinando caput, ac genuflectendo, quoties Celebrans caput inclinat, aut genuflectit. Postquam Diaconus responderit *Deo gratias*, Celebrans submissa voce legit *Graduale*, *&* *Tractum*, usque *ad munda cor meum* exclusive.

XX. Subdiaconus cantata Epistola claudit librum, & pergens cum primo cæremoniario a sinistris, ad medium Altaris, iterum genuflectunt ambo, ut prius, & postea redit per planum ad cornu Laterale Epistolæ, ibique retrocendente aliquantulum Diacono, ascendens super gradum viciniorem Celebranti, ante hunc se constituit genuflexus, deflectendo partem libri superiorem versus Celebrantem, hujus dexteram super librum extensam deosculatur, & ab eo signo crucis benedicitur nihil proferendo; quod non debet fieri in Defunctorum missis.

XXI. Thuriferarius interim dum cantatur Epistola deposito Thuribulo & collocato in loco congruo, & commodo, se transfert ad credentiam, ubi se Choro conformat, stando, genuflectendo, aut etiam sedendo, non tamen sedet ad Epistolam, esto Chorus sedeat; potest tamen commode collocare Thuribulum super credentiam, si prius emittat carbones ex eo, illosque in aliquo vase, ad id destinato reponat, advertendo ne carbones extinguantur. Dum cantatur *Graduale*, vel citius præparat Thuribulum cum navicula, & ad signum Cæremoniarii, vel Diaconi, ascendit ad Altare cum debitis genuflexionibus, ibique ministrat naviculam, & Thuribulum, naviculam Diacono, & Thuribulum Celebranti. Imposito, ac benedicto Thure, & recepta sinistra manu a Diacono navicula, descendit tenens Thuribulum manu dextra per gradus laterales Epistolæ facta prius genuflexione, & accedit ad ceroferarios, quos præcedit ad medium Altaris, dum scilicet Diaconus post acceptam benedictionem a Celebrante descendit ad infimum gradum ipsius Altaris, ubi genuflectit in plano, in medio Ceroferariorum, eo tempore, quo Diaconus, & Subdiaconus genuflectunt super infimum gradum; inde præcedit ceroferarios ad locum Evangelii, ubi collocatis omnibus in suis locis, stans aliquantulum post Diaconum, a dextris cæremoniarii, tenet, ac leniter ducit Thuribulum semiapertum. i tamen Cæremoniarius debet thuribulum porrigere Diacono, Thuriferarius debet stare a sinistris Cæremoniarii. Cum Diaconus dixerit *Initium* vel *Sequentia* &c. Thribulum clausum tradit Cæremoniario dextera manu, vel immediate Diacono.

XXII. Dictis orationibus Celebrans, positis super librum manibus, aut super Altare, vel ut placuerit librum tenens, legit Epistolam voce submissa, sed clara, & intelligibili, ad cujus finem respondetur a Ministro *Deo gratias*; quod fit etiam in fine cujuslibet Prophetiæ, exceptis quinta Quatuor Temporum, & Lectionibus feriæ IV. in parasceve, & Sabbati Sancti Paschæ, ne interrumpatur textus & sensus. Ita Bauldry parte 1. c. 17. n. 23, & eadem ratione videtur omittendum in Prophetiis Sabbati Pentecostes, post quas dicitur Tractus. Saltem post secundam, & tertiam. In Quadragesima dum dicit in Tractu *adjuva nos*, genuflectit unico genu. Dum dicitur Tractus, seu sequentia minister se erigit, & ambulans per planum versus cornu Epistolæ, genuflectit in medio, & per anteriorem Epistolæ partem ad Altare ascendit, ubi accipit missale, illudque per viam expeditiorem ad latus Evangelii defert, ne sacerdos otiose expectet. Deposito libro descendit in planum per gradus laterales, ibique ad Altare conversus consistit donec responderit *&* *cum spiritu tuo*, *&* *gloria tibi Domine*, post quod se recipit ante infimum Epistolæ gradum, ubi stat facie conversa ad latus Evangelii donec in fine responderit *laus tibi Christe*. Dum Sacerdos transit a cornu Epistolæ ad cornu Evangelii, non inclinat caput cruci in medio, quia se inclinaturus est profunde dum dicit *munda cor meum*. Dum dicit Evangelium, celebrans non debet omnino terga vertere ad populum, cui annunciat Evangelium, sed aliquantulum esse debet ad eum conversus.

C A P U T XI,

De Evangelio.

I. EVangelium a Celebrante recitatur post Epistolam, & ea, quæ hanc consequuntur, unde ad medium Altaris se conferens recitat orationem *munda cor meum*, ut ad enunciandum Evangelium se præparet mundo corde, & labiis purificatis, inde postulat benedictionem hac oratione *Iube Domine benedicere*; in qua oratione cum Diaconus cantaturus Evangelium benedictionem petit a Celebrante dicere debet *Iube Domne benedicere*, eo quia petit benedictionem, non sicuti Sacerdos facit immediate a Deo, qui vere Dominus est, & omnium benedictionum principalis dispensator, sed ab homine, cui tamquam mediatori, & impetratori apud Deum, ad summum tribuitur vox illa trunca *Domnus*. Unde in litaniis summus Pontifex non *Dominus*, sed *Domnus Apostolicus* nuncupatur. Percepta benedictione celebrans ad dexteram Altaris partem se contulit, & dicto *Dominus vobiscum*, postquam minister responderit, *&* *cum spiritu tuo*, ibi legit Evangelium.

II. Evangelium vox græca est, idemque sonat ac *bonum nuncium* juxta Isidorum lib. 1. cap. 11. quod a primordiis Ecclesiæ legi cœptum fuit, ut colligitur ex Verbis Apostoli 2. ad Corinthios cap. 8., ubi de S. Luca sic habet; *cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias*. Eruitur etiam ex veteribus liturgiis, in quibus omnibus, uti observat le Brun Tom. 1. pag. 214. Evangelii lectio præscribitur, & est omnibus aliis lectionibus, quæ fiunt in missa, principalior. Verbum enim Verbi est, sermo sermonis, & sapientia sapientiæ, juxta phrasem Innocentii III. lib. 2. cap. 47. Unde Evangelium stricte sumptum consistit in verbis, seu doctrinis, quæ ab ore Christi processerunt immediate, ab Apostolis, qui Christi gesta descripserunt, nobis tradita, & ideo bonum nuncium appellatur, quia bona, quibus majora excogitari non possunt, nobis annunciat. Hinc apposite post Evangelii lectionem, olim Homilia, seu sermo habebatur ad populum, ut in secunda Justini martyris Apologia apparet; & in nostra Italia inveterata perseverat consuetudo apud Ecclesiarum Rectores, verba faciendi adstantibus post Evangelium de iis, quæ ad cælestem gloriam adipiscendam necessaria sunt, atque utilia. Laudabilis consuetudo hæc per Sacrosanctam Synodum Tridentinam postea positiva lege confirmata fuit, sess. 5. de Reformatione c. 2. his verbis: *Archipresbyteri quoque, Plebani, & quicumque Parochiales, vel alias curam Animarum habentes, Ecclesias quocumque modo obtinent, per se, vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, & festis solemni-*

bus, plebes sibi commissas, pro sua, & earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciando cum brevitate, & facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oportrat, ut pœnam æternam evadere, & cælestem gloriam consequi valeant. Id si quis eorum præstare negligat, etiam si ab Episcopi Jurisdictione, quavis ratione exemptum se esse prætenderet, etiam si Ecclesiæ quovis modo exemptæ dicerentur, aut alicui Monasterio, etiam extra Diœcesim existenti, forsan annexæ vel unitæ, modo re ipsa in Diœcesi sint, provida pastoralis Episcoporum sollicitudo non desit, ne illud impleatur: parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis. Itaque ubi ab Episcopo moniti, trium mensium spatio muneri suo defuerint, per Censuras Ecclesiasticas, seu alias ad Episcopi arbitrium cogantur, ita ut etiam si ei expediri visum fuerit, ex beneficiorum fructibus, alteri, qui id præstet, honesta aliqua merces persolvatur, donec principalis ipse resipiscens officium suum impleat. Ex quibus infertur Parochos peccare mortaliter si numquam, aut etiam tantum raro, de his, quæ supra adnotantur, sermonem habeant ad populum, etiam præcisa gravi necessitate. Quod si gravis urgeat necessitas, dubio procul toties peccant etiam contra Divinum præceptum, quoties muneri suo deficiunt, quia in tali circumstantia, scilicet necessitatis, etiam vi Divini præcepti tenentur Pastores Ecclesiæ ovibus suis pabulum Divini Verbi porrigere; uti sess. 23. de reformatione c. 1. Tridentinum declarat his verbis: *Cum præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, verbique Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, & bonorum omnium operum exemplo, pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cetera munia Pastoralia incumbere &c.*

III. Antiquitus etiam Evangelium legebatur a Lectore, ut colligitur ex Epistola Sancti Cypriani 33. & ex Concilio Toletano 1. cap. 2. Hoc postea munus majoris erga Evangelium honoris gratia Diaconis demandatum fuit, ut habetur ex Epistola S. Hieronymi ad Sabinianum. *Evangelium Christi quasi Diaconus lectitabas.* Et ex Epistola Sancti Bonifacii Episcopi Moguntini ad Zachariam Pontificem, ubi conqueritur quosdam Diaconos, quamvis plures concubinas haberent, adhuc Evangelium legere. Apud Græcos etiam num mos viget, ut Evangelium a Lectoribus publice legatur, ut refert Smithius in Epistola de præsenti Ecclesiæ Græcæ statu pag. 145.

IV. Olim ad finem Evangelii respondebatur Amen; quod servatur adhuc apud Mozarabos; nunc vero respondetur *laus tibi Christe*. Deinde Celebrans subjungit: *Per evangelica dicta deleantur nostra delicta*. Hoc est non gravia peccata, quæ per pœnitentiæ Sacramentum delentur, sed culpæ tantum veniales, uti advertit le Brun T. 1. pag. 240. Lecto Evangelio, & habito sermone ad populum priscis Ecclesiæ temporibus missa Cathechumenorum jam censebatur peracta, pro cujus intelligentia, eruditionis gratia notandum est, quod a Gregorio Neocæsariensi, Basilio, ceterisque Patribus priscis juxta suos Canones in quatuor classes distribuebantur pœnitentes. Unde alii nuncupabantur *flentes*; Alii *audientes*; Alii *consistentes*, & alii *prostrati*. *Flentes* stabant extra Templi januam, ubi peccata sua deflebant. *Audientes*, & *Prostrati*, in ea sistebant parte Templi, quæ *Narthex* dicebatur, ubi etiam Cathecumeni morabant, & hi omnes, persoluta concione, extra Templum pellebantur. Quarta pœnitentium classis, scilicet *consistentium* una cum ceteris fidelibus usque ad integræ missæ finem in Ecclesia perseverabat, absque tamen Eucharistiæ participatione. Diaconus itaque soluto sermone Cathecumenis, aliisque edicebat, ut exirent de Templo. Priscis temporibus Cathecumeni dimittebantur antequam Evangelium legeretur, qui mos perseveravit usque ad Concilium Arausicanum 1. sub Leone 1., in quo statutum fuit, ut Evangelium post Epistolam, atque ante Cathecumenorum dimissionem legeretur, ut habetur sub can. 18. T. 1. Concil. pag. 1785.

V. Vetustissimus est mos osculandi Evangelii librum post ipsius Evangelii lectionem, ut colligitur ex præfatione in lib. 2. de cultu Imaginum Thomæ Episcopi Aurelianensis, sic scribentis: *Sacra Religionis usus adhuc in sancta Ecclesia servatur, ut perlecta Sacri Evangelii lectione ab Episcopo, vel Presbyteris, ceterisque Sacri Ordinis Religiosis, Codex, in quo Evangelii lectio recitata est, multiplicibus osculis veneretur; sed hoc cujus causa, nisi illius, cujus verba esse creduntur, agimus?* Neque a Celebrante solum Evangeliorum Liber osculabatur antiquitus; sed ad osculum totius Cleri, imo & Populi circumferebatur. Accessit postea Honorius III., qui vetuit sub excommunicationis pœna, ne ad cujusquam sæcularis Principis osculum Evangeliorum Liber offerretur, exceptis tantum Principibus Oleo Sancto perunctis, ut constat ex ejusdem Pontificis Epistola apud Raynaldum anno Christi 1221. n. 28. ubi confirmat Legati sui Decretum. *Et ne lecto Evangelio, liber ad osculandum aliis, quam Personis deferretur inunctis*. Hoc idem ostendit Pater Meratus t. 1. part. 1. pag. 444. Sancita adversus eos, qui parere detrectaverint, excommunicationis pœna apud Perimezzium dissertat. 8. pag. 327. hoc totum confirmatur; & de recentiori Ritu superadditur, quod Evangelium Papæ, Cardinalibus, Sedis Apostolicæ Legatis ad osculum ubique offertur; Patriarchis, Episcopis, & Archiepiscopis in propriis Diœcesibus, Principibus autem ex tolerantia, numquam tamen Laicis inferiorum ordinum.

VI. Cum Legitur Evangelium vetustissima consuetudo est, quod Audientes stent, ut ostendant se esse paratos ad ea perficienda divina mandata, quæ per Evangelium evulgantur. Hinc Equestrium ordinum religiosi, non solum stant, cum Evangelium in Missa legitur, sed ultro aut manum gladio admovent, aut etiam gladium ipsum e vagina educunt, ut se pro fide tuenda paratos esse ostendant, etiam ad effundendum sanguinem, si opus fuerit. Ab opposito omnes baculi sunt deponendi dum legitur Evangelium, & capita denudanda juxta antiquum Ordinem Romanum: *Sed & baculi omnium deponuntur de manibus, & in ipsa hora neque corona, nec aliud operimentum super capita eorum habetur.* Quæ omnia unico, & brevi versiculo exprimuntur ab Hildeberto Cenomanensi Episcopo, postea Turonensi Achipræsule. *Plebs baculos ponit, stat, retegitque caput*; & postea paucis sequentibus carminibus hujus Ritus mysticas exponit rationes.

Ut sis attentus, patiens, erectus in hostem,
Et caput, & baculum, & status ipse docet.
Quippe caput retegens, attente audire moneris.
Parcere cum baculum rejicis, istrueris.
Stans discis, quoniam stantes pugnare solemus.
Quod te culpa gravis sub vigili hoste manet.

VII. Silentio prætereundum non est, quod accidit cuidam mulieri contractæ, sedenti ad sepulcrum Sancti Guillelmi Roschildensis Abbatis, eo tempore, quo a Diacono sacrosanctum Evangelium legebatur: audita enim fuit vox de cælo dicens ei, *Mulier surge, non decet Christianos ad Evangelium sedere, sed cum reverentia stare, & auscultare, quod legitur*: ad quam vocem cum se erigens, incolumem, ac sanitati restitutam reperit. Apud Bollandum ad mensem Aprilis sub die 6.

VIII. Petrus Bellonius lib. 3. observat. Cap. 12. refert, quod apud Armenos dum Presbyter legit Evangelium, assistentes pro invicem se dextra, sinistraque deosculantur, semper stantes detecto capite, depositisque baculis.

IX. Absoluto sermone exhortatorio, qui olim, ut diximus, post sacrosancti Evangelii lectionem, ad populum haberi solebat, procedebat ad Indulgentiarum dispensationem, uti colligitur ex manuscripto Pontificali Guillelmi Durandi Mimatensis Episcopi, ubi hæc leguntur. *Prædicatione finita, fit confessio generalis, vel per Diaconum, vel per Sacerdotem Ministrum populo devote genuflectente, & eadem tacite dicente. Confessione facta concedit Indulgentiam, & demum Mitra sibi per Diaconum deposita, absolutionem, dicendo clara voce, elevatis, & super populum extensis manibus: Precibus, & meritis &c. Indulgentiam &c. & Benedictio Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, descendat super vos, & maneat semper. ℟. Amen.* Hujus ritus mentionem facit Pontificale Romanum sub Leone X. editum; præscribit enim, quod Concionator antequam pulpitum ascendat, postulet a Pontifice: *Quantum Indulgentiarum debeat populo annuntiare*, & inde subdit: *Finita prædicatione expectat in Pulpito Prædicator, & Pontifex cum Mitra, ac omnes alii surgunt. Diaconus stans inclinato capite ante Pontificem cum Mitra stantem, dicit, Confiteor Deo omnipotenti &c. & tibi Pater, quod cum dicit genuflectit coram Pontifice, tum surgit, & continuat, quia peccavi nimis &c., & te Pater, quod dum dicit genuflectit iterum coram Pontifice, tum surgit, & continuat, orare pro me ad Dominum Deum nostrum. Tum Prædicator stans in Pulpito prædicta annuntiat indulgentias populo dicens: Reverendissimus in Christo Pater, & Dominus N. dat & concedit omnibus hic præsentibus XL. dies de vera indulgentia in forma Ecclesiæ consueta. Orate Deum pro felici statu sanctæ matris Ecclesiæ. Deinde redit ad locum suum. Et si Pontifex, Archiepiscopus, vel alias Cruce uti possit, Capellanus, cujus est officium, portat Crucem, & spatio congruenti ante, & versus Pontificem genuflexus, Crucem ipsam tenet; & Pontifex deposita sibi Mitra, etiamsi Cruce non utatur, stans versus ad populum, dicit in tono Orationis: Precibus, & meritis B. Mariæ semper Virginis, Beati Michaelis Archangeli, Beati Joannis Baptistæ, SS. Apostolorum Petri, & Pauli, & omnium sanctorum misereatur vestri Omnipotens Deus, & dimissis peccatis vestris perducat vos ad vitam æternam. ℟. Amen. Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens, & misericors Dominus. ℟. Amen; deinde benedicens populo modo consueto dicit & benedictio Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, descendat super vos, & maneat semper. ℟. Amen. Et Capellanus Crucem ad suum locum reportat, & Pontifex conversus ad Altare dicit Credo.* Solemnis hæc Indulgentiarum dispensatio, quod fuerit suffecta solemni Cathecumenorum, energumenorum, & pœnitentium electioni, a precibus cum impositione manuum olim super eos post concionem fieri solitis, videtur, & sic opinantur Doctores.

X. Quando publicandi sunt dies festi, jejunia, ac Matrimonia, vel habenda Concio, aut Panegyris in laudem alicujus sancti, publicari, vel haberi immediate debent post Evangelium, & osculum libri, & consequenter antequam Celebrans dicat *Dominus vobiscum*, aut *Symbolum*, si sit dicendum. Sic Bauldryus part. 1. c. 10. Pro populi majori tamen commoditate non desunt Auctores, inter quos Tonellius, qui sentiunt etiam absoluta missa, quod possit haberi Concio, præsertim si habeatur in laudem alicujus magni Viri defuncti, vel pro expositione Venerabilis, pro gratiarum actione, vel pro publicatione Jubilæi.

XI. Decreta. *Ante SS. Eucharistiæ Sacramentum publice expositum*

positum non potest fieri Concio capite tecto, non obstante quacumque contraria consuetudine, & abusus omnino est tollendus. S. R. C. 16. Febr. 1630. in Belgica, & antea 28. Aprilis 1607. In Illerden.

Ante SS. Eucharistiæ Sacramentum publice expositum. An sufficiat SS. Eucharistiæ Sacramentum publicæ venerationi expositum velo cooperiri, ut Concio ante ipsum haberi possit capite tecto, difficultas insurgit, circa quam nos ita opinamur, scilicet, quod si Concio habeatur ad Altare, in quo SS. Sacramentum stat publicæ venerationi expositum, aut intra Presbyterium, si sit expositio ad Altare majus; in his casibus, etsi SS. Sacramentum velo cooperiatur, Concio habenda est detecto capite, quia hæc cooperitio non tollit, quod SS. Sacramentum adhuc publicæ sit venerationi expositum, nec facit, quod Concio non habeatur ante ipsum &c. Si autem Concio habenda sit in Ecclesia, sufficit, quod SS. Sacramentum cooperiatur, ut supra; quia to *ante* in hoc Decreto non debet sumi ita late, ut se extendat ad totam Ecclesiam, præcipue, si Ecclesia sit aliqualis amplitudinis, &c. Hoc Decretum approbatum fuit a *Clem. & Inn.* II. nec non a Bened. XIII., a Clem. XII. Const. 40. horarum 1705.

XII. Decreta. *Quando in missa solemni concionator post salutationem angelicam, salutat ministros Altaris, seu facit reverentiam, non est incongruum, si ministri Altaris, & ipse Celebrans correspondeat salutationi concionatoris discooperiendo caput. S. R. C. 20. Jul. 1686. in Angenopolitana.*

In hoc Decreto non præcipitur correspondentia Concionatoris salutationi, seu reverentiæ, quæ fieri semper solet Celebranti, ac ministris, a concionatoribus inter missarum solemnia, sed tantum veluti consulitur, tamquam ex convenientia, unde qui hanc omitteret, esto non faceret contra, se gereret utique præter hoc Decretum. Advertenda est illa particula *post salutationem Angelicam*. Supponit enim Decretum, quod Concionatores semper etiam tempore Paschali ante concionem recitent *Angelicam salutationem*, non vero *Regina cæli*, juxta Cæremoniale Episcoporum loc. 1. c. 22. n. 5.

XIII. Pro completa præcipuarum eruditionum serie, ad lectionem pertinentium Evangelii in missæ sacrificio, exponenda nobis se offert quænam sit causa, seu ratio distributionis Evangeliorum, quæ legi præcipiuntur in missis per annum. Certam hanc distributionem a Divo Hieronymo primo fuisse confectam, a Damaso Papa approbatam, ac Ecclesiæ Romanæ exhibitam, eruitur ex Lectionario, quem divo Hieronymo communis Liturgicorum sententia tribuit. Quibus postea rationibus ductus fuerit Divus Hieronymus ad hanc regularem Evangeliorum distributionem firmandam, facile dignosci poterit, si expendatur Doctrina, quam tradit Belethus, *in explicatione offic. c. 39.* Advertendum itaque, quod Evangelium aliquando seligitur secundum historiam; aliquando secundum allegoriam; aliquando secundum Personam; aliquando secundam partem; aliquando secundum totum. Seligitur secundum historiam; ut illud *Maria Magdalena, & Maria Jacobi, & Salome &c.* Secundum allegoriam, V. G. ut Evangelium, quod recitatur in missa pro solemnitate Assumptionis B. Virginis Mariæ: *Intravit Jesus in quoddam Castellum &c.* quia cum per Mariam Magdalenam mystice significetur vita contemplativa, & per Martham, quæ ministrabat, vita activa, hoc Evangelio docetur in Beata Maria Virgine utriusque vitæ, scilicet activæ, atque contemplativæ exercitium fuisse, atque consummationem. Aliquando seligitur recitandum in missa Evangelium secundum Personam, ut est illud, quod recitatur in missa pro festo sancti Thomæ Apostoli, ubi dicitur *Thomas unus de duodecim &c.* In quo nominatur Persona Divi Thomæ, cujus celebratur festum. Aliquando secernitur Evangelium secundum partem, quemadmodum Evangelium quod recitatur in festivitate Sanctæ Crucis: *Exaltari oportet filium hominis*, &c. quibus verbis suam Christus indicavit passionem, ac sui Corporis Sacratissimi in Cruce exaltationem. Tandem aliquando seligitur recitandum secundum totum, quemadmodum illud, quod dicitur in circumcisione Domini. *Postquam consummati sunt &c.* Hoc argumentum fusius prosequitur Durandus lib. 4. c. 24. Quod dicitur de Evangelio, militare potest etiam de Epistola sub eadem ratione, unde ex iis, quæ diximus, unusquique facile cuicumque Evangelio rationem poterit assignare.

XIV. Advertendum, quod quando alicui assignatur Evangelium selectum secundum Personam, hoc est proprium & per consequens non desumptum ex iis, quæ dicuntur de communi v. g. vel unius vel plurimorum martyrum; taliter debet recitari in officio, ac missa, ut loco ipsius si transferatur ad tempus Paschale, substitui non possit unum ex iis, quæ assignantur pro tali tempore, uti potest colligi ex sequente Decreto.

D E C R E T A.

XV. *Si festum alicujus S. Martyris habens in Missa proprium Evangelium transferatur ad tempus Paschale, dici debet idem proprium Evangelium, non vero unum ex assignatis pro tempore Paschali S. R. C. 20. Novemb. 1728. in una Carthagenen. in Hispania.* Evangelium autem censetur proprium in sensu Decreti, quotiescumque non sit depromptum ex iis, quæ assignantur in communibus &c. Hinc si ab opposito aliquis sanctus habeat Evangelium non proprium, seu ex his, quæ assignantur in communi Martyrum pro tempore Paschali, quia ut plurimum ejus festum incidit in tale tempus, si eveniat, quod tale festum transferatur extra tempus Paschale, variatur & in officio & missa Evangelium; uti declaravit sacra Congregatio in casu translationis festi S. Petri martyris Decreto sequenti.

D E C R E T A.

XVI. *Quando festum Sancti Petri martyris transfertur extra tempus Paschale, Evangelium erit: si quis venit ad me, Sacr. Rit. Congreg. 5. Maii 1736. in Einsidlen.* Evangelium autem sancti Petri pro ejus festo intra tempus Paschale, est *ego sum vitis vera*; quotiescumque itaque festum alicujus sancti Evangelium proprium non habeat, si de uno ad aliud tempus transferatur celebratio ejusdem festi, puta de tempore Paschali ad non Paschale, & e contra, generaliter loquendo, sive in officio, sive in ejus missa ponitur Evangelium tempori in quo contingit celebrari, conforme. Quod videtur dicendum etiam de missæ Introitu, posito, quod nec Evangelium, nec Epistolam habeat propriam, uti expresse S. C. declaravit sequenti Decreto.

D E C R E T A.

XVII. *Si transferatur ad tempus Paschale festum sanctorum martyrum, in quorum missa introitus sit Gaudeamus omnes in Domino, &c. si ultra Introitum Gaudeamus, &c. habeat etiam proprium, vel Evangelium, vel Epistolam; tunc debet recitari idem introitus; secus si nihil aliud proprii haberet, quia in eo casu Introitus alter incipiens: Protexisti me Deus, dicitur. S. R. C. 29. Nov. 1738. In una Carthagen. in Hispan.* Epistola quoque tunc censetur propria si deprompta non sit ex his, quæ assignantur de communi &c.

R I T U A L I A.

XVIII. Celebrans cum dicturus Evangelium discedit a parte Epistolæ, dum ad medium Altaris pervenit ambulando naturaliter manibus ante pectus junctis, elevat oculos ad Deum sine Capitis elevatione, & statim oculos ipsos demittit, profunde se inclinando, hoc est inclinatione medii corporis, voce submissa & manibus non super Altare positis, sed junctis ante pectus dicit: *Munda cor meum, & jube Domine benedicere, Dominus &c.* Quibus dictis manibus ante pectus junctis, vadit ad librum, & ibi corpore, & capite erecto, voce ordinaria, clara, & intelligibili, dicit *Dominus vobiscum*, respondente eadem voce clara Ministro: *& cum spiritu tuo*: deinde pollice dexteræ manus signat primo librum super principio, parva cruce, deinde se ipsum in fronte, ore, & pectore, efformando scilicet pollice pariter dextro unam parvam crucem in fronte, aliam in ore, tertiam in pectore, quas cruces sibi efformat etiam minister. Ita Bauldryus supra cum aliis. Dum efformat prædictas Cruces Celebrans conversus ad cornu Evangelii, & non ad altare dicit: *Sequentia*, aut *Initium sancti Evangelii* absque capitis inclinatione, sive cruci, sive etiam Sanctissimo Sacramento; respondente ministro *Gloria tibi Domine*. Tum junctis iterum de more manibus ante pectus, stans ut supra, prosequitur Evangelium usque in finem, ipsum legens majori pausa, & distinctione, quam alia, quia, ut supra adnotavimus, verbum est Verbi. Non solum autem minister, sed omnes circumstantes, si sint genuflexi debent surgere, & stare, donec Celebrans terminaverit Evangelium; ut supra fuse vidimus. Finito Evangelio minister stans in cornu Epistolæ post infimum gradum Altaris, eadem clara voce respondet, *Laus tibi Christe*, & post responsionem, sine reverentia, ibi genuflectit. Inde Celebrans elevans parumper librum & aliquantulum se inclinans, osculatur principium Evangelii, nullum producendo signum Crucis super librum, aut in se ipso. Cum librum osculatur submissa voce dicit. *Per Evangelica dicta* &c. Cum nominatur *Jesus*, Caput versus librum inclinat, inclinatione minimarum maxima, nisi sæpius sit repetendum in eodem Evangelio hoc nomen. Bauldryus part. 3. c. 5. n. 6.

R I T U A L I A.

Pro Missa solemni.

XIX. Postea Subdiaconus accipit Missale, quod claudit imposito digito manus sinistræ ubi legendum est Evangelium, ad facilius aperiendum illum; & ambulando per planum, facta in medio genuflexione, defert ad cornu Evangelii; ubi stans ad sinistram Celebrantis ei ministrat indicando Evangelium, vertendo folia, & si opus sit sustinendo librum, illumque elevando, & ei se conformando, cum sibi signum crucis efformat in fronte, ore, & pectore; & caput inclinat, ei quoque respondet, tam in principio, quam in fine Evangelii. Celebrans autem, junctis manibus, accedit ad medium Altaris, ubi profunde se inclinans, ut supra in missa privata dicit: *munda cor meum &c.* deinde transferens se ad cornu Evangelii, postquam ibi voce submissa legerit Evangelium, quod non osculatur; subdiaconus collocat librum prope corporale, pro offertorio legendo, & Celebrans accedit ad medium Altaris.

XX. Cum Celebrans incipit legere submissa voce Evangelium sibi inserviente Subdiacono, Diaconus accipit de manu primi Cæremoniarii Evangeliorum librum, & procedens per planum Presbyterii facta in medio super infimum gradum genuflexione, librum collocat quasi in medio Altaris, ita ut pars,

quæ

quæ aperitur, cornu Evangelii respiciat, & facta iterum genuflexione, accedit ad sinistram Celebrantis, & ibi quasi medius inter Celebrantem, & Subdiaconum, audit Evangelium, si adhuc legitur, manibus de more junctis. Dum hæc fiunt a Diacono, & a Celebrante legitur Evangelium, Thuriferarius accepto e credentia Thuribulo (elevantibus de more velum Ceroferariis) imponit ignem in illud, & una cum naviculario deducente secundo Cæremoniario, se transferunt ad Altare. Thuriferarius, & navicularius ascendunt per gradus laterales Epistolæ ad suppedaneum fere ad medium Altaris, ubi facta genuflexione, navicularius porrigit naviculam Diacono, & Thuriferarius exhibet Thuribulum, ut ante *Introitum*. Deinde Celebrans accipiens a Diacono cochlear, imponit, & benedicit incensum, quo peracto Subdiaconus descendit per gradus ad planum, quasi in cornu Evangelii, ubi sistit donec & Diaconus descenderit, Thuriferarius vero, & Navicularius cum secundo Cæremoniario, per viam breviorem, facta prius genuflexione se transferunt ad suum locum prope Credentiam.

XXI. Deinde Diaconus descendens ad secundum gradum Altaris, & genuflectens super suppedaneum, ac se profunde inclinans, junctis manibus secreta voce dicit. *Munda cor meum*, quo dicto surgens, & ambabus manibus accipiens Librum de Altari ad ejus medium accedit, & genuflexus utroque genu versus celebrantem, petit ab ipso intelligibili voce benedictionem dicens: *Jube Domne benedicere*. Cum petierit benedictionem, Celebrans junctis manibus subjungit, *Dominus sit in corde tuo, &c.* producendo manu dextra Crucis signum super Diaconum dicit, *In Nomine Patris &c.* cui in fine Diaconus respondet *Amen*. Osculando deinde celebrantis dextram, jam ab ipso super librum ipsum positam, percepta sic benedictione, secundus Cæremoniarius deducit Ceroferarios deferentes candelabra, & Thuriferarium cum Naviculario per planum, ante Altare, ubi sistentibus Ceroferariis in extremitatibus plani, Thuriferario, & Naviculario in medio eorum, & inter hos secundo Cæremoniario, omnes genuflectunt, quando genuflectunt ministri. Diaconus autem accepta benedictione &c. surgit & iterum celebranti se inclinat, & portans ante pectus librum descendit in planum, ac genuflectit, cum omnibus aliis, qui sic procedunt ad locum Evangelii. Ductor omnium sit secundus Cæremoniarius, primus enim remanet ad servitium celebrantis, post Cæremoniarium secundum sequantur bini Thuriferarius, & Navicularius, post hos pariter bini ambulent Ceroferarii; & tandem Diaconus portans ambabus manibus librum clausum, habens a sinistris Subdiaconum manibus junctis ante pectus.

R I T U A L I A.

XXII. Cum ad locum Evangelii pervenerit Subdiaconus librum accipiens apertum tenet ante pectus, & elevatum, ut commode a Diacono legi possit Evangelium, unde pars libri superior debet esse aliquantulum oculis ejus altior, ne videat Diaconum legentem, nunquam ibi se inclinat, aut genuflectit, se habet enim pro tunc tamquam immobile legile; Ceroferarii pariter cum se habeant pro tunc tamquam immobilia candelabra, nec se inclinant, aut genuflectunt, aut se signant, &c. Sed primus a dextris Diaconi, secundus a sinistris, facie ad Diaconum conversa stant. Thuriferarius autem accedit a dextris Diaconi, & apud ipsum adest Navicularius. Diaconus itaque junctis ante pectus manibus voce sonora cantat *Dominus vobiscum*, deinde *sequentia &c.* Signando dextro police principium textus Evangelii sinistra manu super librum posita, & postea eodem police signando seipsum in fronte, ore, & pectore, ut supra diximus faciendum esse a celebrante in missa privata. Si occurrat facienda genuflexio, solus Diaconus genuflectit adversus librum, & alii, qui debent genuflectere, genuflectunt versus Altare. Ita Bauldryus part. 1. tit. 3. n. 8. deinde accipiens Thuribulum a Thuriferario sine osculis porrigente, ter librum incensat prius in medio, deinde a dextris, postea a sinistris, tali dexteritate, ut incensatio completa sit, cum Chorus responderit, *Gloria tibi Domine*, peracta incensatione reddit Thuribulum Thuriferario, qui illud recipit sine osculis, ac illud leviter agitat, usque ad finem Evangelii. Sic Bauldryus supra cap. 15. art. 3. n. 13. & prosequitur Evangelium junctis semper manibus ante pectus.

XXIII. Interim Celebrans impertita Diacono benedictione, se retrahit ad medium Altaris, & cruci facta consueta reverentia, ad cornu Epistolæ se confert facie ad Altare conversa, donec Diaconus incipiat cantare *Dominus vobiscum*, ad quæ verba se vertens ad cornu Evangelii, ubi Diaconus cantat, sic stat junctis manibus donec Evangelium absolvatur. Cæremoniario primo Sacerdoti assistente in secundo Altaris gradu in cornu Epistolæ, aliquantulum post ipsum, eique se conformante, cum caput inclinat, se signat &c. Cum Diaconus cantat, *Sequentia Sancti Evangelii*: eodem tempore, ac modo, quo Diaconus ipse, se signat Celebrans, & cum ipso reliqui omnes, exceptis iis, qui sunt impediti &c. Cum nominatur nomen *Jesus*, caput inclinat versus Altare, quod & faciunt ceteri omnes, ut supra, exceptis impeditis, ut Subdiaconus, & Ceroferarii. Diaconus finito Evangelio, principium Evangelii indicat Subdiacono, qui illico recta via defert Evangeliorum librum apertum ad celebrantem supra suos oculos elevatum absque ulla reverentia, aut genuflexione, sive Celebranti, sive Altari, sive etiam Venerabili; cum pervenerit ad celebrantem indice manus dexteræ ostendit initium Evangelii, eique illud offert osculandum, osculatur autem ibi celebrans, aliquantulum se inclinans, & ambabus manibus sibi librum appropinquans, dicendo *per Evangelica dicta &c.* quo facto Subdiaconus librum claudit, paululum retrocedit, ac eidem celebranti profunde se inclinat, & per breviorem viam descendit ad planum, & ibi quoque se vertens ad Sacerdotem iterum ei facit inclinationem profundam, & postea Altari genuflexionem. Ita Gavantus part. 1. tit. 17. Rub. 4. litt. T.

R I T U A L I A.

XXIV. Itaque facta genuflexione descendit in planum a latere Epistolæ, ibique consistit, tradens librum secundo Cæremoniario, qui illum defert ad credentiam, & redit ad suum locum &c. Interim Diaconus cum Clericis circumstantibus procedit ad medium Altaris sic. Subdiaconum abeuntem jam insequitur secundus Cæremoniarius, post Cæremoniarium incedit Thuriferarius cum Naviculario, post Thuriferarium &c. bini veniunt Ceroferarii, & deinde Diaconus junctis manibus ante pectus, qui stans in medio plani habet quasi a dextris Thuriferarium, & a sinistris Navicularium; a dextris Turiferarii primum Ceroferarium, & a sinistris Navicularii secundum Ceroferarium, & omnes genuflectunt, & postea surgunt. Sic Bauldryus supra part. 1. c. 12. Post hæc Ceroferariis se se inclinantibus celebranti, & candelabra in credentia deponentibus, ac in suo loco consistentibus, Diaconus stans in medio plano, ubi est, accipit Thuribulum a Thuriferario, qui erectus, & absque osculis illud ei porrigit, & ad celebrantem se convertens, cum debitis inclinationibus ante, & post exhibitis, triplici simplici ductu eum incensat, qua incensatione peracta Celebrans se vertit ad Crucem, & ibi in medio Altaris, si dicendum sit Symbolum alta voce cantat: *Credo in unum Deum*. Naviculario, & Thuriferario facta genuflexione redeuntibus ad credentiam &c. Diaconus absoluta incensatione ascendit ad secundum Altaris gradum, ibique stat post celebrantem; & Subdiaconus pariter eodem tempore redit ad medium plani post Diaconum, & cum Sacerdos pronunciat vocem *Deum*, uterque, imo & Clerici, caput inclinant, & facta genuflexione ab utroque ministro in suis locis, ascendunt ad celebrantem, & cum eo prosequuntur Symbolum &c. ut dictum fuit ad Gloria in excelsis.

D E C R E T A.

XXV. Evangelium ordinarie semper cantatur in cornu Evangelii, præter quam in solemni benedictione Palmarum, si Missa cantatur absque Diacono, & Subdiacono, in quo casu ad evitandam Altaris deambulationem cum immediato regressu, Evangelium pro memorata solemni benedictione cani debet in cornu Epistolæ; uti expresse definivit *S. R. Cong. 27. Aprilis 1697. In Eugubina sequenti Decreto. Supplicatum fuit, in quanam parte Altaris a celebrante absque Diacono, & Subdiacono sit canendum Evangelium pro benedictione solemni Palmarum. Et responsum fuit: In cornu Epistolæ.*

C A P U T XII.

De Symbolo.

I. SYmbolum quantum ad præsens attinet est quasi totius Catholicæ fidei breviarium, quo tamquam quadam tessera, veri fideles a falsis discernuntur; quia veram fidem, quam ex Evangelii lectione audivimus implicite, explicite per Symbolum confitemur dicendo *Credo*. Merito itaque post Evangelii lectionem dicitur Symbolum, ut ostendatur fructus, qui ex Christi prædicatione, quæ per Evangelium ad nos pervenit, in tota Ecclesia consecutus est. Hinc Divus Thomas, *& nos, quia Christo credimus tamquam Divinæ veritati, lecto Evangelio Symbolum fidei cantatur, in quo populus ostendit se per fidem Christi doctrinæ assentire.* Symbolum enim vox est græca, quæ Isidoro teste lib. 2. de Divin. offic. cap. 22. latine sonat signum, & collectionem, unde fidei totius professio, quæ a verbo Credo incipit, dicitur Symbolum, tum quia ea professione, audientibus præbemus signum nos Christianos esse, tum quia eadem complectitur articulos omnes fidei, ex Doctrina Apostolorum, qui primi fuerunt Symboli Auctores; hinc ad rem sic habet Theodulphus Aurelianensis Episcopus. Dicitur *signum eo quod ab eo bene retento*, & intellecto fideles ab infidelibus discernuntur; *dicitur collectio, quia in eo Apostoli omnem fidei integritatem contulerunt. De Ordine* Baptis. juxta S. Patris Augustini Doctrinam de tempore serm. 2. Dominica in ramis Palmar. Itaque Apostoli, postquam Spiritum Sanctum acceperunt, inito inter se Concilio de universo terrarum orbe sub Jesu Christi redigendo vexillo pertractarunt, & ibi statuerunt, quod pari fidei sinceritate esset hoc adimplendum; unde, *quod omnes pari fidei sinceritate, corde retinebant*, prosequitur memoratus Theodulphus, *ore confessi sunt, & singuli proprias sententias conferentes, Symbolum, idest totius fidei collationem ediderunt. Discessuri enim ab invicem, normam futuræ prædicationis in commune statuerunt, ne localiter ab invicem discedentes, diversum aliquid, vel dissonum prædicarent. Decentissimum namque, & utile erat, ut quibus erat una Anima, & cor unum in Domino, & quos Sancti Spiritus afflatus vegetabat, unius etiam fidei confessio exornaret. Nec enim dirtui in aliquo vel poterant, vel debebant, qui unius fidei vinculo nectebantur.* De hoc Symbolo ab Apostolis compo-

composito verba facit Tertullianus in præscriptionibus, c. 37. asserens, quod, *in ea regula incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Chri.lu[illegible] o tradidit.*

II. Trecentorum & amplius annorum spatio, semper hoc dumtaxat Apostolico Symbolo usa fuit Ecclesia, etiam in missarum solemniis, habetur enim in Liturgia S. Petri, & illius mentionem facit Dionysius c. 3. Eccl. Hier. dum illud appellat *Hierarchicam Eucharistiam*. Huic Symbolo postea, universæ Ecclesiæ auctoritate factæ fuerunt additiones non quidem reformatoriæ, seu variantes Apostolorum dogmata; regula equidem nostræ fidei immobilis prorsus, & irreformabilis est; sed expositoriæ, & explicantes, juxta exigentiam temporum, ut de novo insurgentes hæreses de medio tollerentur. Hinc Œcumenica prima Nicæna Synodus, non pauca Apostolorum Symbolo addidit, ut pestifera Arii hæresis profligaretur; similiter postea nonnulla addidit Concilium Constantinopolitanum sub ann. 381., ut Macedonii, & Eunomii hæresis pariter confutaretur. Juxta has additiones tria denominantur Symbola; Apostolicum scilicet, Nicænum, & Constantinopolitanum. Adest etiam Athanasianum, sed cum hujus usus nullus in Missa sit; hujus loci non est de eo ulteriorem sermonem facere.

III. Apostolicum, ita dictum, quia, ut vidimus, ab Apostolis conditum, non fuisse litteris commendatum, sed voce dumtaxat fidelibus traditum, docet Divus Hieronymus Epistola 61. ad Pammachium cap. 9. *non in charta, & atramento, sed in tabulis cordis carnalibus*: & hoc ne in manibus caderet Infidelium, & ut tuto possent illi dumtaxat ad communionem admitti, qui hoc signaculum Christianæ professionis, tamquam arcanam, solisque fidelibus notam tesseram memoriter proferrent. Primi omnium, qui Symbolum Apostolicum in suis Libris evulgarunt, fuerunt Athanasius, Basilius, & Leo. Hocce Apostolicum Symbolum, ut supra diximus, tribus primis Ecclesiæ sæculis, etiam inter missarum solemnia recitari consuevisse, asserit Gavantus part. 1. tit. 11. litt. H., & Quartus part. 2. tit. 11. dubio 1. Meratus autem ibidem num. 1. advertit, quod opera sub nomine Dionysii Areopagitæ vulgata, doctis Scriptoribus supposititia censeri, & Liturgiam Sancti Petri, qualis modo edita est, a quopiam Græco recentiore fuisse conscriptam, unde concludit, quod inde nullum argumentum certum peti potest pro tali assertione.

IV. Nicænum tale nuncupatur propter allatas additiones factas Apostolico Symbolo in Nicæna Synodo anno 325. Cum enim grassaretur maxime atque sæviret Ariana hæresis, Patrum jussu, Magnus Osius Episcopus Cordubensis, novam edidit fidei formulam, qua in Concilio lecta, conclamarunt omnes: *Hæc est catholicorum fides, huic omnes credimus, in hac baptizati sumus, in hac baptizamus*. Exorta deinde Macedonii hæresi, Nicæno Symbolo additio alia facta fuit anno 381. per Concilium Constantinopolitanum; seu magis, ut aliquibus placet, adoptatum fuit aliud Symbolum, in quo etiam habebantur additiones illæ, & quod fortasse in usu erat jam apud quasdam Ecclesias; hinc hujusmodi Symbolum *Constantinopolitanum* dictum fuit, & licet communiter Doctores asserant, quod hoc est illud, quod recitatur in Missa, modo tamen reperitur dictum *Apostolicum*, ut in Decreto hujus capitis quarto; quandoque *Nicænum*, & ut plurimum *Constantinopolitanum*. Hoc certe verum, est, quod Symbolum, quod in Missa modo recitatur, non continet verba illa, quæ in Apostolico reperiuntur: *descendit ad inferos*; ratio autem cur hæc declaratio, seu articulus, non censeatur necessarius in Symbolo Missæ alia non est nisi quia articulum hunc nemo hæreticorum vocavit in dubium.

V. Quoniam hæreses occasione quarum factæ fuerunt in Symbolo memoratæ additiones, insurrexerunt, ac potissimum in Oriente viguerunt, in Ecclesiis Orientalibus Symbolum nunquam desiit cantari publice, uti testantur Græcorum, & Maronitarum, ceterarumque gentium, quæ in Oriente sunt, Liturgiæ omnes. Quo tempore postea præcise Symbolum in Missa cœptum sit recitari apud Romanam Ecclesiam, quæstio est, circa quam in diversa abjerunt placita Auctores. Gavantus, Litt. I cœptum fuisse putat ineunte Sæculo XI., & innititur auctoritati Bernonis Abbatis Augensis, qui lib. de rebus ad Missam pertinentib. cap. 2. id aperte testatur, his verbis, *Romani usque ad tempora Divæ memoriæ Henrici Imperatoris, nullo modo Symbolum cecinerunt*, & subdit causam; *quia nempe Romana Ecclesia non fuit aliquando ulla hæreseos fæce infecta*, & insuper addit, quod idem Imperator persuasit Benedicto VIII., ut etiam Romani, ad publicam Missam illud decantarent. Tanti momenti visum est hoc testimonium, ut in eamdem sententiam facile traxerit viros eruditissimos, Baronium, Menardum, Lupum, Belotte, atque Casalium, qui propterea prædictum usum antiquiorem non esse autumant anno 1014., & præsertim quia superioribus temporibus, nullum reperitur monumentum recitati Symboli in Ecclesia, etsi non desint plurima, pro Hispania, Gallia, & Germania.

VI. Mabillonius in Comment. cap. 6. pag. 43. fretus auctoritate Ordinum Romanorum 2. 5. 6. ante nonum usque Sæculum, in Pontificali Missa, putat Symbolum Romæ recitari consuevisse: a sæculo autem nono usque ad undecimum, ejusdem recitationem fuisse inter Missam, & nonnisi sub Benedicto VIII., rogante Henrico Imperatore, restitutam. Martene de antiquis Ecclesiæ Rit. lib. 1. cap. 4. art. 5. num. 11., aliam incedit viam, & advertit, quod Berno non negat Symbolum Romæ recitari consuevisse, sed solum modo cantari, unde Imperatorem a Pontifice non impetrasse, subdit, ut Symbolum recitaretur, quod etiam prius fiebat, sed quemadmodum in aliis Ecclesiis, ita quoque Romæ cantaretur, & quidem, quod Romana ferret consuetudo Symbolum legere, non cantare, verba Leonis III., quæ in Collatione, quam sub Carolo Magno, sæculo nono habuisse, cum quibusdam Episcopis, refert Baronius ad annum 809. num. 71. dubitationem omnem videntur adimere. *Quod vero asseritis, ideo vos ita canere Symbolum, quoniam alias in istis partibus, vobis priores audivis cantasse, quid ad nos? Nos enim idipsum non cantamus, sed legimus, & legendo docere, nec tamen legendo, aut docendo, addere quippiam eidem Symbolo inserendo præsumimus.*

VII. Ad rem profecto efficacia hujusmodi Leonis verba videntur, & ea propter Meratus part. 1. tit. 11. num. 1. Martene sententiam nedum lubens amplectitur, sed eam insuper a contrariis argumentis propugnare conatur. Primo igitur sibi objicit secundum Romanum Ordinem, in quo pagin. 46. ista leguntur: *Post lectum Evangelium, candelæ in loco suo extinguantur, & ab Episcopo Credo in unum Deum cantatur.* Ad hæc autem ipse reponit, quod to *cantatur* sumi debet late pro simplici lectione, cum attribuatur Episcopo, non Choro, cui attribuendum videtur, si de cantu ibi sermo foret. Secundo sibi pariter objicit ea verba Ordinis 6. *Si autem Episcopus prædicare noluerit, alta voce incipiat canere Credo in unum Deum, & ita omnis Chorus incipiens Patrem Omnipotentem, ad finem usque perducat*; & quia verba hæc consimilem non patiuntur explicationem, prædictum ordinem tamquam interpolatum incusat, additque, quod nec certo argumento probari potest, quod idem Ordo in usu fuerit ante sæculum undecimum apud Romanam Ecclesiam; verum maluissem ego, quod, qui certum argumentum exposcit, ipse produxisset recitati Symboli in sæculo decimo, ut inde reprobaret solide, quam Mabillonius asseruit, Symboli intermissionem; nam argumenta quælibet, quæ producuntur, omnia sunt sæculi noni.

VIII. Ad rem propius accedentes, advertimus, quod post Evangelium symbolum dici a Rubrica mandatur, & id ait Gavantus part. 1. tit. 11. litt. I. ex Decreto S. Marci, & ex Rudulpho prop. 23. hanc rationem assignat, quod per sanctum Evangelium corde creditur ad justitiam, & per Symbolum ore fit confessio ad salutem. Ad rem item habet Divus Thomas 3. parte, quæst. 83. art. 4. *Perfecte autem populus instruitur per doctrinam Christi, in Evangelio contentam, quæ a summis Ministris legitur, scilicet a Diaconibus; & quia Christo credimus tamquam Divinæ veritati, lecto Evangelio, Symbolum cantatur, in quo populus ostendit se per fidem Christi Doctrinæ assentire.* Et Titelmannus de Myst. missæ cap. 31. *Quod statim post decantatum Evangelium, incoante Sacerdote, ceterisque ad finem usque prosequentibus (loquitur de missis cantatis) canitur fidei Symbolum, fructum qui ex Christi, & Apostolorum prædicatione est in Ecclesia consequutus, manifestat.* Hinc etiam habes causam ob quam, si haberi debet Concio, præmittenda decernitur eidem Symbolo. Cardinalis Bona assignat rationem cur in Missa modo recitetur Symbolum Constantinopolitanum, & ait, nullam aliam esse, nisi, quia in ipso clarius exponuntur orthodoxi articuli ad profligandas hæreses.

IX. Decreta. *Occurrente festo S. Marci in die Dominico, in missa Rogationum non dicitur Credo, quia est missa ferialis. S. R. C. 25. Sept. 1688. in Mutinen.* Triplici ex causa ait Guyetus lib. 3. cap. 28. q. 3. in certis festis Symbolum recitatur; ratione *Mysterii*, cujus mentio explicite, vel implicite in Symbolo continetur, uti evenit in festis Christi, & Deiparæ, ratione *Doctrinæ*, non tam susceptæ & propugnatæ, quam verbo, & scripto traditæ, qua de causa dicitur in festis Apostolorum, atque Doctorum; & denique ratione *Solemnitatis* atque *Celebritatis*; vi cujus recitatur in Patronorum missis. Diximus *implicite*, vel *explicite*, quia, ut Auctores scite ponderant, necesse non est, quod Mysterii, de quo missa, & officium agitur, mentio fiat in Symbolo, sed sufficit hæc habeatur, de sancto, de quo celebratur Mysterium, puta festa Christi sint, de quo mentio fit in Symbolo.

X. Qua ex generali regula, quia nempe sunt festa Christi, de quo in Symbolo non semel, sed pluries mentio fit, Rub. XI. Symbolum assignare pergit *Nativitati Domini, Epiphaniæ, Feriæ V. in cœna Domini, Paschati, Assensioni, Festo Corporis Christi, Inventioni & Exaltationi Sanctæ Crucis, Trasfigurationi, & eorumdem festorum octavis.* Si non omnium ex hisce Festis, certe plurimorum, neque specialis in Symbolo desideratur articulus. Hinc Innocentius III. lib. 2. cap. 51. *Epiphaniæ*, in qua etiam recolitur Baptisma Christi, assignat *unum Baptisma; Paschati, & resurrexit; Ascensioni, & ascendit in cælum; Inventioni, & Exaltationi Sanctæ Crucis, Crucifixus etiam pro nobis.* Equidem huc usque bene. Sed dum pergit *feria V. in Cœna Domini*, & Festo *Corporis Christi* assignare illud Symboli *Sanctorum communionem* quis umquam essentiri valet, cum talis articulus, quando ad rem referri etiam posset, habeatur quidem in Symbolo Apostolorum, sed non in Constantinopolitano, quod in missa recitatur? Gavantus hanc sensit difficultatem, & ideo part. 1. tit. 11. litt. 2. prædictum articulum implicite contineri, asserit, in eo ejusdem verbo *unum baptisma*; quatenus, ait ipse, per hoc una est Sanctorum generatio, & per Eucharistiam, quæ prælatis duobus diebus colitur, una lactatio, atque nutritio, vel in verbo illo *unam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam*. Ast, ut verum fatear, mihi minus arrident ambages illæ, quæ vix ad consonum trahi possunt sensum; quare malo dicere, quod prædictis diebus recitatur Symbolum, quia juxta generalem assertam regulam festa sunt Christi; & idipsum facio de Transfiguratione Domini, & de

quibus-

quibuscumque festis institutis postmodum, & instituendis, quæ de Christo sunt, vel ad ipsum directe, vel indirecte referri possunt, cujusmodi sunt SS. Christi Iesu nomen, Quinque ejus vulnera, Sacratissimus Sanguis, corona Spinea, Lancea, Clavis, & alia passionis ejus instrumenta, aut Reliquiæ omnes, ut Fasciæ, quibus vix natus fuit involutus, Incunabula, in quibus positus &c. quamquam pleræque earum ad verba Symboli facile reduci queant, ut passionis instrumenta *ad passus & Crucifixus*; & Fasciæ aliæque Reliquiæ similes, ad Dominicam Nativitatem; de qua nunc sumimus agere.

XI. *In tribus missis de Nativitate Domini & deinceps usque ad octavam B. Ioannis Apostoli inclusive*. Symbolum item dici mandat Rubrica, & quo ad Dominicam Nativitatem, nullam difficultatem patitur, cum ea sit unum ex potissimis Mysteriis Christi, & ejusdem insuper specialis mentio habeatur in Symbolo, non quidem in iis ejusdem verbis, & *ex Patre natum*, ut perperam dixere nonnulli, quasi ibi sermo foret de temporanea, & non de æterna Divini unigeniti filii Nativitate seu generatione; sed magis in illis: *& incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & Homo factus est*. Et si enim in die SS. Annuntiationis id reapse contigerit: quo ad nos tamen, nonnisi in Virginis partu perfecte manifestatum extitit, quam nos ipsi caussam esse jam alias diximus, ob quam die 25. Martii festivitas, & officium in honorem Deiparæ magis institutum extitit, quam Dominicæ Incarnationis, quæ propterea solemnius celebrari reservata fuit in ipsa Christi Nativitate. Quantum vero ad octavam attinet, ea ratio militat, quod omnes dies octavæ cum festo pro una festivitate computantur; quare si in festo dici præscriptum est, utique & per octavam, & quidem esto de Sanctorum festis fieri contingat, ut suo loco magis dicemus infra. Ita quidem bene; sed cum octava Nativitatis in festo Circumcisionis desinat, cur Rubrica suam dispositionem protrahit ad suas sequentes dies octavas? nempe Sancti Stephani, & Sancti Joannis. Verum in promptu sua non deest ratio, & quidem pro octava S. Joannis, quia de classe Apostolorum est; quibus si non prima, certe Symbolum adjuvat secunda ex productis causa, nempe ratio *Doctrinæ*; de qua infra cum de Apostolis sermo erit. Jam vides autem cur itidem præscribat Symbolum in die octava Sancti Stephani, ratione nempe incidentiæ infra octavam, non quidem Dominicæ Nativitatis, ob quam dicitur in Festo; sed Sancti Joannis Apostoli, cujus missa ex se exposcit Symbolum, & hoc æque bene diceretur in ejus festo, quamvis infra octavam Nativitatis haudquaquam occurreret. Non sic est de subsequenti die octava SS. Innocentium, quæ cum infra nullam octavam incidat, ex hoc capite sibi vindicare non valet Symbolum, quinimo neque illud mutuare a suo festo, quod cum de classe Martyrum sit, utique ex se illud non habet, sed in eo dumtaxat dicitur ex accidenti, & per aliud, nempe ratione octavarum Nativitatis, & Sancti Joannis, infra quas recurrit. Rite ergo suam dispositionem Rubrica prorogat usque ad octavam Sancti Joannis cum dictione *inclusive*, per quam consequenter denotat Symbolum in octava SS. Innocentium haudquaquam dicendum esse, etsi dictum fuerit in festo.

XIII. Priusquam ad ulteriora progradiamur, duo nobis dirimenda supersunt dubia. Primum est, cur item non recitetur Symbolum in feria VI. Parasceves, & subsequenti Sabbato, quæ pariter sunt festa Domini ad recolendam Christi mortem, ejusque sepulturam instituta, de quibus mysteriis in Symbolo mentio fit illis verbis *mortuus & sepultus*. Alterum est an Symbolum, quod a Rubrica *in Ascensione Domini, & per octavam* dici mandatur, dici quoque debeat in subsequenti feria VI. & in Vigilia Pentecostes, in quibus & nos ipsi alias diximus quod veluti officium octavæ prorogatur; & dubio procul officium, cui Romanus Clerus incumbit, de Domino noscitur institutum. Verum ad primum reponit Innocentius III. loco citato, & post eum Durandus lib. 4. cap. 25. num. 14. quod illorum dierum officium, aliorum officiorum regulam non sectatur. Gavantus vero part. 4. tit. 10. num. 36. litt. I. quia nondum Apostoli credebant Christi Resurrectionem, addunt alii, quia fides in morte Christi in omnibus defecit, sola excepta matre ejus Maria Virgine. Ad secundum dicito, quod, ex vi Rubricæ, solummodo dici debet in festo, & per octavam, quæ cum octo absolvatur diebus, dubium esse non potest, quin terminetur in feria V., in qua propterea, aliarum octavarum instar, sub ritu duplici celebratur officium: quæ cum ita sint, profecto ne quidem minimum relevat id, quod subditur, de officio Domini, prædictis diebus instituto, quia officia semiduplicia, qualia sunt de quibus loquimur, de quocumque ea sint, Domino, aut Deipara, numquam ex se Symbolum habere possunt, sed solum per accidens, & adhuc in solo casu incidentiæ in diem Dominicam, aut infra octavam, uti magis dicetur infra.

XIV. *In Pentecoste & per octavam*. Symbolum quoque Rubrica dicendum esse mandat, & in rationem scite producit Innocentius III., quod festum est Spiritus Sancti, de quo in Symbolo ita habetur mentio, *& in Spiritum Sanctum Dominum*: quæ cum ita habeatur de æterno Patre; *Patrem Omnipotentem*, & de ejusdem Filio *Filium Dei Unigenitum*. Idcirco quæcumque festa, quæ de Patre, aut Filio, vel Spiritu Sancto, singulatim sive collectim, alicubi instituta forent, aut postmodum instituerentur, vel ad eosdem quoquomodo attinerent, procul dubio Symbolo honoranda essent. Nihil enim negotii tibi eadem facessat Rubrica, quasi ex hujus præscripto Symbolum non sit dicendum, quia ubi agit de Symbolo altum silet super festum SS. Trinitatis in Ecclesia universali jam institutum; hoc enim ideo quia, cum prædictum Trinitatis festum stat, & intransferibiliter alligatum sit octavæ Pentecostes, aut magis diei Dominicæ, inane prorsus, atque supervacaneum visum est speciatim eidem festo Symbolum assignare, quod in eo jam semper dici debet, ex generali ejusdem Rubricæ mandato, dicendi scilicet Symbolum *in omnibus* festis, quæ *in Dominicis, & infra octavam celebrantur*. Dices, si ita est, cur Rubrica meminit Paschatis, & Pentecostes, quæ non minus itidem diebus Dominicis sunt festa alligata? Ast facilis est solutio hujus difficultatis; meminisse scilicet ratione octavarum, in quibus ut diceretur Symbolum, fuisset necessarium specialem ponere Rubricam, quæ sane minus apte exarata fuisset innominatis earumdem festis, quibus nedum ex se competit quoque Symbolum, sed insuper non convenit octavis ipsis, nisi eorumdem festorum causa; innominatis namque festis, de eorum octavis specialem Rubricam facere, proprium dumtaxat est octavarum illarum, quæ a suis festis Symbolum non depromunt, sed aliunde per accidens illud sibi vindicant; unde quia dies octavæ S. Joannis Baptistæ, & Sancti Laurentii, non a suis festis, sed ab octavis Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, & Assumptionis B. Mariæ, in quibus incidunt, desumunt Symbolum, idcirco Rubrica innominatis festis simpliciter habet: *Symbolum dicitur in die octavarum S. Joannis Baptista, & S. Laurentii*. Ubi quoties in octavis dicitur Symbolum ratione festorum semper festa principaliter quoque nominat, ut in festo *Corporis Christi, & per octavam*. Festum autem SS. Trinitatis, octavam non habet, ut specialis pro eadem Rubrica poni debuerit, quare pro prædicto Trinitatis festo satis provisum extitit per generalem Rubricam de dicendo Symbolo in festis omnibus, quæ in Dominicis celebrantur.

XV. Et reapse, quam modo dicebamus, ecce Rubricam: *Symbolum dicitur in omnibus Dominicis per annum*. Et quidem non tantum quando de iisdem agitur Officium, sed etiam quoties Officium, & Missa fierent de festo, quod fortasse occurreret; quinimmo, tametsi de Dominica ne quidem commemoratio haberetur, sicut evenit in Dominicis, quæ propterea *vacantes* dicuntur, unde ad rem eadem subdit Rubrica: *etiamsi in illis fiat de festo, in quo alias non diceretur, vel Dominica vacet*. Tunc autem in missa festi (nisi sit ex iis, quæ ex se exposcunt Symbolum,) dicitur Credo, non per se, sed per accidens, ratione scilicet Dominicæ in quam occurrit, & extra quam si celebrari contigerit, sine Symbolo persolveretur ejusdem Missa. Si rationem exposcas, eam audi ab Innocentio III. qui scite advertit, in Symbolo mentionem fieri Resurrectionis Christi, quæ recolitur per omnes anni Dominicas.

XVI. Hæc tamen generalis regula fallit in missa Rogationum S. Marci, quæ etsi dici occurrat in die Dominico, non continuo *Credo* dici potest; & præsens Decretum, quod Rubricæ hanc limitationem adhibet, suæ dispositionis simul, atque fallentiæ per hæc verba rationem suggerit; quia est missa ferialis; Symbolum enim indicium est, & apprime deservit in argumentum solemnitatis, cujus cum capax non sit ferialis missa, neque apta ea est suscipere Symbolum a Dominica, in qua celebrari occurrit, quemadmodum reapse susciperent missæ quæcumque de duplici, vel semiduplici, quas assertæ solemnitatis capaces esse dicemus infra. Hinc volumus eruas, iis in Dominicis post Epiphaniam, vel Pentecostem, quæ cum quandoque in propriis sedibus locum non habeant, in præcedentibus feriis anticipantur, & feriali ritu coluntur, eadem, quam dicebamus, de causa, recitandum non esse Symbolum, sicuti observat Bissus, Litt. c. n. 562. & post eum Meratus part. 1. tit. 11. n. 5., & nunc non est vertatur in dubium, cum earum missa non minus ferialis sit, adeoque incapax tam suscipiendi, quam retinendi Symbolum, quod alias ex se in ea diceretur, si in propria sede, sub ritu semiduplici ageretur, aliorum festorum instar, puta Beatæ Mariæ, quæ si duplicia sunt, Symbolum quidem ex se eorum debetur missis sed continuo omittitur, si festa ad inferiorem ritum redigantur, quod verum esse haudquaquam dubita, tametsi in Sabbato officium fieret de duplici, vel semiduplici, cum sola commemoratione prædictæ Dominicæ; nam cum adhuc Dominica ferialis sit, & ejusdem missa sine Symbolo perageretur, si festo non impedita foret, utique apta haud esse potest tribuere Symbolum occurrenti festo; nemo quippe dat, aut dare potest, quod ipse non habet.

XVII. Decreta. *Occurrente festo Sancti Marci infra octavam Pascha, in missa Rogationum non est dicendum Credo*. Sacr. Rituum Congregat. 5. Julii, 1698. in Collen. *Dicitur Symbolum item in omnibus festis, quæ in Dominicis, & infra octavam celebrantur*, sunt alia productæ Rubricæ verba, per quæ confirmantur, quæ superius dedimus de Dominicis; & insuper consimilis lex ponitur de octavis, non quidem omnino universim, sicuti est de Dominicis, cum dentur octavæ, quæ ex se non habent Symbolum, quæ utque neque illud tribuere valent festis, quæ intra easdem celebrantur, sed lex est, & quidem generalis, de octavis illis, quæ ex se Symbolum exposcunt, ita ut in festis omnibus, quæ infra has octavas celebrantur, Symbolum dici debeat ratione octavæ, etiam si forent festa, in quibus alias non diceretur; quinimo quantumvis octava in prædictis festis vacaret, ita ut de eadem ne quidem commemoratio fieret, quemadmodum generaliter evenit in festis primæ classis. In superiori Decreto hæc omnia jam communia esse vidimus festis omnibus, quæ diebus Dominicis celebrantur: nunc limitatio, quam superior doctrina patitur, communis præ-

festi

senti casui redditur, ita ut si missam Rogationum S. Marci infra octavam contingat haberi, in ea non debeat dici Symbolum; ratio, quam supra produximus de Dominicis, est omnino eadem, quia nempe Rogationum Missa ferialis est, adeoque Symboli incapax, quare nos illico progredimur adnotare, quod cum ferialis item missa sit, quæ dicitur de feriis quatuor temporum, de Dominica anticipata, de vigiliis communibus, de feriis aliarum Rogationum, vel de feria 4. Cinerum, vel de aliis feriis Quadragesimalibus, apud privilegiatos, qui tunc temporis octavas celebrant, idcirco omnes missæ ejusmodi, & quæcumque aliæ similes, si quæ sunt, quæ infra octavas celebrentur, fient utique sine Symbolo.

XVIII. Secus dicendum venit de vigiliis festivis, cujusmodi est vigilia Epiphaniæ, & aliæ, quæ apud particulares Ecclesias sub ritu semiduplici in usu sunt celebrari, istæ enim sive in Dominicam, sive infra octavam incidant, cum instar festi se habeant, & semiduplici ritu colantur, a Rubricæ dispositione, quæ *omnia festa* comprehendit, minime repelluntur, sed capaces Symboli sunt, illudque reapse suscipiunt, ut bene definit Guyerus lib. 4. cap. 5. q. 5. Quod Gavantus part. 1. tit. 11. litt. R. rite extendit ad Vigiliam Dominicæ Nativitatis, cujus officium ad laudes incipit ritu duplici; nos vero ad octavarum itidem casum non dubitamus protendere pro locis, ubi vel ex particulari privilegio, vel legitima consuetudine, tunc temporis licitum est octavas facere; quia Rubrica de incidentia in diem Dominicam, aut infra octavam, pariformiter loquitur.

XIX. Ad Rubricam redeuntes, diserte edocemur: *In omnibus festis, & per octavas B. V. Mariæ*, de qua jam in Symbolo *ex Maria Virgine*, dicendum esse Symbolum, & ejusmodi generali regulæ absit limitationem ullam faciamus, quinimo lubentes dicimus, sub eadem comprehendi nedum festa omnia jam instituta, & instituenda, sed etiam officia ipsa votiva, puta de Conceptione, &c. quæ de eadem, dummodo sub *ritu duplici*, per menses, vel hebdomadas Religionibus, vel Nationibus concessa sunt celebrari: diximus dummodo sub *ritu duplici*; quia festa semiduplicia, de quocumque ea sint, de Domino, vel Deipara, sine Symbolo peragenda esse suo loco dicemus. Quod autem modo statutum est de officiis votivis B. Mariæ, idipsum statutum intellige de officiis votivis SS. Sacramenti, aliisque id genus, sub ritu duplici recitari concessis; dummodo ex iis sint, quorum festa duplicia ex se Symbolum exposcunt.

XX. *Festa duodecim Apostolorum, & Evangelistarum, & eorum octavæ, utraque Cathedra S. Petri, Festum Sancti Petri ad vincula, Festa Conversionis, & commemorationis S. Pauli Apostoli, Festum S. Joannis ante Portam Latinam, & Festum Sancti Barnabæ Apostoli*, postmodum Symbolo ab eadem Rubrica diserte donantur; fuerunt enim Apostoli Auctores Symboli, si non Constantinopolitani, quod recitatur in Missa, certe alterius, propterea dicti Apostolici, quod ceteroquin illius quasi exemplar est, & in eodem quoad substantiam inclusum. In Symbolo itidem denominantur; nam per ea verba *Apostolicam Ecclesiam*, communiter ab Auctoribus Apostoli ipsi indicari creduntur; & sane ipsi doctrinæ fidei primi satores, & promulgatores fuerunt. Altera ex productis causis, ob quas Symbolum dicitur in missa Evangelistarum, est, quia Evangelistæ Dei verbum scriptis tradiderunt, qua de causa Apostolici censentur viri, & cum Apostolis ipsis pares eos facit Ecclesia, parilique honorat officio. Pro Sancto Barnaba jam vides Apostoli titulum, quo eum Rubrica decorat, & in Ecclesiastica Historia profecto nimis rudis foret, qui Barnabam ab ipso Jesu Christo in fidei suæ præconem electum, inter primos, præcipuosque ejusdem fidei disseminatores haudquaquam adnumeraret. Cetera festa non est conemur ostendere esse, si non primaria, secundaria Apostolorum festa, ut hinc eruamus donanda pariter esse Symbolo, quod Apostolici muneris est veluti tessera.

XXI. Hæc de Apostolorum, & Evangelistarum, qui tales sunt re, nomine, & officio, modo dicendum superest iis de sanctis, qui licet de Apostolorum numero reapse minime sint, Apostolorum tamen nomine decorati conspiciuntur in sacris litteris, Sanctorum sermonibus, Martyrologio Romano, & in Breviario ipso Pii V. aut in Regionum historiis; nec non de iis, qui ultra nomen, consecuti sunt Apostolorum officium, si non in Breviario Romano, in legitimo particularium Ecclesiarum usu: qua de re, quæ in tomo primo nostrorum Commentariorum tradidimus, operæ pretium erit recolere. Quemadmodum autem inibi prædictorum Sanctorum illos, qui ultra nomen, Apostolorum officio potiuntur, præferentiæ privilegio donavimus, secus, qui solo nomine gaudent, ita modo de Symbolo dicendum esse putamus, adoptantes opinionem Guyeti lib. 3. cap. 28. q. 3. existimantis Symbolum tamquam accessorium Apostolorum officio naturam sui principalis sequi debere; ex quo fit discipulos Domini, aliosque Doctrinæ fidei disseminatores, quos officio respective Martyrum, vel Confessorum Ecclesia solet recolere, sine Symbolo debere celebrari.

XXII. Hinc habes cautam, ob quam Rubrica festum Sanctæ Mariæ Magdalenæ, etsi de classe SS. Mulierum ipsa sit, cum Symbolo honorat. Ipsa namque, ut advertit Innocentius III. fuit Apostolorum Apostola, cum fuerit omnium prima, quæ Resurrectionis gaudium nuntiavit Apostolis. Ad Doctores quod spectat, antiquitus Rubrica solummodo Symbolum dici mandabat in festis quatuor Doctorum, Gregorii, Ambrosii, Augustini, & Hieronymi, tamquam primariorum Ecclesiæ latinæ luminum, qui explicarunt Symboli mysteria, fidei doctrinam docuere populos, suisque scriptis eamdem late propagarunt, & tamquam Antesignani ita præcessere ceteros, qui post ipsos fuerunt Doctores, ut fere cunctis suo modo quadrare queat, quod de Augustino habet D. Thomas a Villa Nova Conc. 1. de *Augustino* videlicet *a sole omnia Astra lucent, ab Augustino, qui post ipsum fuerunt Doctores, sapientiæ lumen accipiunt. Ipse vero propria luce fulget, quam a nullo hominum, sed a solo Deo accepit.* Idem postea honos a Gregorio XI. & Urbano VI. decretus extitit quatuor Ecclesiæ Græcæ Doctoribus, quare eidem additum fuit Rubricæ: *Item in festis Doctorum Athanasii, Basilii, Gregorii Nazianzeni, & Joannis Chrysostomi*: variationem denique aliam, per hæc verba: *Addito festo S. Thomæ de Aquino, & S. Bonaventuræ*, passa est memorata Rubrica temporibus Pii V. & Sixti V. quorum primus eumdem Divum Thomam, secundus Sanctum Bonaventuram Ecclesiæ latinæ Doctoribus aggregare putaverunt. Quod cum postmodum Clemens XI. sub die 3. Feb. 1720. de Sancto Anselmo, Innocentius XIII. 25. Apr. 1722. de S. Isidoro, & novissime Benedictus XIII. 10. Febr. 1729. de Sancto Petro Chrysologo similiter præstiterint; idcirco Rubrica, quæ nunc legitur in Breviario Romano, diminuta manet, eique addi debent festa memorata.

XXIII. An in festis aliorum ab enumeratis, & quorum Symbolum dici possit, aut debeat, succedit quæstio, quam nos juxta Guyeti opinionem, atque sententiam, brevi sermone dirimimus sic. Vel sancti, de quibus agitur ex Apostolica concessione, vel legitima consuetudine, jam habent officium, aut illud non habent: si habent, vel in eorum officio dicitur octavum Responsorium: *In medio Ecclesiæ*, & Antiphona ad Magnificat, *O doctor optime*; aut solummodo præfatum Responsorium; non tamen Antiphona, aut neutrum: si recitetur in officio & Responsorium, & Antiphona, in missa quoque dicito Symbolum; si tantummodo Responsorium, abstineto. In Breviario quippe Romano Leo Magnus habet præfatum Responsorium in officio, non tamen in missa Symbolum; in qua utique a fortiori tacendum erit, si nec Responsorium, nec Antiphona, *O doctor optime* habeatur in officio. Quod si sancti, ut supra, non habeant officium, & ob aliquem titulum debet institui, tunc examinandus est titulus talis, qui Symbolum exposcat, cujusmodi est Titularis, Patroni, aut Reliquiæ; tunc utique erit dicendum, sin omittendum; quamvis enim sancti, quicumque ii sint, in fidei disseminationem, & propagationem verbo, & scripto plurimum elaboraverint, nostrum esse non potest eosdem in classe Doctorum Ecclesiæ collocare, aperte enim ex adductis exemplis conspicere possumus, hoc nonnisi per specialia Decreta evenire.

XXIV. *Angelorum denique festis* Symbolum Rubrica decernit, ea autem ratione putant Doctores, quod in Symbolo, vel sub nomine *Cæli*, autem *invisibilium* eorumdem mentio habeatur; nobis autem magis arridet pro ratione recitandi Symbolum in Angelorum missis assignare potius classem peculiarem, quam ipsi constituunt omnibus aliis superiorem, quæ secum inseparabiliter peculiarem quoque celebritatem affert, unde ratione potius celebritatis, quæ est tertia ex productis causis, quam eo quia eorum mentio habeatur in Symbolo, Angelorum festis Rubrica Symbolum decernit.

D E C R E T A.

XXV. *Ubi Sancti Joannis Baptistæ festum, & ejusdem Decollationis memoria, gaudent prærogativa Patroni, vel Titularis, in missa est utique recitandum Symbolum, secus vero negative, ni rursus adesset ejusdem sancti insignis Reliquia.* S. R. C. 11. Maii 1743. in Senen. Tres solummodo Decretum hoc casus enumerat, scilicet Patroni, Titularis, & insignis Reliquiæ, in quibus in Festo S. Joannis dicendum est Symbolum, & hos extra casus, per verba *secus negative*, tacendum illud esse aperte declarat. De hisce casibus non expedit hic pertractemus, quia eorumdem quemlibet statim perscrutari debemus; hinc illico nostram Rubricam arripimus, a qua *dies octavas Sancti Joannis & S. Laurentii* Symbolo donari conspicimus. Dices tu itaque, si ita in die octava, ergo & in die festo, cujus illa tamquam accessorium naturam sequitur; at minime; in die namque octava ex accidenti dumtaxat dicitur, & per aliud, ratione scilicet octavarum SS. Petri, & Pauli, ac Assumptionis B. Virginis Mariæ, infra quas illæ respective recurrunt, hac autem ratione etiam diceretur Symbolum in festis, si in die Dominica, vel infra aliquam octavam contingeret celebrari. Unde Rubrica in missa S. Joannis posita, *non dicitur Credo, nisi in Ecclesia propria, vel nisi venerit in Dominica, aut infra octavam Corporis Christi, sed in die octava dicitur propter octavam Apostolorum.*

XXVI. Una vox hæc est Auctorum, quos inter Durandus nos admonet, quod in quibusdam Ecclesiis Symbolum dicitur in festa S. Joannis, & quod dignum est ponderetur; addit *& non incongruenter, quia in Symbolo de Prophetis fit mentio: Qui locutus est per Prophetas, & ipse non solum fuit Propheta, sed plusquam Propheta.* Verum nos, quos particularium Ecclesiarum usus haud quaquam morantur, contenti sumus reponere, quod Ecclesiæ Romanæ disciplina non assolet sanctos Veteris Testamenti, aut Evangelicos, quantum attinet ad officii recitationem divini, in diversas classes secernere, sed eosdem Catalogo Martyrum, vel Confessorum aggregat, officioque honorat, prorsus neglecto Prophetarum, vel Patriarcharum titulo, in cujus loco illum Confessorum, vel Mar-

tyrum respective substituit, ut videre est in festis SS. Machabæorum, Joachim, Annæ, SS. Joseph, & Joannis Baptistæ Decollatione, quorum officio dumtaxat universalis incumbit Ecclesia, & non minus id præstant Ecclesiæ particulares, ut Veneta, quæ de SS. Veteris Testamenti, Patriarchis, & Prophetis officium instituit. Hinc uberem habes causam, ob quam, etsi in Symbolo fiat Prophetarum mentio, adhuc in eorum missa non dicitur *Credo*, quia nempe eos tamquam Prophetas non inspicit, neque recolit, sed præcise tamquam martyres, vel confessores, quorum missa in Romano usu Symbolum non sibi vindicat, nisi Patroni, aut Titulares sint, vel insignis eorum habeatur Reliquia: quibus in casibus, dum Decretum festo S. Joannis attribuit Symbolum, idipsum faciendum insimul ostendit de quibuscumque Sanctis Veteris, aut Novi Testamenti, seu Ecclesiasticis.

XXVII. *Festum*, *& octavam omnium Sanctorum* Symbolo decorare Rubrica progreditur, quoniam, ut observat Gavantus, in prælato festo etiam Deiparam, Apostolos, Doctores, aliosque, quibus, ut supra, convenit Symboli recitatio, veneratur Ecclesia. Addit vero Innocen. III., quod tale Festum est itidem dedicationis festivitas, ut videtur non obscure erui ex iis, quæ nos ipsi in Tom. primo late tradidimus, quare Symbolum dicendi, altera locum habet itidem causa, de qua mox debemus dicere.

D E C R E T A.

XXVIII. *In die Sancti Laurentii Titularis alicujus Ecclesiæ Cathedralis, vel Matricis nullius Diœcesis, non est recitandum Symbolum in aliis Ecclesiis ejusdem Loci, sed tantum in Ecclesia propria.* S. R. C. 23. Martii 1709. in Perusina. Ad Rubricam quod attinet, ipsa pergit assignare Symbolum dedicationibus S. Salvatoris, & SS. Apostolorum Petri, & Pauli, & Anniversario propriæ Ecclesiæ, & per octavam, & tacet super dedicationem Ecclesiæ cathedralis, licet ejusdem officium ad totam Diœcesim extendatur. Quærit Guyetus lib. 3. cap. 18. q. 3. quid igitur sit faciendum, & non dubitat affirmare, ductus tum exemplo dedicationum S. Salvatoris, & SS. Apostolorum, quia harum, & illius par omnino videtur esse ratio. Tum quia valet æque pro omnibus causa, quam affert Innocentius III. lib. 2. cap. 51., quia nempe in Symbolo habetur, *Sanctam Ecclesiam*. Addit præterea Rubrica Symbolum quoque esse dicendum *in die consecrationis Ecclesiæ*, *vel Altaris*: unde idem subdit Guyetus, an non & per octavam? non quidem Altaris, quia cum octava non fit, Ecclesiæ vero utique, quia octava subsequens cum die consecrationis una eademque reputatur dies; pro anniversario autem ejusdem consecrationis ea facit ratio, quod hoc non est nisi consecrationis primum factæ anniversaria recensio. Quicumque itaque celebrant missam de dedicatione alicujus Ecclesiæ, licet extra eamdem Ecclesiam, Symbolum dicere debent, quemadmodum sentiunt Guyetus lib. citato, & Bissus litt. C. num. 560. §. 18., & ante hos docuere Innocentius III., atque Durandus, qui propterea materialiter ea verba Symboli, *Sanctam Catholicam Ecclesiam* intelligentes, dixere per consecrationem Ecclesiam veluti Sanctificari, & Catholizari, ut inde ejusdem appareret mentio in Symbolo.

XXIX. Secus est de festis Sanctorum, quibus dedicata est Ecclesia, in quibus quidem Rubrica Symbolum demandat, sed præsens Decretum limitationem eidem adhibet, ita ut solum recitari debeat, si celebretur in Ecclesia propria, secus vero, si Missa fiat in aliis Ecclesiis: & quidem, quantumvis ageretur de Titulari Ecclesiæ Cathedralis, vel Matricis Diœcesis, cujus officium sub ritu duplici primæ classis, & octava protenditur ad totum jurisdictionis districtum. Festa ejusmodi sunt ex iis, in quibus dicitur Symbolum ratione tertiæ ex productis causis, scilicet *celebritatis*; qua cum Titularis careat extra propriam Ecclesiam, idcirco extra eam sine Symbolo debet percurri, nisi foret ex iis sanctis, quibus aliunde, seu per se illud competit, quo in casu Symbolum quidem diceretur, non quia sit festum Titularis, sed talis Sancti Classis, seu cui per se convenit Symbolum, sicuti hac de causa semper dicitur in Missa dedicationis, licet extra eamdem Ecclesiam celebretur. Hos ad limites volo pertrahas præcedens Decretum, licet absolute assignet Symbolum in missa S. Joannis ubi Titularis est, ita ut sit quidem dicendum in propria Ecclesia, non tamen extra.

XXX. De titularibus Ecclesiarum, & adnexarum, quorum officium sub ritu primæ classis ad Ecclesiam principalem, & e contra, in Tom. 1. dicebamus extendi, nunc quæstio instituitur, num in eorum Missa, non quidem si celebretur in propria Ecclesia, sed in Ecclesia principali, vel e contra Symbolum dici debeat, & videtur quod non, quia juxta Decretum ad rem de qua agitur, Missa debet fieri in Ecclesia propria, seu cujus sunt Titulares; quoniam tamen unio hujusmodi constituit Ecclesiam accessoriam, quasi unam, & eamdem cum principali, & e contra, ita sicuti ob hanc causam officium Titularis unius ex istis Ecclesiis æque principaliter extenditur ad aliam, ita extendetur & Symbolum.

XXXI. Hæc parum consona videntur esse Rubricæ, quæ quidem admittit Symbolum in festo Tituli Ecclesiæ, sed illico per exceptionem subdit, *non autem alicujus Capellæ*, *vel Altaris*. Ast non multum relevat ratio illa, quia ibi sermo est de Capellis, quæ sunt pars ejusdem Ecclesiæ, non autem de Capellis per se stantibus, & separatis, de quibus nos loquimur; harum enim Titularium officia æque principaliter ut supra extenduntur, quidni igitur & Symbolum? Ubi illarum Tituli nec extenduntur, nec in propria ipsa Ecclesia, nisi alias habeant, sibi vindicant officium, & quatenus aliunde illud habeant, celebrandum est perinde, ac si Tituli non forent, quidquid sit de Missa solemni, quæ sola ratione concursus posset haberi cum Symbolo juxta declarationem S. R. C. sub die 1. Aprilis 1666. in una Burgi S. Domnini sequenti Decreto: *Symbolum in Missa solemni potest decantari in illa Ecclesia, ubi est Altare erectum sub invocatione alicujus sancti, ratione concursus ad præscriptum Rubricarum, licet de eo fiat officium sub ritu semiduplici, ut pro festo sancti Antonii de Padua declaravit* S. R. C.

D E C R E T A.

XXXII. In *Missa Patroni minus principalis non debet dici Credo, & particulam Patroni intelligendam esse de Patrono principali tantum, nec posse extendi ad minus principales statuit S. R. C. 2. Decembris 1684. in Beneventana, & 15. Sept. 1691. in Lycien.* Simpliciter, & absolute *Patrono loci* Symbolum assignat Rubrica, & dubium esse non potest de Patrono principali, qui cum primarium loci gerat patrocinium, certe a Rubricæ dispositione censeri non potest exclusus. Dubium itaque remanet de Patronis minus principalibus, an videlicet *Patroni* nomine simpliciter, & absolute ut supra a Rubrica prolato, veniant etiam, aut venire valeant Patroni minus principales? Non venire jam præsens aperte reponit Decretum. Quotiescumque enim Rubricæ *Patroni* nomine simpliciter, & absolute utuntur, & præsertim *Patroni* vel *Tituli* nomine, ut fit in præsentiarum, de solo Patrono principali disponunt, sicuti fere omnium Rubricarum textibus, in Tom. primo, nos late probavimus; modo vero contenti sumus producere Tabellam duplicium primæ classis, quæ dum habet *Patronus* vel *Titulus* Ecclesiæ, quis umquam negare potest, ibi sermonem haberi de Patrono loci (alias Rubrica diminuta foret) & de solo Patrono principali, quia Patroni minus principales ritu duplici primæ classis non sunt celebrari concessi?

XXXIII. At quid ubi habentur plures Patroni principales? Omnium Missa cum Symbolo agi debet, aut solum principalioris, qui propterea, & solus cum festivitate recolitur? Suo loco jam diximus ex Patronis principalibus, alios dici particulares, scilicet particularis alicujus loci, vel Civitatis, alios universales, scilicet Regni, Provinciæ aut Nationis. Ex particularibus unus tantum principalis haberi potest, & alter item solummodo ex universalibus; & solum per Apostolicum Indultum, aut consuetudinem præviam ad diem 23. Martii 1630. plures ex principalibus, sive particulares, sive universales, recoli possunt, ubi plures habentur omnes sortiantur ritum duplicem primæ Classis, & octavam: Unus tamen dumtaxat ex particularibus, & alter ex generalibus juxta Urbanam constitutionem, cum festivatione possunt celebrari, & cum festivatio unius præ aliis, non faciat quod hi similiter non sint principales, aut non celebrentur ritu duplici primæ classis cum octava, qui honos est Patronis principalibus a Rubricis præscriptus, & quia pariter veniunt nomine *Patroni* simpliciter, & absolute a Rubricis prolato, alias non minus hæc a diminutione non possent excusari, ut consideranti facile patebit, idcirco nec tollet ab eorum Missa Symbolum, quod Patronis principalibus Rubrica decernit. In missis autem Patronorum principalium, item dicitur Symbolum ratione tertiæ ex productis causis, scilicet ratione celebritatis: sed cum horum celebritas, ubi est illa Titularium, non sit restricta ad Ecclesiam aliquam particularem, sed respective protendatur ad totum locum, vel Regnum, quorum sunt Patroni, idcirco respective quoque in toto loco, vel Regno, ubi celebrantur, cum Symbolo debent celebrari, in quacumque loci, vel Regni Ecclesia celebrentur. Quod si Patronorum principalium Missam extra locum, vel Regnum, ubi sunt Patroni, contingeret celebrari, haud refragarer sine Symbolo esse faciendam, quemadmodum dicebamus de titularibus, quorum celebritas, quia non protenditur extra Ecclesiam propriam, seu cujus sunt Titulares, eorum Missa sine Symbolo fieri debet, si extra eamdem Ecclesiam habeatur; quæ omnia late confirmata remanent per sequens Decretum.

D E C R E T A.

XXXIV. *Exequenda sunt omnino Decreta 2. Decembris 1684. 15. Decembris 1691. & 19. Januarii 1700. quibus vetitum est dicere Credo in missis Patronorum minus principalium, etiam si nunquam fuerint ad praxim deducta, & a missalibus, ubi contrarium notatur, expungatur.* S. R. C. 22. Augusti 1744. in Cracovien. Tria hic Decreta exequenda mandantur, & cum dictione *omnino*, quæ importat præcisam executionem, sine dispensatione ulla, vel exceptione. Primum sub die 2. Decemb. 1684. est illud idem, a cujus expositione vix venimus, & in eo jam firmatum vidimus dici non posse Symbolum in missis Patronorum minus principalium; & cum idipsum omnino statuat secundum Decretum, iddirco absque productione materialium verborum, quibus est compactum, contenti fuimus illud citare in fine ejusdem præcedentis Decreti. Ad tertium quod attinet, reapse in eo sermo non est de festis Patronorum minus principalium, sed de festis minus principalibus, seu secundariis Patronorum principalium, quod propterea, hic dumtaxat adnotato mendo, nos inferius tamquam in opportuniori loco reservamus producere.

XXXV. Ut dicebamus, itaque hic confirmantur Decreta, qui-

bus

bus vetitum est dicere *Credo* in missis Patronorum minus principalium, & cum confirmentur cum dictione *omnino*, nulla adesse potest causa, ob quam Ecclesiæ se dispensare queant, ab eorumdem observantia Decretorum. Et quidem dubium non est, quod nec ipsa quantumvis prisca, & antiqua consuetudo prædictum valida est tueri Symbolum, cum per ea Decreti verba, *etiamsi umquam fuerint ad praxim deducta*, adeo irrita facta sit, atque cassata, ut in hoc constans Congregationis mens expunctum etiam voluerit quidquid in contrarium in Missalibus adnotatum esse posset. Hinc ubertim habes quantum a vero abeat Guyetus, dum lib. 3. cap. 18. q. 3., etiam festa, & octavas Patronorum minus principalium honorat Symbolo eo titulo, quod & ipsi sint vere Patroni. Idipsum dicito de Gavanto, cui assentitur quoque Guyetus, Part. 1. tit. 11. litt. *q.* concedente Symbolum festis secundariis Patroni minus principalis, hoc enim aperte est contra tertium ex Decretis, quæ hic confirmantur, & quod infra dare, & explicare promisimus.

XXXVI. Ad Rubricam redeuntes eam ubique festis Regularium ordinum favorabiliorem conspicimus, quam huc usque fuerit erga festa locorum, atque nationum, nam Regularium ordinum Patronos principales, Institutores, & Titulares, Symbolo donat, uti præstat in festis locorum, atque nationum, sed simpliciter, & absolute *in festis principalibus ordinum, & per eorum octavas*, Symbolum dicendum esse præscribit. *Principalium festorum* nomine nullus ex auctoribus dubitat, quin veniant festa omnia, quæ Ritu primæ classis celebrantur; & Institutoris ordinis, Auctoris Regulæ, sub qua militant, principalis Tituli, a quo denominantur, & principalis Patroni si eum habeant. An vero sub eodem nomine comprehendantur etiam insigniores ordinis professores, non modica lis est inter Doctores. Guyetus lib. 3. cap. 18. qu. 3. servandum esse censet legitimum cujuslibet ordinis usum, neque tamen facile concedendum alios venire, qui Ritum obtinent secundæ classis, & hanc doctrinam Bissus approbat innixus Cæremoniali monastico, cui addi potest praxis omnium fere Regularium ordinum, qui in festis suorum Sanctorum secundæ classis Symbolum recitare non dubitant. Meratus part. 1. tit. 11. n. 13. in contrariam sententiam propendit, quamvis ultra Ritum 2. classis, cum octava celebrarentur, exemplo ducto a festo S. Laurentii, quod sine Symbolo excurritur, tametsi sub Ritu duplici 2. classis, & cum octava colatur. Concludit itaque, Regularium praxim abrogandam esse tamquam contrariam rituum regulis & parum consonam ipsi Rubricæ, quæ cum id honoris solis festis principalibus tribuat, nostrum esse non potest illud commune reddere sanctis secundæ Classis, qui cum a superiori decidant, principalium nomine non videntur venire posse. Novissime insurrexit Lucius Ferraris, qui in sua Bibliot. T. 7. verbo Symbolum, n. 22. standum quidem asserit prædictæ Regularium consuetudini, quæ est optima legum interpres, & cum inveterata sit atque præscripta, pro lege est observanda, sed quia postea subdit, quod præcisa hujusmodi communi praxi, non deberet dici Symbolum, profecto causam Regularium deserit quasi in Rubricam peccaverint, talem inducentes praxim.

XXXVII. Liceat nobis itaque prædictam communem Regularium praxim solidis innixam Rubricarum fundamentis credere; *festorum* enim *principalium* nomine, *festa* majora respectivi ordinis non incongrue venire, & significari censentur; quid autem dices, si etiam festa secundæ Classis sunt festa majora in Rubricarum sensu? Audi Rubricam X. in Breviario de translatione, num. 2. *Si in die octava alicujus festi habentis octavam occurrat aliquod festum ex majoribus supra in Rubrica de commemorationibus annumeratis, fiat de festo cum commemoratione diei octavæ, si autem non fuerit ex prædictis festis, fiat de octava, & festum transferatur.* Festa autem ex majoribus, quæ Rubrica de commem. producit, & in quorum occursu fit de festo cum sola commemoratione diei octavæ, sunt festa primæ, & secundæ Classis, ergo etiam festa secundæ Classis sunt ex *majoribus* in Rubricarum sensu. Audi modo præfata secundæ Classis festa, annumerari pariter inter festa solemniora a Rubrica 7. de oct. Statuit enim hæc Rubrica, quod intra octavas fit de duplici, & semiduplici occurrente *cum commemoratione octavæ*, & statim per exceptionem addit *nisi illa festa sint de solemnioribus enumeratis in sequenti Rubrica de commem. in quibus nulla fit commemoratio*. Cum itaque inter festa, quæ enumerantur a Rubrica de commem. & in quibus cessat commemoratio octavæ recenseantur festa secundæ classis, quis unquam inficias ire potest, quod festa secundæ classis sint itidem festa *solemniora*, & consequenter in nostro casu ex principalibus, quæ Symbolo Rubrica donat? Verum ne diutius, quam par est, immoremur, aut habeamus, unde contendere super legitimum terminorum sensum, ecce Rubricam, sub Tabella concurrentiæ positam, quæ dum etiam festa duplicia secundæ classis, *festa solemnia, & principalia nuncupat*, litem potius in favorem Regularium dirimit. *Notandum, quod in primis vesperis diei octavæ Ascensionis, & Corporis Christi, tantum officium fit de octava cum commemoratione præcedentis festi duplicis, nisi fuerit festum solemne principale, vel primæ, vel 2. classis, quia tunc de festo fieret officium, & commemoratio de octava.*

XXXVIII. *Et per eorum octavas* ut supra quidem habet Rubrica, quam nollem a quopiam ita intelligi, quasi Symbolum assignatum dumtaxat sit iis sanctorum festis, quæ per ordinem cum octava celebrantur, sed magis, quod Symbolum etiam dici debeat in octavis eorumdem festorum, si quæ octavam habent: & non tantum in die festo, sicuti nonnullis minus peritus fortasse videri potuisset, si Rubrica solorum festorum meminisset. *In Ecclesiis tantum illius ordinis* eadem ait Rubrica, quam ex cæremoniali monastico ita Guyetus explicat; *ut non de regularibus ordinis dictum intelligatur, quibus utique, etiam extra suas Ecclesias celebrantibus, Symbolum in suis festivitatibus recitare fas est, sed de aliis, qui celebrant missam de Patrono ordinis, cujus ipsi non sunt membra. Hi enim non debent dicere Symbolum, nisi celebrent intra Ecclesiam ejusdem Ordinis.* Verum cum festa hujusmodi, non minus, ac ea Titularium, & Patronorum Symbolo, ratione solemnitatis, donentur, idcirco in pari causa, tu idem judicium facito, ac consequenter, quod sicuti Titularium, & Patronorum Festa extra propriam Ecclesiam, vel locum sine Symbolo celebranda esse diximus, ita & allegata festa extra Ecclesias ordinum, a quocumque missa celebretur; & præsertim, quia in nostro casu limitationem prædictam diserte habet Rubrica, ubi nihil ejusmodi tenet, ubi agit de festis Patroni, vel Tituli.

D E C R E T A.

XXXIX. *Si officium concessum sit universo Clero civitatis de aliquo sancto, cujus insignis Reliquia asservatur in Cathedrali, vel Matrice, seu Parochiali, tunc Missa cum Symbolo celebranda est in ipsa Ecclesia tantum, in aliis vero Ecclesiis sine Symbolo, ex Rubrica Missalis Romani 11. de Symbolo juxta Decretum 2. Decemb. 1684. in una Canon. Regul. Lateran. S. R. C. 10. Jan. 1693. in una Galliarum.* Hæc nos edocet sanctio, quod iis in Ecclesiis, in quibus insignis aliqua Reliquia asservatur, potest quidem sicuti officium, ita missam institui, & cum Symbolo celebrari; sed si missa celebretur extra Ecclesiam, in qua Reliquia asservatur, sine symbolo fieri debet. Quam Decretum allegat, primo se nobis offert Rubrica, quæ cum Symbolum dici mandet *in Ecclesia ubi habetur Corpus, vel insignis Reliquia sancti, de quo agitur*, consequens fit quod debeat omitti, si in Ecclesia, in qua celebratur, minime asservetur Reliquia. Diximus *asservetur*, quia sufficit habeatur reliquia, nec necesse est, quod maneat exposita, cum nec Rubrica, nec Decretum, seu Decreta, hanc conditionem apponant. Asservatur autem sufficienter ad rem de qua agitur, tametsi non habeatur in Ecclesia, sed custodiatur in Sacristia, vel Monasterio, aut Sacello adnexo eidem Ecclesiæ. Adverte tamen, quod ex Decreto S. R. C. talis Reliquia debet esse integra, prius ab ordinario legitime approbata, capax videlicet, ut si non est actu exposita, quod possit ad publicam venerationem exponi. Ad hoc autem inter alias requisitas conditiones requiritur, quod talis Reliquia sit de Sanctis non baptizatis nominibus ad libitum, sed solummodo de descriptis in Martyrologio Romano, & dummodo constet de identitate corporis, cujus est Reliquia &c. de quibus infra. Nunc autem æquum est demus Decretum, cui pariter eadem supradicta innititur sanctio, & est

D E C R E T A.

XL. *Qui recitat officium de Sancto, de quo habet insignem Reliquiam in propria Ecclesia, si celebret eo die in alia Ecclesia, debet omittere Credo.* S. R. C. 2. Decemb. 1684. *in una Canon. Regul. Lateranen.* Decretum hoc expositione non indiget, quare illico pergimus assignare rationem discriminis, & est, quod dicitur Symbolum ratione celebritatis, qua gaudet in propria Ecclesia, caret vero in aliena. His liceat nobis addere Decretum subsequens.

D E C R E T A.

Clerus, qui habet Indultum recitandi officia Sanctorum, quorum insignes Reliquiæ asservantur in aliena Ecclesia, quæ habet Clerum separatum, in missis non debet dicere Credo. S. R. C. 2. Decemb. 1684. *in una Canon. Regul. Lateranen.* Opus non est te moneam ulterius super inhibitionem Symboli in missis de Sanctis, quorum Reliquiæ in aliena asservantur Ecclesia, quare dumtaxat vellem advertas to *quæ habet Clerum separatum*; ut inde edificas, quod si idem sit Clerus utriusque Ecclesiæ, seu Ecclesia, in qua asservatur Reliquia, sit accessoria, vel adnexa Ecclesiæ, in qua celebratur, vel e contra, tunc in utraque Ecclesia potest celebrari cum Symbolo, quemadmodum in similibus dicebamus superius; in his enim casibus se habent, seu considerantur tamquam una, eademque Ecclesia.

XLI. *Corpus, vel insignem Reliquiam.* Decretum exposcit in Ecclesia, in qua celebratur, ut Symbolum dici possit in Missa; quæ autem insignis haberi, vel censeri debet ad prædictum effectum, eam esse ne dubites, ratione cujus officium duplex valet institui, qua de re jam fuse egimus in Tom. primo, & ne ægre feras, me ad ibi dicta recolenda te amandare velle, supervacaneum non puto, ea hic, ad commodiorem habendam ponderationem, summatim recensere. Insignes igitur Reliquiæ ratione quarum Missa cum Symbolo in Ecclesia, ut supra &c. illæ sunt, quæ exponuntur in Decreto S. R. C. sub Urbano VIII. approbante, emanato die 8. April. 1628. sub his verbis.

D E C R E T A.

Insignes Reliquiæ, quarum ratione recitari potest officium sub Ritu duplici minori, sunt caput, brachium, crus, aut illa pars corporis, in qua passus est martyr, modo sit integra, & non parva, & legitime ab ordinariis approbata. Hinc habes

quascumque alias corporis partes, & alia quælibet, quæ veluti Reliquias alicujus Sancti venerari in usum habet Ecclesia, puta capillos, ungues, cineres, vestes, instrumenta passionis, aliaque hujus generis innumera, pro Reliquiis insignibus haberi non posse, saltem ad effectum Missam cum Symbolo recitandi earumdem causa: sic sentiunt passim Auctores, inter quos Salmanticenses Tom. 4. Theol. mor. 16. de Hor. Can. num. 35. Eustachius a S. Ubaldo de Dei Bened. Observ. 9. sect. 4. num. 218. aliique communiter. Idipsum ratio ipsa demonstrat. Nam si pro cunctis Reliquiis liceret officium, & consequenter Missam institui, jam finis non esset officiorum, Missarumque, & in nihilum prorius abirent officium feriale, ac Dominicale cum respectivis missis, & incommoda alia multa sequerentur, ad quæ unice præcavenda sancitum fuit licitum non esse per totam Diœcesim, vel civitatem officium agere, vel Missam ob Reliquiam Sancti alicujus, quæ in aliqua loci Ecclesia asservetur. Explanat hoc etiam Decretum S. R. C. emanatum sub die 3. Junii 1662. sub hac formula.

D E C R E T A.

Episcopus non potest statuere diem Dominicam ad celebrandum festum alicujus Sancti Martyris, de quo asservatur Reliquia insignis in aliqua Ecclesia; nec de eo celebrari debere officium, & missam in ipsa die sui Martyrii, nisi Reliquia sit de Sancta descripto in Martyrologio Romano, & nisi constet de identitate Reliquiæ ejusdem Sancti. Tibia non est Reliquia insignis. Tibia profecto non est ex inferioribus corporis partibus, sed est præcipuum os, quod crus componit, ideoque, si ista inter insignes non est computanda Reliquias, utique a fortiori nec manus, pes, digitus, maxilla, auricula, aut similes inter ipsas numerabuntur, & multo minus adhuc ea, quæ corporis partes nullatenus sunt, ut vestes, instrumenta passionis &c.

XLII. Cum dicimus vestes, instrumenta passionis &c. computanda non esse inter insignes Reliquias, pro recitatione Officii, & Missæ Celebratione, loquimur quoad sanctos quidem etiam eximios, non tamen quoad Christum Redemptorem nostrum, ejusque SS. Matrem M. V. & ratio est, quia sicuti specialis in iisdem reperta excellentia hos a quibuscumque sanctis in cultu distinguit, ita eorundem Reliquias speciali nota, ac privilegio, cultuque dignas Ecclesia constituit, etsi parvæ sint quantitatis; defectus enim quantitatis per excessum suppletur qualitatis. Hinc Spinæ de Corona Dom. Nost. Jesu Christi, adhuc etsi Dominicæ annumerentur inter instrumenta Passionis, ac magnæ quantitatis non sint Reliquiæ, inter insignes utique Reliquias computantur, & ut tales venerantur, quamcumque materialem defectum abunde supplente excessu formali excellentiæ, ac sanctimoniæ in Christo residentis, a quibus unice dignificantur, ac qualificantur in veneratione, & existimatione; nullam enim in se ipsis excellentiam, aut sanctitatem habent, nisi relate ad Christum; proindeque eadem speciali nota cultuque specialissimo latriæ, qui debetur Christo, dignæ redduntur. Idipsum dicendum venit de ceteris instrumentis Passionis Christi, ut Cruce, Lancea, Clavis, Spongia, aliisque hujusmodi, quibus Christus passus est, & crucifixus. Idem a fortiori pronunciari debet de Præputio, & Sanguine Christi; quæ cum propinquius ad Christum attineat, præstantiores etiam censentur Reliquiæ; nec diversimode de capillis, velis, ac aliis Reliquiis B. Virginis dicendum venit, quam speciali excellentia, ac sanctimonia a ceteris cunctis sanctis exornatam veneratur Ecclesia, ac speciali hiperduliæ cultu distinguit.

XLIII. Quod autem de Spinis, aliisque supradictis insignibus Reliquiis peculiare officium, Missa, atque festivitas absque speciali indulto institui possit iis in locis, & Ecclesiis, in quibus asservantur, non videtur; quia cum Missa, & officium non sit concessum fieri de Reliquia, sed de Sancto cujus habetur Reliquia, vel si de Reliquia, non nisi de ea per relationem ad sanctum cujus illa est, & aliunde pluries in anno festum cum officio, ac missa de Christo, atque B. Virgine fieri contingat, propterea hæc, juxta Ecclesiasticam consuetudinem & pro Reliquia supplere, seu deservire poterunt, ac debebunt, ut exponentes Decretum primum, in primo Volumine nostrorum commentariorum dicebamus. Idipsum suadet universalis Ecclesiarum consuetudo, quæ minime de hujusmodi Reliquiis officium peragunt peculiare, sed per officia Ecclesiæ universali concessa iisdem satisfacere putant. Unde si alicubi de dictis Reliquiis officium fieri contingit peculiare, ut de SS. Christi Sanguine, de Sacra Syndone, de Lancea, aliisque similibus, non sine peculiari indulto fieri solent. Verum enim vero, quia de hujusmodi præstantissimis Christi, ejusque SS. Matris Reliquiis non est ita scrupulose loquendum, ut de iis aliorum sanctorum, quia speciali nota, cultuque digne profecto sunt, etiamsi tales Reliquiæ de genere non sint earum, quæ attinent ad corporis constitutionem, vel veritatem, sed mera sint Passionis instrumenta, quæ in aliis sanctis Reliquiæ insignes non sunt. Ideo dicendum quod de his non procedunt, quæ de Reliquiis Sanctorum cetera Decreta disponunt, proindeque videtur, quod de præstantissimis Christi, ejusdemque SS. Genitricis Reliquiis agi possit officium, & missa sine speciali Indulto. Nec quam plurimarum desunt exempla Ecclesiarum, quæ absque præfato indulto de hujusmodi Reliquiis officium agunt, atque missam. De Sancta enim Spinea Corona festum celebrant Parisiensis, multæque aliæ Galliarum Ecclesiæ die 11. Augusti, eo ipso die, quo tam sanctum pignus a S. Ludovico Rege ab Orientalibus magno pretio redemptum ab ipsomet susceptum est, & in Sacra Capella Parisiensi magnifice ab eo ad id extructa collatum. In eadem Ecclesia Parisiensi Dominica prima Augusti celebratur festum cum Missa in memoriam susceptæ circa ann. 1100. partis non mediocris Ligni sanctæ Crucis. Habetur item in Menologio die 2. Julii depositio venerandæ Vestis, & Zonæ B. Virginis in Balchernis, & similiter in pluribus aliis Ecclesiis id observatum notat Guyetus lib. 2. cap. 4. q. 1. & alibi. Et revera, cum nec omnes anni dies in Christi Domini, ejusque SS. Matris laudibus recensendis sufficienter judicentur expensæ, & Ecclesia ipsa in eorumdem festivitatibus indulgendis, atque instituendis non ita parce procedat, ut in festivitatibus sanctorum, hinc sequitur non esse hanc benignam interpretationem, & extensionem ita facile rejiciendam: & hæc satis sint pro Reliquiis Jesu Christi, & ejus SS. Matris Mariæ Virginis.

XLIV. Cum dicitur *aut illa pars corporis, in qua passus est Martyr* censeri debet tamquam Reliquia insignis, nobis designatur, quod ut officium duplex de ipsa parte instituatur cum missa ipsi officio correspondente, non est necesse quod pars, in qua passus est Martyr, sit Caput, Brachium, aut Crus; particula enim *aut* disjunctiva est, & cum nulla ex partibus corporis nominetur, sed indiscriminatim disjunctive dicatur, *aut illa pars corporis, in qua passus est Martyr*, dicendum utique venit, quod sufficit quæcumque corporis pars, dummodo verificentur conditiones, quæ per Decretum apponuntur, hoc est, quod *sit integra & non parva, & quod sit legitime ab Ordinariis approbata*. Hoc habent martyres præ ceteris Sanctis Confessoribus privilegium, quod de his officium duplex cum missa correspondente ut instituatur, determinate haberi debet aliqua Reliquia, quæ sit vel Caput, aut Brachium, aut Crus; ubi in Martyribus sufficit sola pars, in qua passi fuerunt, & per quam tam privilegiata victoria fuit ab ipsis de Tyranno reportata. Hujusmodi privilegium non in eo dumtaxat situm est quod in Martyribus etiam aliæ corporis partes, in quibus passi fuere, redditæ sint tamquam insignes, ac habiles, ut officium cum missa correspondente inducant, sed ulterius quod necesse non sit, ut illæ sint tantæ quantitatis, quantæ sunt aliæ partes insignes, a Decreto adductæ, & allegatæ; supplente merito quantitatis defectum in illis excessu qualitatis, seu circumstantia Martyrii, cujus individualiter remanent insignitæ.

XLV. In triplici genere nobis placet partiri hic corporis partes, hoc est in insignes, notabiles, & minutas, seu exiguas; Insignes sunt, quæ per Decretum ut supra enumerantur: hoc est caput, brachium, crus. Notabiles sunt, quæ tantæ non sunt quidem quantitatis, ac Insignes, sed nec modicæ, seu parvæ molis, ut manus, pes, tibia, maxilla &c. Minutæ seu exiguæ illæ sunt, quæ parvam habent quantitatem, ut digitus, unguis, auricula, &c. vel, quæ sunt partes aliquæ Reliquiarum insignium, ut pars aliqua Cranii minuta, ac exigua, utpote, quæ passim reperiuntur hæ partes, ne nimis ob has omissum veniat feriale, ac Dominicale officium cum respectivis missis, præfato privilegio expolientur per illa Decreti verba, *& non parva*, de quibus infra redibit sermo. Insignes etiam in non martyribus illo gaudent privilegio, hoc est quod de ipsis officium, & missa possit institui. Notabiles etiam eodem non carere privilegio existimandum est. Gregorius enim XIII. in Litteris Pastoralis Officii, datis ad Hispaniæ Ecclesias ad effectum recitandi officium, & consequenter etiam missam correspondentem, notabiles Reliquias inter insignes recenset. Ait ibi Gregorius *notabiles* Reliquias inter insignes, seu pro insignibus usurpat, nos vero non sic, sed quæ sunt minoris quantitatis, ut dicebamus, adeoque, quæ in martyribus quidem, non autem in non martyribus ad dictum effectum sufficiunt. Ceterum, quando etiam Gregorius citatus in sensu nostro illas usurparet, nihil utique obstaret, quia ibi Indultum facit, ac privilegium Hispaniæ Ecclesiis, unde inde inferri non potest, quod etiam in aliis non privilegiatis Ecclesiis notabiles Reliquiæ, esto non insignes, sufficiant ad instituendum officium cum missa.

XLVI. *Modo sit integra*. Hæc verba cum appellent partem dumtaxat, in qua passus est martyr, videtur, quod integritas non exigatur in præfatis Reliquiis Insignibus ex vi horum verborum; censendum tamen adhuc, & citra dubium, etiam in dictis insignibus Reliquiis integritatem requiri ad effectum instituendi officium cum missa. Hæc autem integritas, quæ exigitur, moralis est, non physica, ita quod si quid parvum tantum deficiat, minime obsit, ut ait Pasqualigus de Sacrif. nov. leg. quæst. 261. num. 4. alias res, quemadmodum ait Eustachius a S. Ubaldo, scrupulis plena foret. Ex dictis habes primo; quod si Reliquia insignis, aut pars in qua passus est martyr, casu aliquo frangatur, & in plures separetur partes, etsi omnia hujusmodi fragmenta, seu frusta haberentur, adhuc, quia tali in casu non verificaretur partis integritas, seu quod asservaretur puta caput, aut brachium integrum, cum hæc non ex partibus disjunctis, sed unitis componantur, ideo in tali casu facultas cessaret celebrandi, quam facultatem non deperdi si ea fragmenta, seu frusta ita artificiose uniantur, ut appareat integrum caput, aut brachium docent Quarti part. 1. tit. 1. dub. 4. Lohner. Instruct. 1. part. 2. num. 1. & Meratus sect. 1. cap. 5. tit. 2. num. 4. quia moraliter tunc haberetur Reliquia integra; nam ex unione partium compositi resultat integritas. Nec obstat quod unio sit artificialis, dummodo partes sint naturales, quia idem sequitur effectus in ordinem ad finem intentum, & sæpe ars conducit, ad conglutinandas compartes ipsius

cor-

corporis adhuc viventis: & si opponatur dicendo quod columna composita ex pluribus lapidibus non dicitur integra, sed solum dicitur integra illa, quæ ex uno tantum constat indiviso lapide, unde pariter &c. Respondet Quarti assignando disparitatem, quia loquendo de integritate, qua columna integra denominatur, idem sonat ac simplicitatem, quæ omnem prorsus partium pluralitatem excludit, in nostro autem casu integritas totalitatem significat, quæ non opponitur partium pluralitati, sed a pluralitate partium unitatum resultat; ut videre est in corpore humano, quod integrum dicitur, adhuc etsi ex pluribus componatur partibus.

XLVII. Habes secundo, quod si alicubi habeantur plura frusta Reliquiarum ejusdem sancti, quarum nulla reliquia insignis sit secundum se, si ea frusta ad eamdem attineant partem corporis, & ita uniantur, ut resultet, puta, integrum caput, aut brachium, aut major pars capitis, seu brachii, posset de his reliquiis officium institui cum missa; si autem ad idem corporis membrum non pertineant, nequaquam, etsi in eorumdem unione brachium, aut crus resultaret, quia propriæ exiguntur partes ad veritatem compositi, nec alienæ prosunt, nisi ad monstruosam compositionem. Habes etiam licentiam celebrandi deperdi, si ex aliquo accidenti aliqua particula Reliquiæ deperdatur, indispensabiliter requisita ad illius partis moralem integritatem, sive Reliquia sit insignis ex se, sive ex eo, quod in ipsa parte passus sit martyr, cessante enim causa concessionis, ruere necesse est privilegium, ut late probant Auctores Sanchez, aliique &c.

XLVIII. Altera ex appositis circumstantiis, quæ intervenire debent ad effectum, de quo sermonem habemus, est, quod sit *non parva*, ratione cujus excluduntur exiguę minutæque corporis partes, licet integræ sint, & in eis passi sint Martyres; Hinc nedum particulæ partium exiguarum, aut insignium, vel notabilium, sed etiam partes ipsæ exiguæ, & minutæ, cujusmodi sunt dens, digitus, os, unguis, auricula, & ceteræ similes, non notabiles Reliquiæ, esto integræ sint, ad Missam, officiumque recitandum nequaquam satis sunt. Unde esto in dentibus V. G. S. Apollonia peculiariter passa sit, pro uno tantum ejusdem dente officium cum Missa dici non posset; si enim minutiores hujusmodi partes pro officio, ac Missa admitterentur, profecto in nihilum prorsus officium feriale, ac Dominicale desineret, ad quod in conveniens tollendum, hæc circumstantia apposita fuit *& non parva*, quod intelligi debet per se, & non per accidens, adeoque si puer recenter natus in odium Christi, aut fidei, in pede, aut brachio, aut manu tortus occumberet, & si ille pes, aut manus, parvi forent ratione minusculæ ætatis, adhuc si uter ex illis haberetur, celebrari posset, quia præfatæ corporis partes per accidens tantum essent parvæ, & non per se, quia secundum se natæ sunt, ut ad debitam magnitudinem pervenirent, & non inter partes minutas, seu exiguas, sed notabiles per se computantur. Idem dic de capite, brachio, aut crure ejusdem infantis recenter nati, aut etiam in matris ventre in odium fidei perempti; quinimo & cujuscumque alterius Sancti non Martyris, cujus præfatæ corporis partes inter insignes a Decreto recensitæ, aliquam ob infirmitatem, ad debitam non devenissent magnitudinem. Et quidem cum Decretum caput, Brachium, & Crus, inter Reliquias insignes, absolute & simpliciter numeret, & ad instituendum officium cum Celebratione Missæ sufficere pronuntiet, non crederem a quopiam negatum iri posse, earumdem aliquam ad intentum non suffragari, si per accidens, & ob infirmitatem non sit debitam assecuta magnitudinem. Quid ni igitur, etiam si hoc eveniat in illa parte in qua passus est Martyr, quæ quoque ad effectum, & ob circumstantiam per Decretum insignitur?

XLIX. Non sufficit demum, quod Reliquia, in qua passus est Martyr, sit integra, & non parva, sed ulterius requiritur, quod sit legitime ab Ordinariis approbata. Verum cum ex Tridentino Sess. 25. approbatio Episcopi pro Reliquiis dumtaxat novis, aut noviter repertis, expostuletur, ideo dictæ approbationis necessitatem ad Reliquias solummodo novas, aut novæ inventionis restringendam esse existimamus. Et quidem si solummodo Reliquiæ novæ, & noviter repertæ præfata indigent approbatione, ut publicæ Fidelium exponantur venerationi, non autem antiquæ, & quæ in legitima ab antiquo sunt possessione cultus, non videmus, cur pro iisdem necessaria esse possit, & debeat dicta approbatio, ut officium Canonicum, cum Missæ Celebratione obtineant, quod non est nisi portio quædam cultus, in cujus jam legitima similiter sunt possessione. Quæ dicta sint, dummodo non contendas id pro parte, in qua passus est martyr esse sancitum, ut examinatæ remaneant conditiones ad celebrationem per Decretum exactæ, & de earumdem existentia, & de legitima officii recitatione per ordinarii approbationem quivis certioretur, quodlibetque dubium deponat. Si quis ita sentiret, non admodum quidem nos refragatores haberet. Ast postea, quia Decretum dictam approbationem, pro parte in qua passus est Martyr, tantummodo exposcit, haud quaquam procedere arbitramur, alias, ad examinandam etiam integritatem Reliquiarum insignium, & Clerum de legitima celebratione certiorandum, ordinarii approbatio non minus præscribi debuisset.

L. Quomodocumque tamen ista se habeant, ex Decreti textu certum est, ea verba, *& legitime ab ordinariis approbata* appellant supra partem in qua passus est Martyr, & consequenter non super reliquas allegatas Reliquias, videlicet caput, brachium, & crus, ideoque saltem istæ, si non sint novæ, aut noviter inventæ, a necessitate dictæ approbationis erunt immunes, ut de iisdem officium cum Missa correspondente valeat recitari, dummodo tamen morali certitudine constet de talium identitate Reliquiarum: si vero novæ, aut noviter repertæ eæ Reliquiæ fuerint, uti Tridentinum ordinariorum approbationem exposcit, ut publicæ exponi queant venerationi, ita & consequenter, ut officio canonico, quod cultus publicus, & particularis est, recolantur. Ratio vero est, quia quoties Reliquiæ novæ, sunt, aut noviter inventæ, agitur de cultu erga illos introducendo, & ideo ab ordinariis quibus divinorum cura præsertim commissa est relate ad respectivas Diœceses, examinari debent, & per approbationem dignæ declarari, quibus cultus exhibeatur, ne contingat Reliquias falsas venerari. Quoties vero novæ non sunt, sed antiquæ, non agitur de cultu noviter inducendo, cum jam cultum habeant, sintque in notoria, & pacifica, ac immemorabili possessione ejusdem, ideoque approbatio minime requiritur; supponuntur enim rite examinatæ, quando eorumdem cultus primo fuit inductus, ac legitime concessus: quod autem de cultu dictum est, de officio quoque, ac Missa correspondente procedit.

LI. Sanctorum corporum, Reliquiarumque identitas, ignis experimento olim probabantur, uti plures testantur Auctores. Ruinartus in appendice ad Gregorium Turonensem, Gonzalez in cap. *Cum ex* & litt. C. de Reliquiis, & Ven. Sanctorum. Hinc in vita Sancti Meinnerci Episcopi Paderbonensis, ubi agitur de Monasterio ab ipso constructo, & de misso ad eumdem a Volfango Aquilejensi Episcopo corpore S. Felicis cum duobus Palliis, refertur illud approbasse, in ignem per tres vices mittendo, antequam publicæ venerationis exposuisset super Altare, & cum toties in favillam redactus, ignis extinctus fuisset sine corporis læsione, tunc ulla absque hæsitatione illud populo venerandum exhibuit. Verum cum ejusmodi usus cessaverit, & ab eo sit omnino abstinendum, modo sufficit, quod constet de corporum, & Reliquiarum identitate per concludentes probationes saltem morali certitudine certas; si enim non sufficeret certitudo moralis ad habendam probationem identitatis Reliquiarum, esset necessarium, quod per duos Testes nullius exceptionis relevaretur ipsos vidisse tale Caput, vel Crus, aut Os, v. g. desumptum fuisse ex corpore talis Sancti, a se bene cogniti, illudque repositum fuisse in tali loco, a quo sciunt nunquam fuisse remotum, nec potuisse ullo temporis momento removeri, quæ probatio utique impossibilis est; atque adeo si tamquam necessaria exigentur, sanctarum Reliquiarum identitas destrueretur. Hic Doctores concorditer asserunt in re, & ad effectum, de quo agimus, sufficere certitudinem moralem, ita Suarez, Ambrosinis, Salmanticenses, aliique quamplures, jam a nobis citati in primo Tom. &c. Accedit, quod testimonium Seniorum de Clero pro vindicandis, approbandisque sacris Reliquiis exquisitum fuit a S. Martino Turonensi Episcopo, teste Sulpitio Severo, in cujus vita cap. 8. & in inventione Corporum Sancti Gervasii, & Protasii, Testimonium seniorum magni fecit S. Ambrosius. *Nunc senes repetunt audivisse se &c.* ait ipse Ambrosius Epist. 22. &c. Hæc autem certe non faciunt nisi moralem certitudinem. Unde clarius etiam ex Concilio Tridentino sess. 25. ubi loquens de Episcopo Reliquias recognoscente ait: Ea faciat, quæ veritati, ac pietati consentanea judicaverit. Hæc autem non concludunt nisi moralem certitudinem. Monacelli, & Bordonus conveniunt inter se, dum assignant argumenta Reliquiarum identitatem comprobantia; asserunt enim præcipue probari posse 1. Bullis Pontificiis, aut publicis instrumentis. 2. Scriptura subscripta a superiore Ecclesiæ duobus saltem testibus affirmata, vel sigillo authentico munita, accedente superioris subscriptione. 3. Scriptura, etiam non authentica, dummodo reperta fuerit apud Reliquias, aut annexa historiarum libris. 4. Traditione, seu voce publica, & fama constanti. 5. Marmoreo Lapide, seu antiqua inscriptione, Sancti nomen continente, ubi reliquia reperitur. 6. Juramento saltem duorum proborum hominum. 7. Omnibus aliis argumentis, & conjecturis, quibus probatur identitas rei juxta generalem regulam. Ex omnibus illis modis probandi Reliquiarum identitatem, non evincitur nisi moralis certitudo, cui falsitas etiam subesse potest, atque deceptio. Ast nihil officit, quod his non obstantibus, sanctorum Reliquiæ publicæ venerationi exhibeantur, quia falsitas, & deceptio, quæ potest accidere, post tales probationes, cum non esset formalis, sed mere materialis ad summum, fidelibus nocere non posset, qui reliquias Sanctorum semper venerant sub conditione, quod veræ sint, & si non sunt, cultus ex se dirigitur ad prototypum, in quo omnis Reliquiarum terminatur veneratio.

LII. De festo Reliquiarum omnium, quæ respective asservantur in Ecclesiis alicujus Regularis Ordinis, aut Diœcesis, quod plures Religiones, & insignes Ecclesiæ, constituta die solemne habent excolere, nunc quæstio succedit: Num in ejusdem Missa dici debeat Symbolum? Regularium Directoria communiter assolent adnotare: *Dicitur Credo ubi asservantur insignes Reliquiæ*, quia cum in dicto festo etiam agatur de insignibus Reliquiis, quæ apud Ecclesiam habentur, locum habere videtur Rubrica præscribens Symbolum, *ubi habetur corpus, vel insignis Reliquia Sancti, de quo agitur*. In hoc autem casu Symbolum non foret dicendum in Ecclesiis, in quibus nulla insignis Reliquia habetur, quinimo neque quoties haberetur, si extra Ecclesiam, in qua custoditur, Missam fieri contingeret. Quoniam tamen nos alias diximus, præfatum festum omnes omnino comprehendere Reliquias, quæ in omnibus Ordinis Ecclesiis asservantur, & inter has difficile est non inveniantur

ali-

aliquæ Christi, aut B. Mariæ, quæ, etsi parvæ, præ ceteris ad rem reputantur insignes, necnon Apostolorum, Ecclesiæ Doctorum, & aliorum Sanctorum, quibus ex se, & per se debetur Symbolum, idcirco credimus in omnibus omnino Ecclesiis, etiamsi nulla insignis in iisdem asservetur Reliquia, esse dicendum Symbolum in Missa, quemadmodum Auctores consimili de causa jam superius vidimus tribuere Symbolum festo, & octavę omnium Sanctorum Ecclesiæ universalis, in quacumque celebretur Ecclesia.

LIII. Ast quid dicendum de festo SS. omnium alicujus Religionis, quod celebrare solent quotannis Regulares Ordines? Hoc enim regulariter non comprehendit, nisi Martyres, Pontifices, Confessores, Virgines, & Viduas, quibus juxta Rubricas non debetur Symbolum. Meratus pag. 1. tit. 11. num. 13. ait, quod in eo ut minimum continetur Religionis Institutor, cui tanquam principali Patrono Symbolum Rubricæ decernunt. Ast fortasse ajes, ita quidem, sed illud censori videtur non posse festum ejusdem principale, sed magis secundarium, ad cujus rationis festa non extenditur Symbolum: adde, quod quando Rubricę denegant Symbolum Martyribus, Pontificibus, Confessoribus, Virginibus, & Viduis, debent intelligi seorsim, non autem collective, hoc est, quando de ipsis simul festum universale celebratur; in hoc casu enim cessat Rubricarum ratio, qua supra enumeratis Sanctis denegat Symbolum in Missa. Verum ne in hac re plurimum immoremur, contenti sumus dicere, quod Symbolum dici debet, etsi non alia ratione, quia festum omnium Sanctorum alicujus Religionis collective sumptorum evadit festum ex principalioribus Ordinum, quæ a Rubrica honore Symboli donantur.

D E C R E T A.

LIV. *In festo translationis Patroni principalis Cathedralis, sub ritu duplici majori, non potest in Missa dici Symbolum, tam in ipsa Ecclesia Cathedrali, quam etiam per totam Diœcesim.* S. R. C. 19. Jun. 1700. *In Curien.* Ecce Decretum, quod nos in expositione sanctionis hujus dicebamus disponere non de festis minus principalibus, seu secundariis *Patroni Principalis*. Et quidem habet Decretum *In festo translationis*, & hęc annumerari inter festa minus principalia, & secundaria, quis dubitet? Dubium itaque non est in præsentiarum ferri generalem regulam, & legem non dicendi Symbolum in festis minus principalibus, seu secundariis Patronorum principalium, quamvis celebrentur sub *ritu duplici majori*, ut ait Decretum. Tu vero adde *etiam* altiori, quia, ut dicemus infra, ritus altior non est ex causis, quæ invehant Symbolum. Non modica tamen difficultas insurgit, num nomine *Patroni principalis* nunc venire censendum sit *Patronus principalis loci* vel magis *Titularis principalis Ecclesiæ Cathedralis*, qui Patroni nomine non semel significatur; verum cum eadem omnino ratio procedat de Patrono principali loci relate ad totum locum, & de Titulari principali Ecclesiæ Cathedralis relate ad ipsam Cathedralem; nos inane prorsus reputantes in hac quæstione immorari, dicimus legem, quæ modo fertur, in eo consistere, quod in festis secundariis Patroni principalis loci & Titularis principalis Ecclesiæ Cathedralis, dicendum non est Symbolum, sive in priori casu missa fiat in Cathedrali ipsa, quod idem est ac dicere; quod in festis secundariis Patroni principalis loci, seu Titularis principalis Cathedralis nunquam dici debet, *Credo*, in quacumque omnino Ecclesia Missa celebretur, ad differentiam eorum, quæ diximus de festis primariis eorumdem, & principalibus, in quibus, in priori casu, dicendum est semper Symbolum, in quacumque loci Ecclesia celebretur, & solum omittitur, quando extra Ecclesias loci habetur Missa; & in posteriori, dicitur quoque Symbolum si Missa fiat in Cathedrali ipsa, secus vero si extra Cathedralem, licet in aliis loci Ecclesiis. Quorum omnium ea ratio est, quod in Missis Patronorum, & Titularium recitatur Symbolum ratione celebritatis, quæ non pertransit ad festa secundaria, sed præcise sistit in primariis; qua cum celebritate destituta quoque maneant festa, esto primaria Patronorum, vel Titularium minus principalium, in horum item Missis omitti debebit Symbolum, quemadmodum superiora iterata Decreta expresse jubent. At quid, si festa primaria Patronorum, vel Titularium principalium fere cum nulla, secundaria vero eorum, vel primaria minus principalium, cum plurima celebritate colantur? Verum quando Patronorum, vel Titularium festis nos, ut supra, Symboli honorem dedimus, cum non locuti fuerimus de ea celebritatis specie, quæ sita est in pompa exteriori, populi concursu, aliisque, de quibus alibi, quæque per accidens, quandoque adhibetur festis, sed de ea, quæ ex se debita est Patronis, vel Titularibus in propriis locis, aut Ecclesiis, & qua nunquam expoliari valeot, quamvis sine ulla exteriori pompa celebrentur, ideo ne quidem minimum recedimus a statuta regula, sed solum addimus, quod in casu dictæ exterioris celebritatis, festis secundariis Patronorum principalium, & primariis minus principalium adaptanda erit lex, quam infra statuemus de iis festis, quæ cum præfata exteriori propria solemnitate celebrantur.

LV. Iterum ad Sanctorum Reliquias descendimus, & superius diximus, quod in eorum missis dicendum est Symbolum, si celebrentur in Ecclesiis, in quibus Reliquiæ asservantur, omittendum vero, quoties extra præfatas dicantur Ecclesias. Nunc autem dubium exurgit, an si Sanctus, cujus insignis habetur Reliquia, ultra primarium, jam ex Apostolica concessione habeat quoque festum aliquod secundarium, puta translationis, vel canonizationis, in utroque Symbolum dici debeat, vel in uno tantum, & in quo? & dicendum esse in festo primario, seu natalitio, satis ostendunt ea, quæ nos ipsi tradidimus in Tom. 1. c. 4. Decr. 1. & ea ratio multum relevat, quod si Sanctus ille jam in Breviario Romano non haberet officium, hoc in solo die natalitio ob Reliquiam institueretur, ergo & Symbolum, quod ratione ejusdem Reliquiæ induceretur in Missam, in solo festo primario dici debet, & non in secundariis, quæ non ob Reliquiam, sed aliis de causis sunt instituta. Ad rem etiam facit admodum exemplar festorum Patronorum, & Titularium, quæ & si pariter ratione celebritatis Symbolo donata sunt, adhuc ad festa eorum secundaria Symbolum non extendi jam definitum vidimus. In oppositum tamen plurimum urget Rubrica, quæ Symbolum dici præscribit, *ubi habetur insignis Reliquia* Sancti de quo agitur, sed etiam in festis secundariis agitur de Sancto, cujus Reliquia habetur, ergo in iisdem quoque juxta Rubricam Symbolum dici debet. 2. Decretum tertium hujus capitis per ea verba, *ni rursus adesset ejusdem sancti insignis Reliquia*, per quæ verba exeptionem suæ præcedenti facit dispositioni, in casu Reliquiæ, videtur Symbolum permittere, & in festo primario Sancti Joannis Baptistæ, scilicet Nativitatis ejusdem, & in festo secundario seu Decollationis, quibus præcedenter illud negaverat, ergo idem, quod prius. Ast facilis est responsio. Rubrica enim ante prædicta verba habet: *dicitur Symbolum in festis Sanctorum, quibus dedicata est Ecclesia*, & tamen licet simpliciter, & absolute notet *in festis*, adhuc Symbolum dumtaxat dicitur in festis primariis, & non secundariis; quidni igitur & similiter intelligenda erit, dum statim subdit, *& ubi habetur corpus vel insignis Reliquia Sancti de quo agitur*; itaut ibi solummodo sermo sit de festo primario, quod instituitur, vel institueretur ob Reliquiam, sicuti in priori casu sermo est de solo festo primario, quod instituitur, vel institueretur ob rationem Tituli, si illud jam in Breviario non haberet. Ad Decretum dicimus, quod sensus est quod in alterutro, non in utroque, ex memoratis festis Symbolum dici debet, sicuti cum præcedenter Symbolum dicendum præscribitur, *ubi festum S. Joannis Baptistæ, & ejusdem Decollationis memoria, gaudent prærogativa Patroni, vel Titularis.* Extra dubium ita debet intelligi, ut symbolum quidem dici debeat, non in utroque, sed in alterutro ex iisdem festis, nempe in illo eorum, quod guadet prerogativa Patroni, vel Tituli.

LVI. Abs re non fore putamus hic duo dubia excitare, quæ a mox allegatis Decreto, atque Rubrica, nobis suggeruntur; & primum est, cur Rubrica, quæ jam Titularibus decreverat Symbolum per ea verba *in festis Sanctorum, quibus dedicata est Ecclesia*; iterum inferius subdat: *Item in festo Patroni alicujus loci, vel Tituli Ecclesiæ:* Secundum est, an ubi festum puta Nativitatis S. Joannis ratione Reliquiæ cum Symbolo colitur, colit item debeat per totam octavam. Ad primum dicimus, hanc posse esse causam, quod in priori dispositione sermo est de Titularibus Ecclesiarum consecratarum; in posteriori autem de Titulis Ecclesiarum tantummodo benedictarum, de quibus dubium esse poterat, cum neque fiat anniversarium Benedictionis, sicuti illud fit consecrationis. Ad secundum reponimus, etiam per octavam deberi dici Symbolum, quia licet octava non fiat, neque fieret ratione Reliquiæ, si aliunde non esset concessa, reputatur tamen una, & eadem dies cum festo, & consequenter Symbolum, quod Reliquia invehit in festum, invehit etiam in octavam, imo & in festa omnia, quæ infra octavam celebrantur. Rationi huic objici quidem posset, quod licet octava una eademque dies reputetur cum festo, adhuc tamen Symbolum, quod invehunt in festum Sanctorum Innocentium octavæ Nativitatis, & Sancti Joannis Evangelistæ, non protrahitur usque ad eorum octavam. In octava etenim Sanctorum Innocentium cessat omnimode Symbolum, unde videtur pariformiter esse loquendum de octava Nativitatis S. Joannis Baptistæ, esto censeatur, seu reputetur una eademque dies cum festo, hoc non obstante Symbolum, quod festo communicatur a Reliquia, non debet protrahi usque ad diem octavæ. Disparitatis tamen ratio evidens est, quia in casu octavæ Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ, titulus invehens Symbolum in festum semper perseverat per totam octavam; supponitur enim, quod continuo Reliquia in tali asservetur Ecclesia, nec ad aliam Ecclesiam transferatur: In casu autem translationis Reliquiæ ad aliam Ecclesiam post festum S. Jo: Baptistæ illico cessaret in ejus Missa, per octavam, & in octava ipsa Symbolum; e contra vero titulus invehens Symbolum in festum SS. Innocentium, non perseverat ad diem usque ipsorum octavæ; octava enim Nativitatis Domini, & illa S. Joannis Evangelistæ, ex quibus titulus desumi poterat concedendi Symbolum missæ SS. Innocentium, jam sunt elapsæ in die octava SS. &c. unde non tenet paritas.

LVII. Huc usque de festis secundariis Sanctorum, in quibus recitatur Symbolum ratione celebritatis, seu tertiæ ex productis causis; nunc æquum sumamus agere de festis secundariis, in quibus mandatur Symbolum ob alias duas causas, scilicet, vel ratione eorumdem in Symbolo, aut Doctrinæ verbo, scriptove traditæ, & propugnatæ, & de his non dubitamus asserere, ducti exemplo Rubricæ, quæ festa omnia Christi, ejusque matris, inter quæ profecto ex secundariis enumerantur plurima, honorat Symbolo, & adhuc festum S. Petri ad Vincula, conversionis S. Pauli, & alia hujusmodi Apostolorum festa, quæ dubio procul secundaria sunt, & minus principalia. Ratio esse potest, quia hisce festis competit Symbolum ex se, & per

se, & ex causa, quæ inseparabiliter concomitatur Sanctos, de quibus festum agitur, ad differentiam festorum, quibus, quasi per accidens convenit, & ratione celebritatis, quæ separabilis est a Sanctis, & in uno eorumdem festo reperiri potest, non vero in altero.

LVIII. Nunc lubet inquirere, num festa semiduplicia possint ex se habere Symbolum, ex se, inquam; nam in usu Romano, ex accidente certum est posse habere, si videlicet occurrant infra octavam habentem Symbolum, aut ex dispensatione de iisdem; ut de Vigilia Epiphaniæ in die Dominico, si fieri contingat. Ratio dubitandi est, quia festa quæcumque generalia, quibus Rubrica Symbolum attribuit, ea omnia ad minus duplicia sunt, unde sequi videtur, quod item festis propriis solummodo tribuendum sit, quæ ad minus duplicia sunt, non quæ semiduplicia. In oppositum urget exemplum Dominicæ, cujus officium est semiduplex, & tamen Rubrica eidem indesinenter Symbolum assignat. Tum etiam, quia quod capax est ex accidenti habendi Symbolum, ex se etiam illud habendi capax videtur. Ad Doctores quod attinet, Gavantus part. 1. tit. 11. litt. G. ad rem de qua agitur Ritum duplicem videtur exigere, quod & præstat Guvetus lib. 5. cap. 2. q. 3. ubi de festis secundariis, & de Doctoribus agit; licet postea parum sit constans in sequenti quæstione quarta; ubi etiam in favorem semiduplicium pronuntiat. Nos in ea versamur sententia, ut semiduplicia ex se capacia non sint habendi Symbolum, sed tantum per accidens, & ducimur nedum producto exemplo festorum generalium omnium duplicium, quæ a Rubrica Symbolo donantur, sed insuper exemplo fer. VI. & subsequentis Sabbati, post octavam Ascensionis, in quibus fit officium semiduplex, & quidem de Domino, uti & in Vigilia Epiphaniæ, & tamen in prædictorum dierum Missis Rubrica particularis diserte notat Symbolum non esse dicendum. Favet usus Religionum, atque Regionum, quæ tacent Symbolum in Missis Corporis Christi, de Sacratissimo ejusdem Sanguine, de Sacra Syndone, aut de Deipara, aliisque id genus, quæ sub Ritu semiduplici sunt ipsis per hebdomadam, aut Menses, recitari concessæ, & tantum Symbolum dicunt earum die, illæ, quæ sub ritu duplici præfata recitant officia. Accedit, quod festa semiduplicia, ex se solemnia non sunt, & hæc est causa, ob quam, & si sint de Domino, aut Deipara, juxta Decretum S. R. C. 1. Jul. 1747. in concursu non gaudent præferentiæ privilegio, quod Rubrica inter festa, festis æqualis solemnitatis attribuit, quo tamen guadent quæcumque duplicia ex ibi assignatis, quia hoc ipso tamquam solemnia a præfata Rubrica in sui dispositione comprehendi censentur; si itaque ex se solemnia non sunt, quomodo umquam ex se exigere possunt id, quod ex se solemnitatis indicium est, & argumentum, uti Symbolum?

LIX. Reliquum est obviam eamus argumentis in contrarium productis; hinc ad primum dicimus ita quidem de die Dominica, sed per exceptionem a generali Regula, fortasse ratione festivitatis de præcepto, vi cujus ejusdem officium, esto semiduplex, solemne redditur. Festivitas profecto ex se ipsa solemnitatem sapit. Sane officium Dominicæ abit a semiduplicium regula, nam integras retinet vesperas in concursu cum sequenti semiduplici, cum tamen semiduplicia alia quæcumque, Domini sint, Deiparæ, aut Apostolorum, easdem dividant: quid ni igitur, & per eamdem exceptionem (quam nostrum esse non potest aliis communem facere) honorem Symboli potuit obtinere? Ad secundum dicimus, quod dispar valde est ratio, quia ut festum semiduplex ex se habeat Symbolum, ex se debet esse solemne; ut autem illud ex accidenti habeat, sufficit, quod illud ratione cujus Symbolum in Missa semiduplici dicitur, solemne sit; tunc namque solemnitas, cujus Symbolum est, refunditur in diem Dominicam, vel in diem infra octavam, vi cujus illud dicitur, non autem ita evenire potest in Missa feriali, quia, ut supra dicebamus, ratione infimi, & depressioris ritus apta nec est, aut esse potest solemnitatis.

LX. Perbella admodum, & omnino nova quæstio superest, & sit casus; Die v. g. 7. Decembris occurrit festum Patroni minus principalis, & in eo per solam commemorationem expletur officium S. Ambrosii, quod cum intra annum non reperiat diem liberam, in quam transferatur eo anno, juxta recentiora Decreta, in die suæ occurrentiæ ad solam commemorationem redigitur. Quæritur igitur, an tunc in Missa prædicti Patroni minus principalis debeat dici Symbolum, non quidem ratione sui, quia Missa Patroni minus principalis Symbolum non exposcit, sed ratione Sancti Ambrosii, in cujus Missa diceretur? Videtur quod sic: ita enim ex Rubricarum præscriptis fit in Missis festorum occurrentium in diem Dominicam, vel infra octavam, & quidem non solum quando fit commemoratio Dominicæ, aut octavæ, sed etiam quando prorsus omittitur. Dicendum tamen est dici non posse Symbolum, cum enim sub die 16. Junii 1708. a Sacra Congregatione decisum fuerit, ab iis, qui ex privilegio Officium celebrant de Conceptione, vel de SS. Sacramento, si forte Missam votivam celebrent, non posse dici præfationem conformem officio, quamvis in Missa commemoratio officii fiat; sed dicendam esse præfationem de communi, si propriam Missa non habeat, perinde ac fieret, si officium, quod fit, propriam non haberet præfationem: Ita nos dicimus, quod ratione nulla habita ad commemorationem Sancti Ambrosii, quæ in Missa fit; Missa de occurrenti festo fieri debet cum iis solis, quæ eadem exposcit Missa, adeoque in nostro casu, & similibus si acciderint, sine Symbolo, sicuti, & sine præfatione S. Ambrosii, si S. Ambrosius propriam haberet, fieri debet; & ad id eo magis ducimur, quod præfatio ex iis est, quæ facilius communicantur, quam Symbolum; unde nedum præfatio propria octavæ dicitur in Missis votivis, sed etiam in ferialibus ipsis, quæ infra octavam celebrantur, ubi sic non est de Symbolo. Ad id igitur quod dicebatur de Dominica, & de diebus infra octavam &c. dicendum, quod dispar ratio est, quia Symbolum affixum est diebus Dominicis, & diebus infra octavam; supposito, quod festum, de quo octava celebratur, habeat Symbolum, & hac ratione Symbolum communicant omnibus Missis, quæ iis in diebus celebrantur de aliquo sancto. In casu autem nostro Symbolum affixum est festo S. Ambrosii, quod cum cesset, & locum cedat festo Patroni minus principalis, hujus Missæ Symbolum communicare non valet.

D E C R E T A.

LXI. *In festis Sanctorum Martyrum, Confessorum, & Virginum, quæ celebrantur sub ritu duplici majori, non est dicendum Symbolum in Missa, sed serventur Rubricæ generales Missalis Romani.* S. R. C. 19. Junii 1700. *In Curien.* Communiter quoddam circumfertur effatum: *Muc.* non credit; & per litteras, quibus *Muc.* constat, festa in quorum Missis non dicitur *Credo* indicari censentur; nempe per *M.* Martyres, per *V.* Virgines, & Viduæ, & per *C.* Confessores, Pontifices sint, seu Abbates. Idipsum profecto præsens edocet Decretum dum illorum Sanctorum festis vetat Symbolum; sed dum subdit *serventur Rubricæ Missalis Romani*, suæ dispositioni limitationem quamdam adhibet, videlicet, quod si quæ eorum festa Sanctorum incidant in diem Dominicam, aut infra octavam habentem Symbolum, vel Doctores ipsi sint, Ecclesiarum Tituli, aut locorum Patroni principales, vel eorumdem insignis habeatur Reliquia, Symbolum quidem dicendum sit, uti prædictæ Rubricæ mandant, sicuti nos late superius exposuimus. Super his opus non est plurimum immoremur: Quare addere dumtaxat nobis liceat, quod id verum est, etsi prælata festa ritu gaudeant duplici majori, quinimo & altiori primæ, vel secundæ classis. Sistit enim Decretum in duplici præcise majori, quia S. Congregatio super hoc consulta solummodo fuit. Et quidem in Missali Romano non desiderantur exempla, nempe Sanctæ Annæ Viduæ, pro duplici majori; S. Joseph Confessoris, & S. Laurentii Martyris pro duplici secundæ classis, esto habeat octavam, & Nativitatis S. Joannis Baptistæ pro duplici primæ classis, in contrarium ad nihilum relevantibus festis S. Stephani, & Ss. Innocentium, in quibus quidem recitatur *Credo*, sed ut alibi diximus, non ratione sui, sed octavarum, intra quas occurrunt. Hinc volumus inferas, quod si festum S. Joachim quandoque extra Dominicam, & octavam Assumptionis transferri contingat, recolendum procul dubio illud erit sine Symbolo, & sic de quibuscumque aliis festis Martyrum, Confessorum, & Virginum, seu Viduarum, quæ diebus Dominicis sunt affixa, aut infra octavas state recurrunt, ne quidem excluso festo Patrocinii Sancti Josephi, quia ipse revera est de classe Confessorum; & licet in præfato festo imploretur ejusdem Sancti Patrocinium, ipse tamen in Patronum formaliter, & rite non fuit assumptus, & certe Patronus principalis non est, qui solum ex superius dictis Symboli gaudet honore.

LXII. *In die creationis, & coronationis Summi Pontificis, & anniversario ejusdem diei, sicuti, & in die, & anniversario electionis, & consecrationis Episcopi* item Symbolum eadem præscribit Rubrica. In primo enim casu de Papa ait Gavantus, tamquam Domno Apostolico, & Capite *Ecclesiæ Catholicæ, & Apostolicæ*, ad quam item spectare credit Episcopos, utpote qui Vicarii sunt Apostolorum. At cum de Summis Pontificibus, & Episcopis, tamquam de Apostolis non agat Ecclesia, sed communi Confessorum indistinctim eosdem aggreget, nos dicere malumus, quod in prædictis diebus assignatur Symbolum ratione celebritatis, qua ab antiquis usque temporibus, semper habitos, & celebratos extitisse sane ostendunt sermones Sanctorum Patrum, in talibus circumstantiis habiti. Verum de hoc magis in capite de Missis votivis, ubi tamquam in opportuniori loco reservamus item agere de eo, quod præsens addit Rubrica de dicendo Credo in Missis votivis, quæ solemniter pro re gravi, vel pro publica Ecclesiæ causa celebrantur, etiam si dicantur in paramentis violaceis in Dominica.

D E C R E T A.

LXIII. *In Missis de Beatis, quæ sub Ritu duplici majori celebrantur, non debet dici Credo.* S. R. C. 12. Jul. 1664. *in Roman. Ord. Min. S. Franc. de Obser.* Nolo Decretum intelligas quasi universim inhibeat in Beatorum Missis Symbolum recitari, quemadmodum Pittonus num. 837. illud videtur interpretari, seu accipere; & propterea in Decreto non legit ea verba, *quæ sub ritu duplici majori celebrantur*; sed simpliciter, & absolute: *In Missis de Beatis non debet dici Credo*. In ordine Minorum celebrantur sub ritu duplici majori officia Beatorum plurima; & cum ratione elevatioris ritus, an cum recitatione Symboli celebranda forent, factum fuerit dubium; hoc ex parte Commissarii generalis de observantia, in S. Congregatione propositum fuit declarari; quæ cum *negative* responderit, sensus sit, quod non debet dici Symbolum in Beatorum missis, etiam si sub ritu duplici majori celebrentur. Jam

vides

vides itaque, quod præsens Decretum est omnino consimile præcedenti, & quod hoc statuit de Sanctorum festis, illud similiter sancit de festis Beatorum. Et quidem cum suis respective locis jam late statutum fuerit, Beatos nec in locorum Patronos, aut Ecclesiarum titulos assumi posse, neque ob Reliquiam, quæ haberetur de iisdem, officium institui posse; in Rubricis videtur deesse titulus, vi cujus in eorum Missis Symbolum dici valeat. Quoniam tamen ibidem nos ipsi tradidimus ex Beatis non deesse plurimos, qui ex Apostolica concessione jam habent officium, quinimo & alios, quos nihil vetat, & in Patronos, & in Titulares assumi, vel assumi permittuntur; idcirco de Beatis his omnibus, similiter ac de Sanctis præcedentis Decreti, loquendum est ita, ut si eorumdem alicubi habeatur Reliquia insignis, aut sint Tituli, vel Patroni, inibi pariter in eorum Missis Symbolum sit dicendum, ut scite advertit Halden. part. 3. tit. 2., & post eum Merearus part, 1. tit. 11, num. 10.

R I T U A L I A.

LXIV. Ritum recitandi Symbolum in Missa privata per hæc verba Rubrica describit. *Dicto Evangelio, stans in medio Altaris versus Crucem elevans, & extendens manus incipit (si dicendum sit) Credo; cum dicit in unum Deum, jungit manus, & caput Cruci inclinat, quo erecto stans ibidem, junctis ante pectus manibus, ut prius prosequitur usque ad finem; cum dicit Jesum Christum, caput Cruci inclinat; cum dicit, & Incarnatus est, usque ad & Homo factus est inclusive genuflectit; cum dicit simul adoratur, Caput Cruci inclinat; cum dicit & vitam venturi sæculi Amen, producit sibi manu dextra signum Crucis a fronte ad pectus.* En modo ritum, quem ex probatioribus Auctoribus collectum nos putamus esse sequendum. Dicto, & osculato Evangelio, Sacerdos sibi defert ambabus manibus missalem cum cussino prope Corporale, ut facilius, *stans in medio Altaris* exinde legat, quæ ibidem legenda sunt; inde manibus ante pectus junctis procedit ad medium Altaris, ibique stat erectus corpore, & capite versus Crucem. Mox voce clara, & ordinaria, si dicendum est, incipit *Credo;* elevans non oculos, neque caput, & extendens manus, quas jungit dum dicit *in unum*, & caput inclinat ad vocem *Deum*. Postea Sacerdos capite erecto, stans ibidem junctis, ut prius, ante pectus manibus, prosequitur Symbolum usque ad finem, caput inclinans inclinatione minimarum maxima, tum ad verba *Jesum Christum*, tum ad ea *simul adoratur*; & ad nulla alia; cum dicit, *& Incarnatus est*, manibus hinc inde positis super Altare extra Corporale, ad facilius surgendum, incipit genuflectere unico genu, neque surgit nisi dicto, *& Homo factus est*, & hanc genuflexionem peragit erectus, sine nulla capitis inclinatione, aut manuum conjunctione, quidquid in contrarium nonnulli habeant Auctores; manuum enim junctio ad verba, *& Homo factus est*, non leve inferret incommodum celebranti, & moram actioni; nam ut Sacerdos assurgeret, deberet rursus super Altare manus extendere. Capitis autem inclinatio satis includitur jam in genuflexione, reverentiarum maxima; quare, ut alibi diximus, Sacerdos dum celebraturus se sistit ante Altare, debet quidem Cruci reverentiam facere, sed si in Tabernaculo adsit SS. Sacramentum, sufficit genuflexio sine alia capitis inclinatione; quo dumtaxat pacto, & flexione unius genu solummodo prædicta verba in Missis privatis, etiam in festo Annunciationis B. Mariæ Virginis, & tribus Missis Nativitatis Domini percurrenda esse nos scite monet Hagerer; & Lohner apud Meratum part. a tit. 6. num. 13. Idem denique Sacerdos manu dextra signat se signo Crucis, sinistra pectori admota, dum ea profert verba Symboli ultima, *& vitam venturi sæculi Amen*. Et hæc verba lente pronuntiat, & ita distribuit, ut tangat frontem, & pectus, dum dicit, *& vitam*; tangat humerum sinistrum, cum dicit *Venturi*; tangat humerum dextrum, cum dicit *sæculi*, & manus jungat ad vocem *Amen*. De hac junctione manuum nihil habet Rubrica, & propterea eam omittunt Bonamicus & Tonellius, statuunt vero Gavantus, aliique celebriores, & si non explicite, implicite per signum Crucis, attento more, per Rubricam videtur præscripta.

LXV. Hactenus de Missa privata; quantum vero attinet ad solemnem, statim ac a Diacono Sacerdos incensatus est, se vertit versus Crucem, & ut supra in cantu dicit: *Credo in unum Deum* omnia omnino præstans usque ad finem Symboli, quæ a nobis superius descripta sunt pro Missa privata. Diaconus vero tempestive ascendit ad secundum Altaris gradum in medio, ubi non genuflectit (quia jam erat in medio Altaris ante infimum gradum), ibique stat retro Celebrantem, dum hic incipit *Credo in unum Deum*, & tempestive quoque pro eodem tempore Subdiaconus se constituit ad medium plani post Diaconum, ante infimum Altaris gradum, ubi genuflectit, (quia ipse jam non erat in medio), & statim surgit, & dum Celebrans pronuntiat vocem *Deum*, uterque, imo & omnes de Clero caput Cruci inclinant post vocem *Deum* facta ab utroque genuflexione, Diaconus ascendit ad dextram, & Subdiaconus ad sinistram Celebrantis, & cum eo manibus junctis prosequuntur Symbolum, se inclinantes, signo Crucis munientes, & genuflectentes ad ea verba, ad quæ Sacerdos ipse se inclinat, signat, aut genuflectit; sed sacri Ministri genuflectunt manibus junctis, non super Altare positis, sicuti Celebrans. Chorus autem caput similiter inclinat ad vocem *Deum* dum Sacerdos ut supra in cantu Symbolum inchoat, & continuo idem Chorus cantare incipit *Patrem Omnipotentem*, & totum Symbolum cantando prosequitur usque ad finem *totum*; totum diximus, non enim intermittendum est Organum, ut aperte definit Cæremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 28. n. 10. & ea ratio demonstrat, quod populus, qui est in Ecclesia, æquum est, ut totam audiat, & integram, non dimidiatam nostræ fidei professionem. Concilium provinciale Mediolanense tertium, per hæc verba idipsum statuit: *Symbolum totum cantatur a Choro, non alternatim cum Organo*, & concordat Cæremoniale Ordinis part. 4. c. 9., quod tamen ibidem c. 7. subjungit; *quod si numerus Cantorum, seu Fratrum sit modicus, poterit alternatim cantari a Choro, & Organo, & tunc Organo sonante, duo cantores legant alta, & intelligibili voce, quæ a Choro non cantantur*. Hæc item sententia est Simonis Bongiovanni in Cærem. Sylv. lib. 2. Cap. 10. vers. *quod si*; cui novissime adhæsit Ferraris Bibl. verbo *Symbolum*, n. 20. ea ratione ductus, quod tunc subintrat necessitas, quæ licitum facit, quod alias illicitum est, & quæ legi nulli subjacet.

. D E C R E T A.

LXVI. De versu, *& Incarnatus est*. Nunc succedit dicere, & opportune admodum se nobis offert sequens Decretum. *Serventur Rubricæ Missalis, Breviarii, & Cæremonialis Episcoporum, sic tamen ut, quando in Choro cantantur aliqua verba genuflexionem requirentia, si mora præscriptæ genuflexionis est brevis, hæc fiat etiam a cantantibus ad Ambonem, seu a Regentibus Chorum, dum ipsa verba cantantur, quæ genuflexionem requirunt. Quando autem mora genuflexionis est longa; ut ad verba Psalmi invitatorii:* venite adoremus, & procidamus ante Dominum; *ad verba Symboli*, & Incarnatus est &c. *& ad alia similia, ne plurium vocum unisona modulatio inflectatur, genuflexio peragatur sub fine verborum*. Sac. Rit. Congr. 8. Martii 1738. *in Ulsub. Occidentali*. En igitur. Chori pars, quæ actualiter non cantat, utroque genu per totum versum genuflexa manebit, quæ vero cantat, non genuflectat, nisi unico genu in fine ejusdem versus. Quoniam autem mera Capitis inclinatio apta non est unisonam inflectere vocum modulationem, nec cantui aliquid incommodi afferre, idcirco etiam pars, quæ actualiter cantat, Caput inclinabit ad verba, *& in Jesum Christum*; & ad simul *adoratur*, ad quæ ipse se inclinat Sacerdos. Celebrans autem si recitato private Symbolo, non vult sedere, statit dum cantatur Symbolum in medio Altaris inter Diaconum, & Subdiaconum, & una cum Ministris, Caput inclinabit ad ea verba Symboli, ad quæ ut supra fit inclinatio. Paululum antequam cantetur a Choro *descendit de Cælis*, descendet ad secundum Altaris gradum, & medius inter Diaconum, & Subdiaconum, cum his utroque genu genuflectet in suppedaneo in medio ante Altare, ac Caput omnes profunde inclinabunt, dum in Choro cantatur versus: *& Incarnatus &c.*, & absoluto: *& Homo factus est*, surgit Celebrans cum Ministris, & iterum, ut prius se se statuit ad Altaris medium. Quod si Celebrans vult quidem sedere, sed non nisi post prædictum versum, *& Incarnatus est*, puta quia quasi instat ejusdem versus cantus, tunc paulu antequam cantetur a Choro *descendit de Cælis*, idem Celebrans, & Ministri sacri descendent in planum, & genuflectent super infimum Altaris gradum, cum profunda Capitis inclinatione ad præfatum versum, *& Incarnatus*; quo absoluto procedunt ad sedem paratam. Quod si statim ac recitarunt submissa voce Symbolum sedere velint, procedent eo modo, quo dictum est supra, & ita tempestive ad scamnum paratum ibunt, ut non sint in via, dum in Choro cantantur ea verba, *& Incarnatus est*, quia alias deberent omnino, ubi sunt, genuflectere versus Altare, & Caput inclinare profunde. Si autem jam sedeant, tunc genuflectunt, sed solum aperto Capite illud inclinant, secus est in die Annunciationis B. Virginis Mariæ, & in tribus Missis Dominicæ Nativitatis, in quibus, in reverentiam tanti Mysterii, quod potissimum illis diebus celebratur, semper Sacerdos cum Ministris utroque genu genuflectit, cum profunda Capitis inclinatione, in suppedaneo, ut diximus supra si sedere nolit, & super infimum Altaris gradum, si non sedeat, (ut conveniret) nisi post cantatum prædictum versum; & in infimo gradu laterali a parte Epistolæ, si jam sedeat in scamno. At quid si SS. Annunciationis festum in diem alteram transferri contingat? deberet ne tunc genuflexio transferri una cum festo, vel magis retineri, & servari die 25. Martii? Genuflexio, ut dicebamus, fit in obsequium Dominicæ Incarnationis, quæ præfata die 25. Martii profecto contingit, ideoque transferenda non est ad diem, in quam licet state, & fixe B. Virginis transfertur officium; sed magis retinenda, & servanda in propria die, ita tamen, ut in currenti Missa non sit dicendum Symbolum ad effectum præcise faciendæ dictæ genuflexionis, si talis Missa Symbolum non exigit, sed solummodo quod præfata genuflexio fieri debeat, si jam eadem in Missa dicendum sit Symbolum; & reapse Rubrica Missalis XVII. num. 3. dum præscribit hujusmodi genuflexionem, consulto notasse creditur *in die Annunciationis B. Mariæ*, ut hinc daretur intelligi prædictam genuflexionem alligatam non esse Officio SS. Annunciationis, sed magis diei 25. Martii, in qua officium, seu festum SS. ejusdem recurrit.

LXVII. Nunc exurgit non levis quæstio altera, videlicet, an quando cum officio SS. Annunciationis ad feriam secundam post Dominicam in Albis (tunc id evenit, quando SS. Annunciatio incidit in feriam VI. Parasceves, aut Sabatum Sanctum, uti hoc anno occurrit) transfertur ejusdem festivitas, ad

eam.

eamdem item feriam prædicta transferatur genuflexio, vel retinenda adhuc sit die 25. Martii, seu magis omittenda, quia in prædictorum dierum Missis non dicitur Symbolum; & quidem ratio, quam ex Rubrica protulimus, pro non translatione genuflexionis stare videtur; quoniam tamen, uti nos alias diximus, Decretum Sac. R. C. 11. Februarii, & 11. Martii 1690. disserte jubet, *prædicto casu eveniente in præfata feria eo prorsus modo, & forma præfatum festum, quoad officium, & Missam celebretur, quibus propria die 25. Martii in Calendario Romano appositum celebraretur*. Idcirco tu dicito, quod ad eamdem feriam memorata quoque transfertur genuflexio, quæ jam fieret in Missa ejusdem festi, si recensita die 25. Martii celebraretur; dictio enim *prorsus*, qua Decretum utitur, Barbosa interprete, dec. 294. idem denotat, ac penitus, omnino, & in totum, & est adeo præcisæ naturæ, ut nullam patiatur modificationem, seu limitationem. Et quidem, quando festum ad aliquam statam diem transfertur, nedum quoad Officium, sed etiam quoad festivitatem, secum usque fert ipsas indulgentias, quæ tamen numquam comitantur in sua translatione, licet in statam diem. Ad id igitur, quod ex Rubrica in oppositum adductum est, dici debet, quod in nostro casu per legitimam auctoritatem præfata feria secunda tamquam dies 25. Martii considerandа decernitur, & ita illa recolenda, periode ac si in ea peracta fuisset Incarnatio Dominica, dum SS. Annunciationis festum, quod secundum se, ut advertit Suarez, Tom. 1. de Religion. cap. 5. num. 5. magis festum Dominicæ Incarnationis, quam Deiparæ, in dictam feriam secundam cum ipsa festivitate transferri, & in ea eodem prorsus modo, & forma celebrari mandatur, quibus celebraretur in propria die 25. Martii.

LXVIII. Cantato in Choro, *& Homo factus est*; in casu, quo Celebrans cum Ministris sedeat, Cæremoniarius procedit ante Celebrantem, illi profunde se inclinat, & deinde minus profunda inclinatione se convertit ad Diaconum, qui statim surgit (surgente etiam ipso Subdiacono, & præ manibus Birretum tenente, necnon apud locum suum consistente) & deposito Birreto super scamnum, in quo sedebat simul cum Cæremoniario, se constituit ante Celebrantem, eique facit profundam reverentiam, & Subdiacono mediocrem, qua alia simili eidem correspondet Subdiaconus, Celebrans vero modico capitis cooperti inclinatione. Tum Diaconus cum Cæremoniario per breviorem viam vadit ad credentiam, ubi bursam corporalium ambabus manibus a Cæremoniario sibi porrectam, ambabus item manibus accipit, & tenens eam per latera ipsius, pollicibus, & indicibus hinc inde, reliquis vero digitis subtus eamdem positis, eam defert usque ad oculos elevatam, & quasi jacentem, parte aperta ad se conversa, & ita solus sine Cæremoniario comite procedit per planum, seu per longiorem viam (factis debitis reverentiis Celebranti, & Subdiacono, qui, ut supra, correspondet, si ante eos transeat) ad medium ante infimum Altaris gradum, ubi unico genu Cruci genuflectit, deinde ad Altare ascendit, & in medio stans sinistra tenet Bursam, & dextra extrahit corporale. Deinde eamdem Bursam collocat erectam, ne Altare impediat, ex parte Evangelii inter candelabra, ea tamen cautela, ut pars aperta respiciat medium Altaris (sic namque commodior est, ut iterum in ea suo tempore Corporale reponatur), & in tali proportionali distantia a candelabris, ut deturpari non possit a Cera ex Candelis fluente. Tum ambabus manibus explicat Corporale super Altare in medio, & si in Corporali, ut decet, adsit Crux seu impressa, hanc convertit ad anteriorem mensæ partem, ut Sacerdos Altare osculaturus illam exosculetur. Explicato Corporali, ibi genuflectit Cruci unico genu, & manibus junctis, postea per breviorem viam a cornu Epistolæ redit ad Celebrantem, cui facta profunda inclinatione, & mediocri Subdiacono, quorum uterque proportionaliter, ut supra, correspondet, pergit ad suum scamnum, sedet, & caput operit, quod & similiter præstat Subdiaconus. Circa finem Symboli dato signo inferioribus Clericis, Cæremoniarius vadit ad admonendum, adhibitis respectivis reverentiis, Celebrantem, & sacros Ministros, qui statim surgunt, deponunt Birreta, & præcedente eodem Cæremoniario, Celebrans medius inter Diaconum, & Subdiaconum, vel post ipsos secundum loci commoditatem, revertitur ad Altare per planum Presbyterii, ubi in medio, facta debita (a Ministris genuflexione) reverentia, ascendit ad Altare, & eumdem comitantur Diaconus, & Subdiaconus, qui ad secundum gradum elevant Celebranti anteriores vestes illius, & Diaconus se sistit in eodem secundo gradu, & Subdiaconus descendit in planum absque genuflexione, & uterque per lineam rectam a tergo Celebrantis.

LXIX. De casu in quo Sacerdos non quidem sedet, sed post versum, *& incarnatus est* sedere vult, jam superius diximus quod una cum sacris Ministris genuflexus manet cum profunda inclinatione super infimum Altaris gradum, usque dum a Choro cantatus sit, *& Homo factus est*: quo facto nos crederemus, quod Diaconus Sacerdotem comitari item debeat ad sedem paratam, ad quam ubi devenerit, & jam Sacerdos sedet, Diaconus deposito birreto se statuit una cum Cæremoniario ante celebrantem, huic ut supra reverentiam facit, atque Subdiacono (qui stat aperto capite, præ manibus habens birretum, donec Diaconus ad suum scamnum redit), & vadit ad credentiam præstaturus ea omnia, a quorum descriptione vix venimus. Ast si Sacerdos nec sedeat, nec sedere velit, hæc erit regula; finito versu, *& incarnatus est*, ad quem ut supra Sacerdos, & Sacri Ministri genuflexi manent in suppedaneo, surgunt omnes; Celebrans, & Subdiaconus ad Altare ascendunt, Diaconus vero, nulla facta inclinatione Celebranti, vadit ad Credentiam per viam breviorem, de credentia accipit bursam, & defert eam per longiorem viam, & facta genuflexione Cruci super infimum Altaris gradum, ascendit ad Altare, & interim Celebrans, & Subdiaconus paululum recedunt ad cornu Evangelii, ut medium liberum relinquant Diacono, qui suo loco collocata bursa, ibidem Corporale explicat, & statim Celebrans se restituit ad medium Altaris, Diaconus a dextris, & Subdiaconus a sinistris illius, ibique stant usque circa finem Symboli, & dum in Choro cantatur, *& vitam venturi*: Ministri genuflectunt, & descendunt post Celebrantem, & sine ulla genuflexione ibi stant, unus post alium, dum Celebrans dicit, *Dominus vobiscum*, & deinde *Oremus*; qua de re in sequenti Capite. Addit Meratus, quod si Calix non esset super Credentiam, sed super Altare (quod tamen omnino non convenit,) tunc si Celebrans, & Ministri sedent, Diaconus post cantatum versum in Choro, *& Homo factus est*, surgit, & factis de more reverentiis, per viam longiorem solus accedit ad Altare, explicat Corporale, & postea per viam breviorem redit ad Celebrantem, & ibi sedet in suo scamno &c. Et si sedere non volunt, nisi post cantatum versum, *& Incarnatus est*, tunc quando surgunt a genuflexione, Celebrans, & Subdiaconus vadunt ad scamnum, Diaconus autem recta pergit ad Altare, & ibi explicato Corporali, per viam breviorem vadit & ipse ad sedendum, factis prius Celebranti, & Subdiacono (qui stat ut supra capite aperto) respectivis reverentiis: si vero nec sedere velint post versum, *& incarnatus est*, seu *& Homo factus est*, se omnes restituunt ad Altare, deinde paululum Celebrante, & Subdiacono recedentibus versus cornu Evangelii, Diaconus vadit ad Altaris medium, & ibi ut supra explicat Corporale. Quid vero faciendum sit, quando Symbolum non est dicendum, suo loco statuetur infra.

CAPUT XIII.

De Offertorio.

I. Offertorium, quod ab offerendo dubium non est derivari, dicta est (& adhuc tale nomen eidem est reliquum) antiphona quædam, quæ tempore oblationis, quæ fiebat a populo, cantabatur, ad imitationem Israelitici populi, qui oblationes suas, 2. Paralip. 9. cum laude offerre consueverat. Hinc Ordo Romanus II. *Transit deinde sacerdos ad suscipiendas oblationes, interim cantores cantant offertorium cum versibus, & populus dat oblationes suas, idest panem, & vinum, & offerunt cum fanonibus candidis, primo masculi, deinde fœminæ*: & en Oblationes (quidquid postea sit de vicissitudinibus, quas tractu temporis passa est Oblationum consuetudo, qua de re fuse, & erudite scripsit Berlendus in suo particulari tractatu de oblationibus ad Altare), quæ a Missam faciebant populi, id est panem, & vinum; & quidem si teste S. Cypriano Epist. 63. ad Cæcilium, *Christus obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, idest panem, & vinum, suum scilicet Corpus, & Sanguinem*, utique etiam Christi fideles ad ejus imitationem debebant offerre panem, & vinum, in Christi Corpus, & Sanguinem transubstantiandum. Hinc Concilium Carthaginense 3. celebratum ann. 397. can. 24. hæc habet: *Ut in Sacramento Corporis, & Sanguinis Domini nihil amplius, quam ipse Dominus tradidit, hoc est panis, & vinum aqua mixtum*: per quem canonem, nedum præscriptæ manent species Oblationum, quæ ad Altare deferri poterant, sed insuper diserte proscribitur abusus Artotiritarum, qui teste Augustino lib. de her. a. 28. *offerebant panem, & caseum, dicentes a primis hominibus oblationes de fructibus terræ, & ovium fuisse celebratas*. Quæ oblationes non fiebant indiscriminatim in omnibus Missis, & Ecclesiis, sed solum modo in Missis publicis, & solemnibus, & in Ecclesiis majoribus, Titularibus, seu Matricibus, ad quas totus populus iisdem subjectus, cujuscumque esset gradus, sexus, vel professionis, conveniebat, atque communicabat, tunc namque offerre, & communicare erant correlativa. In Missis autem privatis, sicut populus non communicabat, ita nec offerebat, & ideo materia consecrationis ad eos aliunde deportabatur. Hinc legitur in vita Jo. Papæ III. circa annum 561. *Hic constituit, ut oblationes, & Ampullæ .... in Cœmeteriis per omnes Dominicas de Lateranis ministrarentur*; super quod Decretum habet Altaserra: *Oratoria erant in Cœmeteriis Urbis, in quibus Sacrificium Missæ per singulas dies Dominicas celebrari solebat, idcirco ne sumptus deessent (quoniam ibi a fidelibus non fiebant oblationes) Joannes tertius constituit, ut oblationes, idest panis, qui offerendus erat sacrificii causa, Hamæ, seu amulæ, idest Urceoli, quibus contineretur vinum, & aqua, ad sacrificium Missæ, ministrarentur de Lateranis, idest de Laterani Basilica*. Idipsum anno 731. statuit Gregorius III. unde in ejus vita: *Disposuit in Cœmeteriis ... ut oblationes de Patriarchio per oblationarium deportarentur ad celebrandas Missas*. Quoniam vero Sacra mortuorum ibidem privata erant, non publica, & solemnia ex can. 3. Concilii Valensis, idcirco, ut scite advertit Albaspineus, lib. 1. cap. 17., & ex eo Gavantus part. 2. tit. 10. num. 4. litt. I, in iisdem non communicabantur fideles, & per consequens neque offerebant, sed id præstitum dumtaxat fuit posterioribus Ecclesiæ sæculis, in quibus, cum Defunctorum Sacra cœperint celebrari publica, atque solemnia, insimul haberi cœperunt cum communione, & oblatione fidelium, quarum argumentum est duplex Antiphona: *Offertorium* nempe, & *Communio*, cum quibus ad nos usque devenerunt.

II. Qua formula, & prece oblationes primis quatuor Ecclesiæ sæculis a populis fierent, & reciperentur a Sacerdotibus, utique definiri non potest, cum tunc temporis, ut docet nos D. Parens Augustinus, Tom. 4. in Psal. 103. serm. 1. num. 14. præsertim quæ ad Baptismatis, & Eucharistiæ Sacramenta pertinent, scriptis non mandarentur, sed sub rigoroso custodirentur arcano. Unde & Divus Basilius de Spir. Sanct. cap. 27. *Verba sacra invocationis in consecratione panis, & vini, quis Sanctorum nobis scripto tradit?* Credit tamen Valfridus nulla vocis expressione, sed sola cordis devotione id esse faciendum, habet quippe oblatio ex se vocem suam; ea propter Divus Gregorius, lib. 9. Epis. 38. *habet ipsa vestra oblatio apud omnipotentem Deum vocem suam.* Subsequentibus vero sæculis in Ecclesias invectæ fuerunt diversæ formulæ, quas curiosus lector recolat apud Berlendum 5. 4. nu. 6. nos enim adnotare progredimur, quod dictis quatuor primis sæculis neque in Choro cantabatur Offertorium, dum fiebant oblationes, sed id subsequentibus solummodo sæculis præstari cœpit; cantabatur autem, uti asserit superius allegatus ordo Romanus 1. Offertorium cum versibus, quinimo quandoque juxta Antiphonarium Sancti Gregorii Psalmus integer, repetito post quemlibet versum offertorio, ut toti tempori, quo populus offerebat, psallentium voces applauderent. Ubi defierunt oblationes, offertoria quoque abbreviata fuere, atque redacta ad simplicem Antiphonam, qualis nunc legitur, uno excepto offertorio Defunctorum missæ, quod cum suo versu ad nos usque pertransiit.

III. Hujusce Antiphonæ, quæ in Missa defunctorum Offertorium dicitur, verba in modum Responsorii ordinata, caute sunt exponenda, ne Ecclesia pro animabus etiam apud Inferos existentibus, atque damnatis, suas ibi preces exhibere videatur: *Domine, libera animas omnium fidelium Defunctorum de pœnis Inferni, & de profundo lacu: libera eas de ore Leonis, ne absorbeat eas Tartarus, ne cadant in obscurum, &c.* Cum dicitur *de pœnis Inferni*, cave ne intelligas de pœnis æternis illius ignis, in quem omnes arbores aridæ, hoc est omnes Animæ decedentes gravi obnoxiæ peccato, & bonorum operum fructibus denudatæ mittendæ sunt; hoc enim Salva Catholica fide haudquaquam intelligi potest, sed absolute, & absque hæsitatione ulla explica de pœnis Purgatorii. Incongruum utique non est in hac circumstantia nomine Inferni Purgatorium usurpare; idem enim omnino juxta sanctos Patres ignis est purgans electos, cruciansque damnatos. Ubi prosequitur *de profundo Lacu, & de ore Leonis*; dicito apud te ipsum, quod sicuti Infernus variis nominibus in Scripturis Sacris nuncupatur; unde per Psalmistam, & *profundum*, & *Puteus* dicitur: *Neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum.* Sic etiam Purgatorium, Lacus profundus, & Leonis os dicitur, & in dicta precatione fit sensus, ut defunctorum animæ de loco illo subterraneo, in quo, tamquam in profundo Lacu latitantes naufragium veluti patiuntur, & ut in ore ferocissimi Leonis acerbissime lacerantur, liberentur. Cum additur *ne absorbeat eas Tartarus, ne cadant in obscurum*; dicendum, quod idem valet, ac ne diutius retineat eas Tartareus ille locus obscuritatis, & suppliciorum plenus. In hoc sensu, & non aliter orationem hanc offertoriam pro Defunctis esse exponendam, probant Valentia Tom. 3. disp. 6. art. 2. punct. 8. Cardinalis Capisucchius controv. 5. aliique omnes, qui cum Angelico D. Thoma improbant sententiam Petri Propositivi Theologi quondam Parisiensis, sentientis damnatorum Animas suffragiis juvari posse, & si non ut liberentur absolute a pœnis Ignis æterni, saltem pro nunc, ut scilicet immunes ab ipsis reddantur usque ad Universale Judicium. Opinio enim hæc contrariatur fidei nostræ documentis, quibus docemur, quod in Inferno nulla est redemptio, sive ad culpam minuendam, sive consequenter ad sublevandam pœnam.

IV. Ad majorem Catholicæ hujus veritatis elucidationem nobis lubet inconcussam hic unam, vel alteram producere manifestationem; & quia agitur de improbanda Theologi Parisiensis sententia, qui floruit circa annum 1222., non erit abs re e Parisiis hanc depromere. Temporibus itaque Gregorii VII. Romani Pontificis, & Henrici Imperatoris III. Anno humanæ salutis 1082. horrendum in Urbe Parisiensi accidit spectaculum, sæculis omnibus memorandum, quod Carthusianæ Religionis instituendæ occasionem, ac stimulum præbuit. Doctor quidam, præ ceteris in Parisiensi urbe, & eruditione, & eximia morum honestate conspicuus, in morbum incidit, & omnibus, ritu Catholico, Ecclesiæ Sacaramentis de more munitus, Vita functus est: cumque ei, recepta apud Christianos consuetudine, celebres pararentur exequiæ; funus magna cum Magistrorum, candidatorum, civiumque prosequente caterva, corpus ejus in Ecclesiam illatum est. Ibi cum Sacerdotes solitum officium peragerent, & preces, quas Defunctorum vigilias vocant, recitarent, ubi ad eam lectionem ventum est: *Responde mihi quantas habeo iniquitates &c.*, subito cadaver elevato paululum e feretro capite, cunctis videntibus, & ad tantam, tamque mirandam rei novitatem haud immerito obstupentibus, alta, & horrenda voce dixit: *Justo Dei judicio accusatus sum*; & his dictis rursus in feretro caput deposuit. Qui vero funeri intererant, ejus voce, & gestibus non mediocriter perterrefacti, consulto Sepulturam ejus in crastinum diem differendam decrevere, tam insolitæ rei, impensis animis, exitum præstolantes. Altera igitur luce, cum jam jam facti hujus fama tota esset Urbe diffusa, innumera prope hominum utriusque sexus turba ad eam confluxit Ecclesiam. Tum vero denuo repetitis exequiis, postquam supradictæ lectionis initium recitari cœpit, idem Defunctus erecto capite, rursus ingenti voce clamat: *Justo Dei judicio judicatus sum*; moxque se reponit in feretro. Corripiuntur adstantes omnes summa indicibili admiratione, horrendumque spectaculum stupore afficit omnes; sed quia ea, quæ hactenus dixerat, apertam needum damnationis ejus habebant significationem, cunctis, quibus spectabat, visum est; etiam in diem tertium illius cadaveris sepulturam protrahere. Eo autem illucescente, tota fere civitas, tam insuetati, tamque terribilis Dei Judicii expectatione suspensa, eo certatim confluxit. Cumque eodem modo iterarentur exequiarum ritus, & ad lectionem, quam diximus perventum esset, his sequentibus carminibus auctores, qui scriptis mandarunt eventum hoc terribile, scilicet R. R. & Religiosi admodum Patres Franciscus de puteo, & Petrus Blomevenne, exprimunt, quomodo absque ulla amphibologia expresse clamitavit, se justo Dei judicio esse damnatum, nec ipsi amplius, aut parum, aut multum funeribus, ac orationibus posse prodesse.

Tum rursus exanimis feretro caput extulit alto,
Atque infelicem se contemplando locutus,
Sic ait, immenso luctu, grandique Boatu:
Parcite funeribus, mihi nil prodesse valetis,
Heu infelicem, cur me genuere Parentes?
Ac miser æternos vado damnatus ad ignes.
Indeque conticuit semper, jacuitque supinus.

Ad hæc verba, ad hoc testimonium, quis non improbaret Petri Præpositivi sententiam, aut potius quis est, qui intimis sensibus exhorrendo non fateatur cum Patientissimo, quod in inferno nulla prorsus est redemptio, sive, quoad culpam minuendam, aut quoad pœnam sublevandam. Penetravit terribilis illa vox: *Justo Dei Judicio damnatus sum, mihi nil prodesse valetis*, ipsas ossium medullas omnium adstantium. Quid enim? Si Homo iste (sic intra se loquebatur Bruno), si Homo iste, non modo divinarum rerum scientia ornatus, sed & omnium opinione, sanctitatis laude præditus, damnatum se Dei justo judicio clamitat, quid sentiendum de his, qui nullis virtutum meritis instructi, & gravioribus delictis onerati decedunt? Territus ergo, & Divini Judicii compunctus aculeis Bruno, accersitis ad se nonnullis ex sodalium suorum intimis, efficaci oratione ipsis persuasit, ut Mundo, & amicis valere jussis, secum pergerent ad Eremum, qui omnes pari animorum concordia, in novam militiam conjurantes, Religionem Carthusiæ fundaverunt; respectu vero Doctoris defuncti, ea omnium fuit sententia, ut Homo ille ad eum usque diem celeberrimus, ac sempiterna memoria, ut putabatur, dignus, omni Ecclesiæ suffragio, & sacra sepultura quoque indignus censeretur, ejusque Cadaver in sterquilinium sepeliretur.

V. Remanet nunc videndum illius Antiphonæ, quæ in Romano Missali intitulatur *Offertorium*, quis fuerit Auctor. Plerique Gregorio Magno ejusdem institutionem attribuunt, eo quod ipsam in suo Antiphonario, propriam in singulis Missis assignaverit. Verum ævo Gregoriano antiquior utique est oblationum ritus cum cantu antiphonæ, aut versiculorum. Nam lib. 2. Retractationum cap. 11. Sanctus Parens noster Augustinus asserit, quod suo tempore in Africa vigebat oblationum consuetudo, cum aliquorum versiculorum ex Psalmis cantu. Hanc ut declinent difficultatem, alii Sanctum Cælestinum, alii Eutichianum Romanos Pontifices, pronunciarunt institutores Offertorii, seu Antiphonæ, quæ inscribitur *Offertorium* Sed cum id magis gratis asserant, quam alicui, quod proferant, innixi fundamento, nos cum Valfrido Scriptore IX. sæculi concludere malumus: *Offertorium, quod inter offerendum cantatur, quamvis a prioris populi consuetudine in usum Christianorum venisse dicatur, tamen quis specialiter addiderit officiis nostris, aperte non legitur.* Etsi autem Offertorium stricte sumptum, nonnisi prædictam importet Antiphonam, in ampliori tamen sui significatione, prout ad præsens attinet, in suo sinu complectitur ea omnia, quæ a Sacerdote, & Ministris fiunt a salutatione *Dominus vobiscum* facta post Symbolum, vel post Evangelium, si Smybolum non sit dictum, usque ad clausulam secretæ orationis, cum Sacerdos elata voce dicit, *Per omnia sæcula sæculorum.* Ita scite nos monet Cardin. Bona, Rer. Liturgicar. lib. 2. cap. 8. num. 3., Meratus part. 1. tit. 12. num. 1. aliique plures, quos & nos sequimur, quia omnia, quæ pertractanda sunt, reapse, vel ad oblationem populi, sacerdotisve spectant, vel ad eam facile reducuntur.

DECRETUM PRIMUM.

VI. *Parochi diebus festis possunt post Offertorium, in medio Altaris vertere se ad populum, & invitando ad oblationes, manipulum, vel aliud præbere deosculandum Offerentibus, & aliis Sacerdotibus id non licet.* S. Congregatio Concilii apud Fagnanum in cap. *Pastoralis num.* 40. Reliquia hæc est quædam prædicti antiquarum oblationum ritus, qui licet utique generaliter defierit, adhuc in nonnullis viget Ecclesiis, & præsertim in Pagis, & oppidulis rusticorum, hoc tamen discrimine, quod nunc vice panis, & farinæ, quæ primitus offerri solebant, ut plurimum denarii offeruntur, & hi non in usum Sacrificii cadunt, sed magis in beneficium Parochorum, propter Sacramentorum administrationem, quæ cum Parochis incumbat, non aliis Presbyteris, idcirco Decretum rite subdit, *& aliis Sacerdotibus id non licet*; & quidem adeo his non licet, ut Fagnanus

num.

num. 27. habeat, quod quando etiam Capellano celebranti fierent, ipsi non quærerentur, sed Parocho; quæ regula duas suscipit limitationes: primam in Regularibus; de quibus sequens Decretum.

DECRETUM II.

VII. *Oblationes, & eleemosynæ inter Missarum solemnia possunt recipi a Regularibus, qui possunt se vertere ad populum, & generalem Confessionem pro eo facere, sistendo in medio Altaris, non autem illinc discedendo, & Ecclesiam circumeundo.* S. C. Concilii 25. Septembris 1629. Etiam itaque Regulares, tametsi non sint Parochi, inter Missarum solemnia recipere possunt oblationes, & eleemosynas ad Altare, & hæc non quæruntur Parocho, sed Monasterio pro Religiosis sibi servientibus; cum enim ministrent populo spiritualia, & Parochos ipsos juvent admodum, administrando fidelibus accurrentibus Sacramenta, merentur utique ab iisdem temporalia, quoniam dignus est operarius cibo suo, ut dicitur expresse Matth. 10. Rota part. 5. Tom. 1. decis. 373. num. 1. Fagnanus loco citato nu. 34. Reifenstuel lib. 3. Decretal. tit. 30. num 195, aliique communiter,

DECRETUM III,

VIII. Secundum limitationem accipit prædicta Regula per subsequens Decretum, *Sacerdoti Missam novam celebranti licet oblationes accipere, modo non discedat ab Altari.* Congregatio Episcoporum 11, Octobris 1601. Idipsum Sacram Congregationem Concilii decrevisse refert Fagnanus nu. 39, videlicet: *Sacerdotes novi non prohibentur in suis primis Missis post Offertorium in medio Altaris ad populum se convertere, & oblationes accipere a sponte dantibus, sed perambulationes per Ecclesiam, & extortiones prohibentur,* Haud igitur dubium est, quod etiam Sacerdotes, Regulares sint, vel Sæculares, qui Missam novam celebrant, oblationes populi possunt recipere, & has facere suas, quia ut idem habet Fagnanus num. 37, & 38. talis est mens, & voluntas Offerentium, & ita fert utique locorum consuetudo recepta. *Missa novam* habet Decretum; unde ad primam dumtaxat Missam favor videtur extendi: sed ego non refragarer admodum, si quis ob ea subsequentis Decreti verba *in suis primis Missis*, favorem extenderet ad tres primas Missas, quæ præ subsequentibus celebriores communiter haberi solent.

IX. *In medio Altaris a Sacerdote converso ad populum* Oblationes recipiendas esse, cuncta ex allegatis conveniunt Decreta. Quorum tamen primum, quod pro Parochis latum est, non se extendit ad excludenda alia loca, aliosve modos præfatas recipiendi oblationes, sicuti præstant Decreta, quæ pro Regularibus, ac novis Sacerdotibus disponunt; unde de Regularibus, *sistendo in medio Altaris, non autem illinc discedendo, & Ecclesiam circumeundo.* Et de novis Sacerdotibus, *modo non discedat ab Altari*, & iterum, *sed perambulationes per Ecclesiam, & extortiones prohibentur.* Ex quibus eruitur, quod modus suscipiendi oblationes in hoc consistat, quod Sacerdos post Offertorium vertat se ad populum, & consistens in Altaris medio, præmissa pro libito invitatione ad offerendum, ibi a sponte dantibus oblationes recipiat; & nullatenus ab Altari discedat circumiens Ecclesiam, ad extorquendas a populo oblationes: *Istæ enim sunt importunæ, atque illiberales eleemosynarum exactiones, potius quam postulationes*, quas prohibitas esse voluit Concilium Tridentinum sess. 22. de observ. & evitan. in Celeb. Missæ.

X. An discessus ab Altari, quem Regularibus, & novis Sacerdotibus inhibitum superius vidimus, suscipiendi oblationes causa, prohibitus item censendus sit Parochis, quorum Decretum, jam dicebamus nihil expresse hujusce prohibitionis habere, quæstio est, quæ sub suis terminis in Sacra Concilii Congregatione fuit exposita, *an liceat Parochis exstante consuetudine, in diebus festivis, in medio Missæ invitare populum ad oblationes, dando singulis pacem, & ad recipiendum mulierum oblationes recedere ab Altari, & ad infimum locum Ecclesiæ, ubi mulieres manent sejunctæ a maribus, stante Constitutione Concilii cap. un. de observat. & evitan. sess. 22. ubi quascumque importunas, atque illiberales eleemosynarum exactiones vetat.* Ad quod dubium eadem Congregatio respondit, consuetudinem hanc restringendam esse ad exemplum Decreti jam facti nonis Octobris 1573. videlicet licitum non esse Parochis ab Altari discedere, sed in medio Altaris debere oblationes recipere, sicuti per dictum Decretum de novis Sacerdotibus cautum est. Verum cum postmodum relatio Sanctissimo facta fuerit, haudquaquam decisionem approbans dixit: non esse eamdem rationem, seu bonam conversionem de Missis novis ad Missas Parochorum, quibus debentur istæ oblationes, & ideo permittendam esse hujusmodi consuetudinem prout inolevit. Ita decisum fuisse refert Fagnanus num. 42.

XI. Hinc inferuntur plurima, & primo, quod etiam Parochi ad Altare debent oblationes Virorum suscipere, & quod nullatenus ipsis potest esse licitum circumire Ecclesiam ad illorum oblationes recipiendas. Hac eorum in parte nihil novi in Parochorum favorem decernitur. Secundo, quod ubi ea est consuetudo, possunt iidem Parochi ab Altari recedere, & ad infimum Ecclesiæ locum, ubi Mulieres manent a Viris sejunctæ, accedere, & in medio ibi se sistere, ut a sponte comparentibus eleemosynas recipiant, non tamen inibi circumire ad easdem eleemosynas quæritandas. Hoc namque est, quod citato capite *Universum* prohibetur a Tridentino. Tertio, quod ubi talis consuetudo non est, neque debet introduci. Videtur dicendum, per verba enim; *ideo permittendam esse hujusmodi consuetudinem prout inolevit*, non declaratur in favorem Parochorum præ novis Sacerdotibus, quod ubi non est consuetudo discedendi ab Altari, &c. possit introduci, seu initiari, sed tantum innuitur, quod ubi viget, est permittenda. Ast mihi placet maturo hic, & serio examine anteriora etiam Sanctissimi verba perpendere *non esse eamdem rationem, seu bonam conversionem de Missis novis ad Missas Parochorum, quibus debentur istæ oblationes, &c.* Ex his verbis eruitur, quod titulus principalis, cur permittendus sit Parochis præ novis Sacerdotibus discessus ab Altari, & accessus ad infimum Ecclesiæ locum, ubi Mulieres a maribus sejunctæ manent, animo suscipiendi oblationes a sponte comparentibus, nihil alius est, nisi quia Parochis istæ oblationes debentur, unde ipsi discedendo ab Altari ut &c. suam veluti jurisdictionem quamdam exercent, quod non verificatur de novis Sacerdotibus, quibus per accidens tantum, & non per se, & ex se tales oblationes debentur. Si ergo titulus ille ubique, idest in omnibus Parochialibus Ecclesiis subsistit, cur permittendus in omnibus pariter Parochialibus non erit memoratus ab Altari discessus Parochi, ubi præcipue laudabilis mos ille, a maribus fœminas separandi viget? & per consequens ubi talis consuetudo non est, quare introduci aut initiari non poterit? Fateor, quod ubi a maribus Mulieres, seu fœminæ non separantur, eædem ad Altare debent offerre, quia Parochi non habent in tali casu locum determinatum, ubi se constituant, ad oblationes fœminarum suscipiendas. Si tamen, uti decet, separarentur, sicuti, ubi sejunctæ non sunt, separari possunt, ita tunc citra dubium Parochi poterunt ubique ab Altari discedere ut supra, &c.

XII. Novis Sacerdotibus non adeo favorabile extat Decretum, sed iisdem dumtaxat ad Altare oblationes permittit suscipere, absque eo quod, ne quidem recta pergere valeant ad locum, ubi manent Mulieres, aut quoquomodo discedere ab Altari, ad quod consequenter necesse est accedant, Mulieres sint, vel Mares, quotquot oblationes facere intendunt, ad nihilum pro ipsis suffragante veteri consuetudine, quæ quoad novos Sacerdotes reprobatur, & solummodo in favorem permittitur Parochorum, quibus tamquam Sacramentorum, & spiritualium administratoribus illæ oblationes veluti debentur juxta laudatum textum Matthæi 10. 10. *Dignus est operarius cibo suo.* Ubi novis Sacerdotibus nullo titulo per se debentur, sed iisdem fiunt ex mera liberalitate & Charitate. Quod dictum item sit de Regularibus, qui ex Charitate magis, quam ex rigoroso debito fidelibus in spiritualium, Sacramentorumve administratione inserviunt. Ritus ergo, quem prædicta Decreta probare videntur, in eo consisteret, quod dicto Offertorio se vertat Sacerdos ad populum, & ibi stans in suppedaneo in medio Altaris, oblationes recipiat, primum virorum, postea fœminarum. Exceptis itaque oblationibus, quæ novis elargiuntur Sacerdotibus in primis tribus eorum Missis, omnes aliæ cedunt in favorem, seu in usum Parochorum, loquendo de iis, quæ in eorum Ecclesiis colliguntur. Si tamen consuetudo adesset, ut oblationes, quæ Cruci offeruntur in feria VI. Parasceve, dentur Cæremoniarum magistris, omnino servanda esset; uti expresse S. R. C. decrevit die 29. Novem. 1603. in Baneventana, his verbis,

DECRETUM IV.

Consuetudo, ut oblationes, quæ offeruntur Cruci feria VI. in Parasceve, dentur magistris Cæremoniarum, servanda est. S. R. C. &c.

XIII. Ad antiquum ritum quod attinet, is diversus valde fuit, & pro diversitate Temporum, & pro varietate locorum. Sanctus Joannes Chrysostomus Hom. 6. contra Judæos, oblationes a fidelibus ipsis delatas, & Altari admotas sentire videtur; dum scribit: *Qua conscientia ingredieris Ecclesiam? quibus oculis videbis Sacerdotem? qua manu sacram attinges mensam?* Concilium secundum Matisconense, Anno 585. apud Marcum Battaglini definiisse refertur: *Che ogn'uno dell'uno, o l'altro sesso si presenti ogni festa all'Altare coll'Offerta di pane, e vino.* Unde etiam feminæ Sacris Altaribus hostias admovisse videntur, & hoc ex eo eruitur, quod S. Pater Augustinus narrat de Sancta Matre sua Monica, videlicet: *Nullo die prætermisit oblationem ad Altare tuum.* Hujusce consuetudinis dilucidum Testimonium pronuntiat S. Theodulphus Episcopus Aurelianensis Sæculi noni, dum fœminas ad Altare accedere prohibet, & insimul alteram consuetudinem invehit, dum jubet, quod illæ stent in locis suis, & ibi Sacerdos earum oblationes accipiat. En ipsius Sancti verba, ut stant in suo Capitulari: *Fœminæ nequaquam accedant ad Altare, sed suis locis stent, & ibi Sacerdos earum oblationes accipiat.* Atho Episcopus Basiliensis permittit, fœminas ad Altaris cancellos accedere, & non ultra, & ibi Presbyteris suas obltiones facere. S. Isidorus, lib. de Orig. scribit, quod Subdiaconi oblationes in Templo Dei a fidelibus suscipiebant, & Levitis supponendas Altaribus deferebant, quo in ritu præscribendo concordes item sunt Synodus Aquisgranensis, Anno 836. & ipse Ordo III. Romanus. Priusquam autem suo quisque modo fideles oblationes facerent ab illo Christi, Matthæi 5. 24. mandato edocti, *vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum*, sibi invicem multum dabant reconciliationis, & pacis osculum, de quo infra suo loco reservamus dicere.

XIV. In tanta rituum varietate, ecce quem nos probaremus magis. Sacerdos, dicto offertorio, se vertit ad populum,

& stans in suppedaneo in medio Altaris, habens duos Clericos hinc inde tenentes ante eum ambabus manibus expansam Syndonem mundam accipit oblationes Clericorum, non tamen laicarum personarum, pro quarum oblationibus suscipiendis, descendet Sacerdos, & statuet se in medio plani ad ingressum Presbyterii, & ibi eidem stanti cum assertis duobus Clericis tenentibus ante eum Syndonem; vel saltem uno Clerico cum lance, laici omnes offerant, projiciendo in Syndonem, vel lancem id, quod offerre existimant, seu volunt. Non offerent autem promiscue viri, & mulieres, sed primum mares, deinde foeminæ, omnibus osculantibus rem, quam offerunt, deinde Tabellam pacis, aut Crucem, vel sacram aliquam Immaginem, quam ipsemet Sacerdos iisdem osculandam præbet. Sunt loca ubi vice imaginis sacræ, offerentes assolent Sacerdotum novorum manum osculari, & hæc consuetudo, quoad mares non habet, unde corripi valeat, sed toleranda non est quantum ad mulieres, quæ propterea omnino abstinebunt ab osculo manus, vel iisdem, ut supra, osculanda dabitur Sacra Imago aliqua. Quod si alicubi, (minus tamen convenit) in missis Defunctorum oblationem fieri contingat, tunc omnia omnino omittentur oscula. Defunctorum enim missæ non patiuntur oscula. Hæc agendi ratio, præ cæteris ex eo servanda videtur, quod conformior est ritui, jam alias tradito, pro distributione candelarum, & insuper divinorum officiorum tempore excludit personas laicas a Presbyterio, quod iisdem inaccessum, & solis pervium Clericis, jam alias vidimus, tum examinantes instructionem Romanam Quadraginta horarum, tum agentes de communione Fidelium, quos ad cancellos communicari debere diximus, & solos Clericos intra Presbyterium; & sicuti ibi Reges etiam ad communionem admitti posse statutum extitit, ita modo eosdem ad Altare offerre posse dicimus, sicuti & quotquot ex laicis, quos officiorum tempore intra Presbyterium moderna Ecclesiæ Disciplina admittit. Ceterum neque offendit plurimum producta Decreta, quæ si serio ponderentur, Sacerdoti quidem discessum ab Altari prohibent ad effectum tollendi perambulationes per Ecclesiam, & eleemosynarum extortiones, non tamen reapse inhibent ejusdem descentum in planum ad medium, & ad ingressum Presbyterii, causa suscipiendi oblationes a personis laicis, sponte comparentibus, quas Ecclesiæ disciplina non admittit intra Presbyterium: Et maxime quia per talem descentum nullatenus dici potest, quod Sacerdos discedat ab Altari, cum adhuc remaneat intra ejusdem Altaris septa. Si quæ autem ex Ecclesiis in usum habet cantare in Choro offertorium oblationum tempore, illud morose cantet, & si opus est, etiam cum repetitione, & pausa.

D E C R E T U M V.

XV. *Permittendum non est Armenis ad unionem cum Sancta Romana Ecclesia venientibus, ut cum solo vino sacrificium missæ peragant.* S. Congregatio de Propaganda 30. Janu. 1635. Ab antiphona, quæ *Offertorium* dicitur, usque ad orationes *secretas* dictas, Ecclesiam Romanam, ante septingentos annos, orationem nullam habuisse, ex duplici eruitur, & valde comprobatur capite. Primum est, quia Alcuinus, Amalarius, Valfridus, Remigius, Rupertus, Hugo, Innocentius, aliique ex veteribus, quotquot scripsere de sacris Ritibus, & Ecclesiasticis Ceremoniis, nedum nullius meminere orationis, sed omnes concorditer ab Offertorio statim transeunt ad Secretas; equidem Micrologus scriptor sæculi undecimi Lib. de Eccles. Observat. cap. 11. duarum meminit, scilicet *Veni sanctificator*, & *Suscipe Sancta Trinitas*; quod & præstat Rudulphus Tungrensis, qui floreat ann. 1150. sed uterque etiam fatetur, quod prima ex dictis orationibus dicebatur juxta ordinem Gallicanum, altera vero non ex aliquo ordine, sed ex Ecclesiastica consuetudine. Ceterum Romanum ordinem nullam instituisse orationem post Offertorium ante secretam, Cardin. Bona petit alterum argumentum ex diversitate orationum, quæ post Offertorium in diversis Ecclesiis recitantur; ait enim ipse, quod, quia diu Romana Ecclesia illis usa non fuit, unaquæque Ecclesia sibi peculiares instituit, atque retinuit. Hanc sententiam amplectuntur Gavantus par. 1. tit. 11. litt. T. Meratus ibidem num. 3. Bellarminus lib. 2. de missa cap. 17. Bona lib. 2. Rerum Liturgicarum cap. 9. Martene lib. 1. de antiquis Ecclesiæ Ritibus cap. 4. art. 6. Grancolas Tom. 2. de antiquis Litur. pag. 152. quibus novissime accessit Benedictus XIV. de Sacrif. Missæ lib. 2. cap. 10.

XVI. Prima ex orationibus, quæ nunc dicuntur, incipit *Suscipe Sancte Pater*; & nonnullis visa est reprehentione digna, quia Hostiam nondum consecratam, immaculatam nuncupat, sed scite reponit Joannes Hostemeister Ordinis S. Patris Augustini, quod talis dicitur non relate ad panem, qualis nunc est, sed relate ad Corpus Christi substantiæ panis, & sub ipsius speciem panis, vi consecrationis mox subrogandum. In fine autem hujus orationis crucem cum Patena faciens, deponit Celebrans Hostiam super corporale, & hoc signo Crucis denotatur, Jesum Christum super Crucem se Æterno Patri Hostiam obtulisse, ut nos a peccatis redimeret. *Deus qui Humanæ substantiæ*, est oratio altera, quæ dum dicitur, a Rubrica jubetur Celebrans aquam in Calicem miscere vino; unde Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 7.: *Monet Sancta Synodus præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in Calice offerendo miscerent*, & triplicem rationem assignat, quarum prima est, *Tum quod Christum Dominum ita fecisse creditur.* Secunda, *tum etiam quia a latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur.* Tertia *est cum aquæ nomine in Apocalypsi Beati Joannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum Capite Christo unio respræsentatur.* Addunt alii mysticam rationem alteram, scilicet per aquæ, & vini commixtionem, incarnationis ostendi Mysterium, in quo humana natura cum Divina hypostatice juncta est, & hanc explicationem tueri videntur illa ejusdem orationis verba: *da nobis per hujus aquæ & vini Mysterium ejus Divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostræ fieri dignatus est particeps, Jesus Christus Dominus noster.*

XVII. Commixtionem hujusmodi necessariam nonnulli putant necessitate Sacramenti, quia Christus ipse usus est vino aqua mixto: alii volunt esse de præcepto Divino indispensabili ab Ecclesia. Tale tamen præceptum dispensabile alii contendunt; & demum non desunt, qui autumant eam esse de solo præcepto Ecclesiastico; si ejusmodi distincte a nobis pertractanda forent, profecto extra rem immoraremur plurimum, quare contenti sumus dicere, quod satis diserte Tridentinum per producta ea verba, *præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus*, abunde designat eamdem non esse nisi de præcepto Ecclesiastico. Rem extra omne omnino dubium ponit præsens Decretum, quod ubi statim permittendum non esse statuit Armenis, ut cum solo vino Sacrificium Missæ peragant, in primam rationem assignat, *quia licet hujusmodi mixtio aquæ cum vino non sit de necessitate Sacramenti, sed tantum ex præcepto Ecclesiastico, super quo dispensare potest Papa, nihilominus quia aqua in vino consecrando miscetur ex traditione Apostolica, idque Christum fecisse ex testimoniis Sanctorum Patrum, creditur; nullo modo debet hujusmodi ritus sacrificandi tolerari, aut Armenis permitti.* Non enim per hoc, quod Christus usus sit vino aqua mixto, inferri inde potest, quod talis mixtio sit de necessitate Sacramenti, aut de præcepto divino, alias, cum itidem ipse consecraverit in azymo, & exacta Coena, sequeretur id quoque de præcepto esse Divino, aut de necessitate Sacramenti.

XVIII. Et quidem materia Calicis sufficienter salvatur in solo vino, quia Christus solummodo illud designavit in Calice, dum dixit Matthæi 26. *non bibam amodo de hoc genimine vitis*, & Concilium Florentinum in Decreto pro Armenis declarans materiam Calicis, solum dixit illam esse *vinum de vite, cui ante consecrationem modicissima aqua misceri debet*; quo dicendi modo designat materiam Calicis solum esse vinum de vite, mixtionem vero aquæ pertinere dumtaxat ad conditionem, seu ad cæremoniam quamdam mysticam accidentalem, non ad materiam Sacramenti, unde de consecratione dist. 2. c. 1. *si Vinum tantum quis offerat, Sanguis Christi incipit esse.* Hinc duo inferuntur, quorum primum est, a veritate omnimode aberrare Hæreticos illos, quos D. Parens Augustinus, de hær. c. 64. propterea aquarios appellat, *quod aquam offerrent in pocula Sacramenti*. Alterum est, nullam fidem adhibendam esse Volaterrano; dum lib. 7. Geograph. cap. *de Saxonibus* asserit ab Innocentio VIII. Norvegiæ permissum fuisse sine vino Calicem consecrare, quod ob immensa frigora vinum in eam Regionem deportatum *acescat, cujus rei gratia, legatio missa &c.* Vel enim, ut verba præseferunt, id intelligitur de vera consecratione, & quis nescit Summum Pontificem non posse in materia Sacramentorum dispensare, vel id accipitur, quasi dispensaverit, ut in solo pane sine vino sacrificarent, & tunc etiam credi vix potest, quia id est contra integritatem Sacrificii, quam esse de jure divino, communior, saniorque sententia tuetur. *Cui modicissima aqua misceri debet*, sunt verba allegati Concilii Florentini. *Parum aquæ* habet Rubrica Missalis. *Tertia pars aquæ* Concilium Triburiense Ann. 895. *modica aqua* Catechismus Romanus. *Duæ, vel tres guttulæ aquæ*, Concilium Coloniense. Quare præter Concilium Triburiense, quod per posteriora allegata jura correctum fuisse videtur; hæc conveniunt, quod aquæ modicum admisceri debet. Sacerdos utique errare poterit infundendo multam, numquam vero infundens modicam, & maxime quia memorata Rubrica Missalis, quæ proxima lex est, cui stare debet Sacerdos in celebratione Missæ, expresse jubet *parum aquæ* admiscendum esse; hinc, ut nonnullæ excessum præcaverent Ecclesiæ, aquam vino miscendam parvo cochleari excipere solebant, & ex eo in Calicem fundere, ut teste Card. Bona lib. 2. Liturg. Rerum cap. 9. num. 3. etiam nunc Carthusianorum præstant Ecclesiæ; & præscribit Ordo Romanus, is apud Mabillonium, Tom. 2. Musei Italici pag. 100. Hoc autem aquæ modicum omnino vino misceri debet tempore Sacrificii in ipso Calice, ut sacram cæremoniam esse, & sacram significationem habere censeatur; nullatenus vero in dolio, vel in ampulla. In sua tamen consuetudine turbandæ non sunt Religiones illæ, aut Ecclesiæ, quæ simul ac ad Altare accesserint, vinum in Calicem infundunt & aquam miscent, eo fine, ut plus temporis excurrat a commixtione ad consecrationem, quo aqua in vinum convertatur, & postea simul cum eo in Sanguinem, vi verborum consecrationis transubstantietur. Ceterum si per oblivionem, aqua suo tempore non fuerit in Calicem infusa, omnino infundi debet, licet id fieri contingeret immediate ante Calicis consecrationem, si post consecrationem Hostiæ, & elevationem adverteretur talis omissio; secus vero si advertatur aquæ omissio Calice jam consecrato, quia præceptum est de miscenda aqua vino, non Christi Sanguini, quando autem infunditur, id fieri debet in tali casu sine ulla oblatione.

XIX. Sacerdos nunc aquam benedicit, antequam infundat in calicem. Olim sacerdotes aquam non benedicebant, sed eam in modum Crucis infundebant in Calicem, unde magis vinum

tunc

tunc benedicebant, quam aquam, ut scite nos edocet Benedictus XIV. de sacrif. Missæ lib. 2. cap. 10. num. 11. ubi insimul rationem producit, ob quam non vinum, sed aquam modo sacerdotes benedicant, quia nempe vinum mystica interpretatione significat Christum, cui nulla opus est benedictio, aqua vero mystice interpretatur pro populo, qui velut aquam de lacto diabitur super terram, & immunis unquam a sorde, utique indiget benedictione; quam proterea aquæ sacerdos modo porrigit, signo Crucis super eam producto.

XX. Remanet modo videndum, cur in Defunctorum missis nulla sit super aquam facienda benedictio; aqua enim iisdem prorsus rationibus vino est commiscenda in Defunctorum missis, ac vivorum, & eamdem populi mysticam retinet significationem, quam supra diximus. Non parum variant inter se Auctores in assignando rationem, cur in mortuorum missis suspendenda sit aquæ benedictio. Aliqui, uti Gavantus, asserunt, quod non benedicitur aqua in missis de Requiem, quia Crucis signum solemnitatem connotat, qua omnino carent Defunctorum missæ, & hæc convincens non videtur, quia hac eadem ratione omnia alia Crucis signa suspendi deberent in missis de Requiem. Addunt etiam, quod sicuti in fine missæ, ratione signi Crucis connotantis solemnitatem non benedicitur populus, ita nec aqua, quæ eamdem populum mystice significat, est benedicenda, & hic pariter eadem urget responsio, quia adhuc non assignatur ratio, cur signum Crucis, etiam super alia, non sit suspendendum. Alii cum Melchiore Novell. de Cærem. Missæ, reponunt, quod aqua in Sacrificiis de Requiem restringatur ad significandum populum Purgaturii, qui cum jam jam sit in termino, & in gratia confirmato, benedictione non indiget; & hæc pariter non minus rejicienda videtur. Populus etiam Purgatorii nonne indiget suffragiis, quare ergo æque non debet censeri indigens benedictionibus, eo maxime, quia ut supra diximus, aqua benedicitur in vivorum missis, quia significat populum non immunem a sordibus. Esto autem populus Purgatoris sit in gratia, adhuc a sordibus complete detersus non est, imo ut detergatur, ibi detinetur. Placet igitur nobis assignare, pro suspensione benedictionis tum aquæ, tum populi, in missis de Requiem eamdem rationem, quam indicat Alcuinus pro suspendendo *Gloria Patri, &c.* in *introitu*, & ad *lavabo*, in missis de Requiem, quia scilicet indicia lætitiæ debent omitti in his circumstantiis, ut quantum fieri potest locus detur mœrori; uti se gerit Ecclesia passionis tempore, &c.

XXI. De Oratione *offerimus*, quam celebrans pronuntiat in oblatione Calicis, modo succedit dicere, & de hac duo quæruntur, quid nempe significent ea ejusdem verba, *Calicem salutaris*, & cur in plurali numero in oblatione Calicis dicat Sacerdos, *Offerimus*, qui dixit *Offero* in oblatione Hostiæ. Duo hæc dubia proponit idem Benedictus XIV. n. 16. Et primum ex Bellarmino diluit, dici scilicet *Calicem salutaris*, idest Christi, qui instituit, ut Calix ille offerretur, & consecraretur; & quando etiam diceretur *Calicem salutarem*; quod tunc non referenda essent ad præsentem statum calicis, sed ad eum, quo redigendus est, post consecrationem, eorum instar, quæ nos dicebamus de verbis *hanc immaculatam Hostiam*. Ad secundum reponit ex Bona, idcirco dici pluraliter *offerimus*, quia, juxta Romanum Ritum, olim in missa solemni, simul cum Sacerdote, etiam Diaconus eam orationem recitabat. Equidem nedum olim, sed etiam nunc, simul cum Celebrante Diaconus eam orationem recitat, sed cum Sacerdos, ut patebit infra, semper, vel quasi semper loquatur in plurali numero, licet non simul cum eo Diaconus item recitet, non videtur satis efficax discriminis adduci ratio, sed magis sacerdotem uti plurali numero, ea ratione, qua semper utitur, quia scilicet nomine suo, & nomine adstantis populi loquitur, qui cum Celebrante simul offert, atque sacrificat. Nec refert, quod in oblatione Hostiæ utatur singulari numero, esto hanc quoque, & pro adstantibus, & adstantium nomine æque offerat; quia etsi non verbum hoc exprimit, certe sufficienter ad populum oblationem extendit mens, & intentio proferentis; & hac ratione dicimus, quod æque bene uti potuisset numero singulari, etiam in oblatione Calicis, sicuti numero plurali in oblatione Hostiæ.

XXII. Dicta hac oratione Sacerdos facit signum Crucis cum Calice super corporale, & per id denotatur, quod sanguis, & aqua, quæ designare diximus in vino, & aqua Calicis, fluxere de Christi latere super Crucem positi. Tum Calicem in medio ita post Hostiam collocat, ut hostia media sit inter seipsum, & Calicem, quem statim palla tegit, & id non ob aliquod mysterium, sed pura cautio est, ne quid extrinsecus in Calicem decidat, ut post Micrologum observat Gavantus, part. 2. tit. 7. num. 5. lit. L. ubi & nos edocet, quod antiquiores a latere Hostiæ ita collocabant Calicem, ut lineam rectam a latere ad latus efficerent, & Hostia esset ad sinistram Sacerdotis manum, & Calix ad ipsius dextram. Quem morem in Latina Ecclesia Le Brun Tom. 1. pag. 318. perdurasse scribit usque ad annum 1485. quo cœpit modernus ritus collocandi Hostiam recta inter sacerdotem, & Calicem, crederem solius majoris gratia commodi, ob cæremonias plurimas, quæ erga Hostiam intra missam peraguntur.

XXIII. Sequitur deprecatio *in spiritu humilitatis*; quæ deprompta, & efformata videtur ex oratione trium puerorum, qui Babylone in ignem conjecti sunt, Danielis cap. 3. Mox subditur Oratio: *veni sanctificator*, & dirigitur, sicut plerique satius explicant, ad Spiritum Sanctum, ut veniat, & præparatum sacrificium benedicat, seu, ut ignis Spiritus Sancti delabatur, absumatque panem, & vinum, & in Corpus, & in Sanguinem Christi convertat, quemadmodum Christi corpus, Spiritus Sancti opera, in Virginali B. Mariæ utero formatum fuit. Sunt qui putarunt ob ea verba: *Omnipotens æterne Deus* Orationem ad Patrem dirigi; sed Spiritus Sanctus Deus est Omnipotens, & æternus item ut Pater & Filius. Postmodum Sacerdos transit ad lavandas manus, idest extremitatem digitorum pollicis, & indicis utriusque manus dicens interim Psalmum, *Lavabo inter innocentes manus meas*, qui psalmus aptissime actioni convenit, & licet in nonnullis versiculis truncus recitetur a quibusdam Ecclesiis; Missale tamen Romanum illum integrum nobis exhibet recitandum, quod congruit cum Liturgus Sancti Chrysostomi, & Sancti Basilii. Olim non tantum Celebrans, sed etiam Presbyteri Altari circumstantes manus abluebant, Diacono omnibus aquam porrigente. Hujus ritus meminit S. Cyrillus Jerosolimytanus in 5. Catechesi Mystagogica. *Vidisti*, inquit, *Diaconum aquam lavandis manibus porrigentem Sacerdoti, & illis, qui circum Altare stabant, Presbyteris.* Hunc Ritum confirmat etiam Dionysius libro de Ecclesiastica Hierarchia cap. 3. *Alterum, scilicet Diaconum, lavantibus aquam ministrasse.* In Cæremoniali Parisiensi habetur, quod in ejus Ecclesia, ante manuum lotionem, Celebrans in cornu Epistolæ debet recitare Psalmum *De profundis*, cum versu, & Oratione *Absolve* pro Episcopo, respondentibus alternatim ministris.

XXIV. Desinit Psalmus *lavabo*, ex more in *Gloria Patri*, qui versus, cum indicium sit lætitiæ, sicuti propterea omittitur in luctuosis Defunctorum missis; ita omittendum esse Rubrica mandat *tempore Passionis in missis de tempore*, quod passioni Christi recolendæ dedicatum est. Volo adnotes to *in Missis de tempore*; ut inde tuto inferas versum *Gloria Patri* silendum non esse in Sanctorum Missis, quæ Passionis tempore celebrantur. At, quid si dicantur votivæ de Cruce, vel de passione Christi? Adhuc non sunt missæ de tempore, ut comprehensæ censeri valeant in dispositione Rubricæ, adeoque versus *Gloria Patri* in iisdem erit dicendus, ut resolvit Meratus part. 2. tit. 7. num. 27., adhærens Bisso litt. P. n. 255. §. 1. per hæc verba: *in Missis votivis de Passione, vel de Cruce infra Hebdomadam Passionis, non est omittendus Psalmus Judica me Deus, neque Gloria Patri ad Introitum, & lavabo, licet hæc omnia omittantur in Missa de tempore.* Rem decisam per Decretum S. R. C. 10. Februarii 1647. fuisse refert Pater Forti, sed probe conscius illegitimitatis Decreti, statim subdit, *etsi aliqui dubitent de existentia hujus Decreti, tamen si non valet pro Decreto, valeat pro Rubrica, & communi Doctorum sententia.* Nos itaque id magis confirmare volumus per sequens Decretum.

DECRETUM VI.

Missa B. Virginis sub invocatione septem Dolorum, feria VI. infra Hebdomadam Passionis ab iis, qui gaudent hujusmodi Indulto, debet recitari cum Gloria Patri ad Introitum, & cum Psalmo Judica me ad Confessionem, sed sine Gloria in Excelsis. S. R. C. 31. Aug. 1660. In Tornacen. Hæc enim decisio quadrat admodum casui missarum votivarum de Cruce, & Passione Domini, cui fere consimilis indicabatur missa de septem Doloribus, licet occurrens foret, non votiva, quia ultimate erat de Passione Domini, & per consequens illis in missis tacendus quidem erit hymnus *Gloria in Excelsis*; non tamen versus *Gloria Patri* ad Introitum, neque ad *Lavabo*, de quo utique eadem procedit ratio, quidquid postea modo sit de missa septem Dolorum, cui tamquam de festo occurrenti, rite concessus exstitit hymnus *Gloria in Excelsis*, qui prædictis missis, utpote votivis, nullatenus competere potest.

XXV. Divus Thomas part. 3. quæst. 83. artic. 5. ad primum lotionis Manuum binas affert rationes. *Primo quidem* (sunt ejusdem Sancti Doctoris verba) *quia aliqua pretiosa tractare non consuescimus, nisi manibus ablutis, unde indecens videtur, quod ad tantum Sacramentum aliquis accedat manibus etiam corporaliter inquinatis. Secundo propter significationem, quia ut Dionysius dicit in Cathe. Mystag. 5. extremitatum ablutio significat emendationem, etiam a minimis peccatis secundum illud Joannis cap. 13. Qui lotus est, non indiget, nisi, ut pedes lavet, & talis emundatio requiritur ab eo, qui accedit ad hoc Sacramentum.* Titelmannus autem Exposit. Myst. Miss. cap. 34. objectionem quamdam prævenit, & his verbis præfocat: *manus abluit, quamquam alioqui in principio ante Altaris accessum mundatum se fuisse optime sciat, ut si forte interim ullam undecumque maculam contraxisset, abluatur hac ablutione, priusquam ad sacrosancta in manibus tenenda mysteria accedat.*

XXVI. Post aquæ lotionem ante sæculum octavum in Ecclesia Turonensi priusquam diceretur secreta, oratio hæc dicebatur a Celebrante: *Ante conspectum divinæ majestatis tuæ, Domine Jesu Christe, reus adsisto, qui invocare nomen Sanctum tuum præsumo. Miserere Domine Homini peccatori: Ignosce indigno Sacerdoti, per cujus manus hæc oblatio videtur offerri. Parce peccatorum labe præ ceteris capitalium polluto: & ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens; scilicet vitiis, & voluptatibus carnis aggravatus sum, Recordare Domine, quia caro sum. In tuo conspectu, etiam cæli non sunt mundi quanto magis ego terrenus, & immundus tamquam pannus menstruatæ. Indignus sum Domine Jesu Christe, ut sim vivens; sed tu, qui non vis mortem peccatoris, da mihi veniam in carne constituto, ut per pœnitentiæ labores, vita æterna perfrui merear in Cælis, Salvator Mundi, qui vivis, &c.* Colligitur ex uno manuscripto Missalis ejusdem

Ec-

Ecclesiæ Turonensis; & alio annorum circiter trecentorum adnotatur sic: *Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, &c. In Spiritu humilitatis* &c. *Domine Deus Pater omnipotens benedic, & Sanctifica hoc Sacrificium laudis, quod tibi oblatum est ad gloriam, & honorem Nominis tui, & parce peccatis populi tui, & aufer a me iniquitates meas, & exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. Per Christum Dominum, &c.*

XXVII. In Ecclesia vero Narbonensi post manuum ablutionem dicebatur hæc alia Oratio: en Orationum varietatem, quæ pro Ecclesiarum diversitate, ut supra dicebamus, in Missis recitabantur: dicebatur inquam, oratio sequens, *In Spiritu humilitatis &c.* deinde Signum Crucis super Hostiam & Calicem efformando hæc dicebat Celebrans, *descendat, Domine, cælestis gratia bene ✠ dictionis, & consecrationis super hoc Altare, & munus tibi oblatum.* In uno supradictæ Ecclesiæ Missali, quæ ita exprimitur in Lemovicensi. *In nomine Sanctæ Trinitatis, & individuæ unitatis, descendat hic Angelus benedictionis ✠, & consecrationis, & pacis super hoc munus*, His peractis Celebrans propriæ non immemor indigentiæ, conversus ad populum rogari Dominum pro se orabat dicens: *Orate fratres pro me, ut meum pariter, ac vestrum Sacrificium acceptum sit Deo.* Cui respondebat populus: *Sit Dominus in corde tuo, & ore tuo, suscipiat sibi Sacrificium placabile de ore tuo, & manibus tuis, pro nostra, omniumque salute.* Sic in Lemovicensi. In Narbonensi vero Celebrans populum, ut pro se oret, postulat sub hac formalitate: *Obsecro vos fratres, ut oretis pro statu Sanctæ Dei Ecclesiæ, & pro me misero peccatore, ut omnipotens, & misericors Deus placide, & benigne Sacrificium nostrum humiliter dignetur suscipere, Amen*, In Ecclesia Bellovacensi breviori adhuc exhortatione postulat Celebrans populum orare pro se sic: *Orate pro me fratres, & ego pro vobis, ut meum, ac vestrum Sacrificium in conspectu Domini sit acceptum.* Cui respondebatur: *Spiritus Sanctus superveniat in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Apud Carthusienses ad verba Celebrantis dicentis: *Orate Fratres*, nihil prorsus respondetur; & hæc dicta sint eruditionis gratia; unde ad nos redeuntes: Celebrans post manuum lotionem cum recitatione totius Psalmi *Lavabo.*

XXVIII. Panem, & vinum, quæ separatim cum sua peculiari oratione obtulerat, deinde conjunctim offerre pergit per Orationem: *Suscipe Sancta Trinitas &c.* Et Ritus hujusmodi offerendi primo separatim panem, & vinum, ac deinde utrumque simul omnino convenit cum Ritu Ambrosiano. Quidam autumant, quam nunc Sacerdos offerendo panem recitat Orationem *Suscipe Sancte Pater*, hanc olim non Sacerdotem ipsum, sed populum recitare consuevisse, cum Sacerdoti panem offerebat consecrandum: Postquam autem mos ille offerendi panem pro consecratione a populo exolevit, Sacerdotem subinde cœpisse memoratam Orationem dicere nomine populi. Vide Benedictum XIV. loco citato num. 4.

XXIX. Absoluta Oratione: *Suscipe Sancta Trinitas*, Celebrans ad populum conversus dicit: *Orate Fratres*, quam Orationem ex Rodulpho prop. 23. Gavantus part. 2. tit. 7. nu. 7. litt. Y. Sancto Leoni primo tribuit, & consentit Meratus ibidem num. 31. Si sermo sit de eadem prece quoad verba, quibus constat: Addit vero eam, quoad substantiam, & sensum, Apostolicæ traditionis esse, & reperiri in Liturgiis Sanctorum Marci, & Jacobi. Deinde Sacerdos transiens ad Orationes *Secretas* dictas, quia secreto, & sub silentio dicuntur, earum tot recitat, quot ante Epistolam clara voce dictæ fuerunt, & quidem eodem omnino Ordine, & ritu, ita ut primam, & ultimam tantum cum sua conclusione terminet. Primam si plures dicendæ sunt cum integra conclusione sub secreta, si vero ea solummodo dicatur, conclusio dicitur secreto usque ad *Per omnia sæcula sæculorum* exclusive, *& per omnia sæcula sæculorum* elata voce pronunciat, ut magis dicetur infra. Quoties vero dicuntur plures Orationes, prima integre sub secreto concluditur, & ultima secreto dumtaxat dicitur usque ad *Per omnia sæcula sæculorum*, ut supra, &c. quia concludendo secretas initiat Præfationem, quæ clara, ac intelligibili voce est recitanda. Bellarminus Tom. 2. lib. 6. de Missa advertit, quod ro *Per omnia sæcula sæculorum* ideo voce elata etiam dicitur, ut populus respondeat Amen, & sic confirmet Orationes omnes a Sacerdote sub silentio, & secreto recitatas.

XXX. Scitu dignum est, quod orationibus hisce secretis de mandato Rubricæ non præmittitur neque solita salutatio *Dominus vobiscum*, neque invitatio ad orandum, scilicet *Oremus*. Et se dignam Gavantus part. 1. tit. 12. nu. 1. litt. T. rationem assignat, quia nempe jam Sacerdos ante offertorium dixit *Dominus vobiscum*, & *Oremus*: hæc enim salutatio, & invitatio ordinata erat antiquitus ad Orationem secretam; uti enim observabamus supra, Romana Ecclesia ab offertorio usque ad secretas nullam orationem habebat. Reliquia hæc itaque quædam est antiqui moris. In veteri Missali Ecclesiæ Narbonensis secretis hæc additur Oratio super oblata, antequam Præfationem incipiat; *Descendat, quæsumus Domine, Spiritus Sanctus tuus super hoc Altare, quo hæc munera tuæ Majestati oblata bene ✠ dicendo benedicat ✠; & Sancti ✠ ficando sanctificet, & sumentium corda dignanter emundet.*

R I T U A L I A.

XXXI. Juxta Rubricas Missalis præscribitur, quod Celebrans, elevata Patena cum Hostia, recitare debet, ut diximus, Orationem illam: *Suscipe sancte Pater* &c. & si aliæ sint Hostiæ parvæ consecrandæ pro communicandis adstantibus, ad primum Offertorium non super Patenam poni debent, sed super Corporale, & si multæ sint ponuntur in Pixide, quæ super Corporale locanda est proxime post Calicem, aperienda postea ab ipso Celebrante, cum intentione offerendi etiam particulas, quæ in ipsa continentur, eadem actione, ac Oratione, qua Hostiam ipsam super Patenam offert; ipsæ enim parvæ Hostiæ in tali casu sunt & ipsæ vera Sacrificii materia, ideoque formaliter offerenda. Ex his infertur, necessarium non esse etiam parvas illas Hostias elevare, ut offerantur: elevatio etenim non ad formalem, sed ad materialem oblationem pertinet; satis itaque est, quod Celebrans habeat intentionem eas simul cum Hostia, quam elevat cum Patena, offerendi, & suo tempore simul quoque consecrandi, quia vis tota, sive oblationis, sive Consecrationis, in Celebrantis ipsius intentione præcipue consistit. Hinc dato casu, quod Pixidem sibi allatam Particularum plenam ante oblationem, & Consecrationem aperire omittat, habuerit tamen antea intentionem eas offerendi simul, & consecrandi, neque intentionem revocaverit, esto Oblationis Hostiæ tempore, ac consecrationis nihil actu de parvis Hostiis, seu particulis in Pixide contentis cogitaverit, illicite quidem, quia contra Rubricæ præceptum Pixidem non detexit, sed valide adhuc eas etiam obtulisse, & consecrasse Doctores communiter existimant, quia supponitur, quod intentio virtualiter perseveret, & cum materia sit moraliter præsens, non est, cur Sacramentum valide non conficiatur; ad habendam enim materiæ consecrandæ moralem præsentiam sufficienter ad validam Sacramenti confectionem non opus est, ut tota materia conspicua sit, ac videatur, ut constat; nam adhuc detecta Pixide, non omnes particulæ in ea contentæ a Consecrante inspiciuntur singulatim; & tamen nemo est, qui neget omnes vi verborum consecrationis valide, imo licite consecrari, ut advertit Gonet Theolog. Moral. Tom. 3. casu 6. super Sacrific. Missæ.

XXXII. An Celebrans licite consecrare possit sibi allatas parvas Hostias, Præfatione jam incepta, seu materiæ consecrandæ oblatione jam peracta, hic solet inquiri; circa quam difficultatem, aliqui Auctores affirmant, posse licite particulas consecrari, etiamsi allatæ fuerint post primam oblationem, si mentaliter earum quoque fiat oblatio; alii affirmant, etiamsi fuerint allatæ ante Præfationem inceptam: Quidam denique affirmant, posse licite consecrari particulas, dummodo immediate ante consecrationem exhibeantur. Tutior tamen, communiorque sententia est afferentium posse licite particulas consecrari, si ante Canonem exhibeantur, prævia semper earum mentali oblatione, si perveniant jam prima expleta, & legitima adsit causa. Cum enim missæ ordo postulet, ut particulæ consecrandæ pro communicandis adstantibus offerantur simul ac Hostia ipsa offertur; nemo est, qui non intuatur, missæ ordinem non servari, si particulæ accipiantur prima expleta oblatione, quod fieri certe non debet absque legitima causa movente, qualis ea esset, V. G. si magna populi multitudo adesset ad Eucharistiam sumendam jam jam parata, absque Sacramento in Pixide. Incepto autem Canone nullo prorsus modo accipi debent particulæ consecrandæ, etiam si ageretur de consecranda particula pro deferendo Viatico ad Infirmum; nam eo casu docent Doctores communiter, quod potius parva pars detrahi deberet e Missæ Hostia consecrata ut servaretur pro infirmi communione. Quod si tot essent infirmi communicandi, ut pro omnibus parva Hostiæ consecratæ pro Missa reservari non posset pars, in hoc casu urgente necessitate, quæ legi non subjacet, etiam Canone incepto, imo adhuc immediate ante consecrationem Hostiæ, assumi licite possunt particulæ consecrandæ, facta semper prius, ut supra, mentali earum oblatione.

D E C R E T U M VII.

XXXIII. *Cruces, quæ fiunt a Sacerdote super oblata, non sunt faciendæ manu transversa, sed manu recta in transversa parte Crucis. S. R. C. 4. Augusti 1663. in una Dalmatiarum.* Dicto Symbolo, vel si non est dicendum, dicto, osculatoque Evangelio, Sacerdos extensis manibus super Altare, extra Corporale, osculatur ipsum Altare in medio, & postea erigens se, & manibus junctis ante pectus, vertit se ad populum ex parte epistolæ, & ita versus populum stans in medio, demissis oculis, extendens, & jungens manus, clara voce dicit, *Dominus vobiscum*, respondente Ministro, *& cum spiritu tuo*, & mox junctis iterum de more manibus, per eamdem viam constituit se contra Altare in medio; extendens, & elevans usque ad humeros, ac iterum jungens manus, caputque Cruci inclinans, inclinatione minimarum maxima, dicit *Oremus* solita clara voce, non submissa, postea junctis manibus ante pectus, non vero expansis, ut nonnulli faciunt, legit Offertorium, legit, inquam, etiamsi memoriter sciret; dixi junctis manibus ante pectus, quia sic expresse præscribit Rubrica, & contra hanc se gerunt, qui aliter usitant.

XXXIV. Dicto Offertorio Sacerdos Calicem ambabus manibus discooperit, accipiens velum, & illud declinans a parte posteriori Calicis, quod statim e corporali extractum, vel illud ipse plicat, ut sentiunt Franciscus Maggius, aliique plures ex Rubricistis, vel Ministro plicandum porrigit, sicut communior cum Gavanto sententia docet. Uter ex his modis probatior sit in executione, definiat Ministri qualitas, ita ut si Minister sit Clericus, aut alia persona idonea, ab eo plicari debeat; si puer sit Minister, aut alius functionis hujus minus capax, ab ipso Celebrante plicari debeat. A quocumque autem plicetur Velum, plicatum illud ponendum semper est prope Ta-

bellam secretarum, ex parte Epistolæ, omnino tamen extra Corporale, super quod solummodo poni potest, quod Corpus, & Sanguinem Christi tangere, aut tegere solet. Mox Minister juxta Gavantum, super Altare in cornu Epistolæ explicat manutergium, & desuper collocat Pelviculam cum urceolis. Sacerdos vero posita sinistra manu super Altare, extra corporale, manu dextra accipit Calicem, quem extra Corporale collocat versus cornu Epistolæ, subinde eadem manu dextra, stans adhuc in medio Altaris, amovet parvam Pallam e Calice, quæ cooperiebat Hostiam super Patenam; & hanc, seu parvam Pallam deponit super corporale, versus cornu Epistolæ, ut commodius, & facilius eam resumere valeat, quando Calicem debet tegere. Amota Palla, Sacerdos sola manu dextra, inter pollicem, & indicem, & subtus medium digitum, accipit Patenam cum Hostia, cui occurrente sinistra manu, dum est prope medium Altaris, eam ambabus manibus tenet, idest iisdem tribus digitis, etiam sinistræ manus, elevatam super medium corporalis, ad altitudinem pectoris, & postea non elevando caput, sed solos attollendo oculos ad Crucifixum, ac statim ipsos in Hostiam defigendo submissa, & secreta voce dicit: *Suscipe Sancte Pater*. Hac oratione absoluta Sacerdos utique manu tenens Patenam cum Hostia facit cum ea Crucem mediocrem super Corporale, non per quatuor puncta, ut nonnulli abusive usitant, sed per lineas ✠ æquales, & advertat in facienda hujusmodi cruce, (quæ non debet excedere longitudinem unius palmi) ne Patena tangat corporale: qua facta Cruce, deponit Hostiam, quasi in medio ipsius corporalis, prope Crucem Aræ consecratæ distantem, quasi per palmum, ab ora Altaris, ut commodius Sacerdos osculari possit Altare, quando opus erit; deinde ponit Patenam a parte Epistolæ super Altare, aliquantulum subtus corporale, adeoque non usque ad medietatem.

XXXV. Præmissa Cruci inclinatione minimarum maxima, accedit Sacerdos versus cornu Epistolæ, accapit Calicem sinistra per nodum, & dextra Purificatorio abstergit interiorem ejusdem Calicis partem. Sunt qui post exterium Calicem, statim conperiunt Purificatorio Patenam, seu reliquum, quod non est subtus corporale, sed satius agunt illi, qui illud adhuc tenent contra guttas, de quibus statim. Exterio itaque Calice, sinistra manu, qua tenet Calicem, ita sumit, & tenet Purificatorium, ut deflua hujus pars pedem Calicis communiat, contra casuras forte ex ampullis guttas, aut idem Purificatorium collocat super pedem Calicis versus Pelviculam ampullarum, & sic expeditius, & commodius consuletur defluentium guttarum incommodo, quem ad effectum item Calicem bene admovebit ad eamdem Pelviculam. Sinistra igitur manu tenens, ut supra, Calicem, non elevatum, sed super Altare positum, manu dextra accipit Ampullam vini de manu Ministri porrigentis, & ponit vinum in Calicem, in ea quantitate, quæ exhauriri potest unico haustu, vel contineri in ordinario cochleari, unde Calicis fundus conperiatur. Ne autem guttulæ circumquaque resiliant, non infundetur vinum directe in fundum Calicis, sed magis in latus interius ejusdem, aliquantulum inclinati versus lancem: mox reddit Ampullam Ministro, & tenens sinistra eodem modo Calicem, producit dextra signum Crucis super Ampullam aquæ dicens eodem tempore, & non prius: *Deus qui Humanæ Substantiæ &c.* & accipiens de Ministri manu Ampullam aquæ infundit parum in Calicem dicens; *da nobis per hujus aquæ, & vini mysterium*, & ad verba *Jesus Christus* caput inclinat versus Crucem, inclinatione minimarum maxima. Sunt & non pauci, qui peracta vini, & aquæ infusione in Calicem, Calicem denuo Purificatorio abstergunt si non contra, certe præter Rubricas, quæ abstersionem hanc non demandant, neque explicite, neque implicite; tu ergo cave ab hac abstersione, quæ adhibenda non est, nisi in casu, quo post infusionem, interior Calicis pars notabiliter deturpata dignosceretur.

XXXVI. Minister autem non ascendit super pradellam, sed ad latus Altaris consistens, facta inclinatione Sacerdoti, cum osculo, vel quasi osculo Ampullæ, non manus Sacerdotis, huic primam Ampullam vini, manu dextera apprehensam, administrabit, & manu sinistra accipiet, ut præsto esse valeat, ad ministrandum, manu dextera Ampullam aquæ, quam item porrigit, & recipit cum osculo, vel quasi osculo; etsi namque Rubricæ dispositio sistat in præscribendo osculo Ampullæ vini; Doctores tamen id communiter extendunt etiam ad Ampullam aquæ. Quoniam tamen Rubrica nihil habet de restituendis Ampullis manui Ministri, idcirco in eam haud peccant ii Sacerdotes, qui Ampullas immediate super Lanceam collocant; dummodo abstineant ab iisdem collocandis super Tobaleam, aut manutergium, ne inde Tobalea deturpetur. Quod si post vini, & aquæ infusionem, guttæ aliquæ dispersæ appareant inter Calicem, circumacto, ut ait Gavantus, vino Calicis uniantur, non vero, ut diximus supra, Purificatorio abstergantur. His peractis manu sinistra Sacerdos deponit Purificatorium omnino extensum super eam Patenæ partem, quæ stat extra corporale, eam cooperiendo, & quatenus Purificatorium sit ita latum, ut sit plicandum, extremitates dicti Purificatorii perspiciant Altare, non vero Celebrantem. Posito Purificatorio super Patenam, Sacerdos relinquit Calicem in cornu Epistolæ, & accedit ad medium Altaris; si autem adsit multum distantiæ a medio Altaris ad cornu Epistolæ, ne cogatur Sacerdos nimis, & ineleganter distendere brachium dextrum pro accipiendo Calice, tunc antequam discedat a cornu Epistolæ, manu sinistra in nodo deprehendens Calicem, deponit quidem illum in eodem cornu Epistolæ, sed prope corporale, postmodum junctis de more manibus ante pectus, accedit ad medium Altaris, & ibi facta Cruci reverentia, mox sinistra manu super Altare posita, trans in medio Altaris, dextra accipit Calicem per nodum, cui occurrens dum est prope medium Altaris, sinistra manu, cum eadem manu illum accipit, & tenet per pedem, & non solis digitorum extremitatibus. Illum autem elevatum tenet, ut Calicis cuppa non excedat oculos, nec sit infra mentum celebrantis, ideoque pes Calicis elevetur ante ejusdem celebrantis pectus.

XXXVII. Sacerdos elevatum, ut supra, tenens Calicem illum offert dicens: *Offerimus tibi Domine*, intentis tamen in Deum oculis, nimirum ad Crucifixi imaginem per totam dictam orationem. Sed quoniam melius semper est, atque securius orationes in Missa legere, quam memoriter recitare, sufficiet elevare oculos in principio Orationis, & statim iisdem demissis, ex Tabella legere Orationem prædictam, qua finita, pes Calicis ab eo detinetur elevatus a corporali, ad altitudinem trium circiter digitorum, & facit cum eo signum Crucis super corporale, instar Crucis signi, quod cum Patena, superius efformandum super corporale esse diximus, hoc tamen discrimine, quod modo Crucis signum incipit ab extremitate posteriori corporalis, usque ad medium corporalis circiter, & id ne Crucis signum efformetur super Hostiam, quod est animadvertendum. Postea Calicem in medio corporalis post Hostiam collocat ambabus manibus. Sufficit per spatium unius circiter Hostiæ, neque necesse est collocetur distans ab Hostia per spatium unius circiter palmi, ut nonnulli autumant. Verum in hac re quid certi statui non potest, sed decisio magis pendet ex majori, vel minori longitudine, aut brevitate aræ, & corporalis; quare Regula videtur esse, quod Hostia sita esse debeat in medietate spatii, inter Altaris oram, & Calicem. Tum ad cautelam magis, ut advertit Gavantus, quam ad mysterium aliquod repræsentandum, Palla sacerdos tegit Calicem. In modo autem, quo debeat tegere, non conveniunt Auctores. Quorum aliqui sentiunt, quod sacerdos sinistra manu tenens pedem, aut nodum Calicis, ne forte in Calicem impingens eum nolens invertat, manu dextra assumat Pallam, & cum ea conperiat Calicem, & id semper a Sacerdote observari debere dicunt, sive Calicem cooperiat, sive detegat, seu discooperiat, præsertim post Consecrationem ad præcavendum periculum versandi sanguinem. Putant vero alii, quod sinistra posita super Altare, extra Corporale, manu dextra assumere debeat Pallam, & cum ea conperire Calicem, addentes, quod prædictum periculum, absque eo quod Sacerdos sinistra teneat Calicem, facile evitari potest, si a propera festinatione se abstineat. Nos hanc damus regulam, ut Seniores, & qui paralisi laborant, satius sit primam amplectentur opinionem, secundam vero alii, qui prædicto non laborant morbo. Omnes autem dum Calicem detegunt, manu super Calicem parumper Pallam elevent, ne pallæ complicatura in oram Calicis fortasse impingens, eumdem invertat Calicem.

XXXVIII. Cooperto Calice junctis de more manibus, & super Altare positis, tali forma, ut minores duo digiti tangant anteriorem Altaris partem, aliis super se ipsis naturaliter junctis, aliquantulum, hoc est mediocriter inclinatus, submissa, & secreta voce dicit Orationem *In spiritu humilitatis*; postea erectus elevans oculos ad Crucifixi Imaginem, & illos statim demittens, & eodem tempore, quo elevat oculos, etiam expandens, & elevans usque ad humeros, & jungens statim manus ante pectus, voce item secreta dicit: *Veni sanctificator &c.* An ad vocem *Deus* caput inclinandum sit, non conveniunt Scriptores, & licet post Polaccum affirmet a Portu, reverentia tamen fieri reservanda est ad prædictæ Orationis finem, quando post benedictionem oblatorum, a medio Altaris discessurus est, ut accedat ad cornu Epistolæ pro lavandis manibus. Quando autem præfatam Orationem recitat, ad verbum *& benedic* posita manu sinistra extensa super Altare, extra Corporale, format manu dextra signum Crucis super Calicem, & Hostiam. Quod Crucis signum non debet fieri per quatuor puncta, sed per duplicem lineam, alteram scilicet rectam, alteram transversam: & cum juxta Rubricam commune esse debeat Calici, & Hostiæ: *signat manu dextra communiter super Hostiam, & Calicem*, idcirco utraque linea æqualiter alta fieri debet a Calice ad Hostiam versus pectus, non deprimendo manum super Hostiam. Quoniam vero utraque ex his lineis non debet excedere palmum communis manus, ut docet Gavantus part. 2. tit. 7. litt. P. prima linea recta inchoabitur a medio Pallæ, & æqualiter alta ducetur usque super Hostiam, versus pectus, secunda vero linea transversa ducitur prope oram anteriorem Pallæ, quæ media esse solet inter Calicem, & Hostiam.

XXXIX. Num transversa Crucis pars fieri quoque debeat manu tranversa, seu plicata, hoc est inflexa in brachii juncturis, aut magis recta, modo insurgit dubium, in quo Gavantus loco citato, atque Pollacus in aphorismis Cærem. pugnant pro transversa manu; ait autem ille, quod si fieret linea transversa, manu in rectum extensa, videremur velle abigere a Calice muscas; hic vero subjungit, quod non formaretur linea transversa super diametrum lineæ rectæ, sicuti opus est, sed formaretur lata quædam superficies, quæ priorem lineam seu fere totam ejus longitudinem occuparet, & deleret, sicque destrueretur Crucis figura; debemus enim, inquit ipse, imaginari lineas prædictas formari acumine ipsius manus, & imprimi in aere, ac si acumen totius manus colore aliquo imbutum esset.

esset. In oppositum sentiunt Castaldus lib. 2. sec. 7. cap. 3. Quarti part. 2. tit. 3. sect. 1. dub. 1., aliique plurimi, quorum opinio cum per præsens Decretum nunc manifeste confirmata maneat, non amplius modo dubium esse potest, quin prædicta transversalis Crucis pars per manum in rectum extensam efformari debeat. Ad rem digna, quæ advertantur, profecto sunt ea verba Rubricæ tit. 3. num. 5. *Si rem aliquam benedicit, parvum digitum vertit ei, cui benedicit, & benedicendo totam manum dexteram extendit omnibus illius digitis pariter junctis, & extensis.* Si itaque benedictio, quæ fit medio signo Crucis, debet fieri manu extensa, ejusque digitis pariter extensis, quis umquam somniare valeat, quod transversa Crucis pars efformari debeat manu transversa, atque plicata? Quæ ut magis pateant, volo serio ponderes, quod Rubrica mandat, quod qui benedicit, seu super rem aliquam efformat signum Crucis, *parvum digitum vertat rei, cui benedicit*, ut hinc edisceas, quod lineæ Crucis formantur extremitate minoris digiti, non acumine, seu longitudine totius manus, quare ultima extremitas parvi digiti est quasi punctum, quod veluti signum exarat, ex quo fit, quod primam lineam non delemus, ut contendit Pollaccus. Gavanti vero argumentum puerile nuncupat Quarti, qui advertit, pluries nos simili gestu debere uti in Missa movendo dexteram extensam, ut cum benedicimus Populo, cum elevamus, & extendimus manus prius junctas.

XL. Ad ministrum quod attinet, statim ac, ut supra, recipit ampullam aquæ, illam collocat super pelviculam, & cum quasi osculo accepta sola Ampulla vini, hanc ad credentiam reportat, vel in loco decenti reponit, certe eam nullatenus collocat super Altare, vel ejus gradus. An possit elevari manutergium, super Altare extensum, ut a Celebrante facilius capi possit ad manus tergendas, discrepant Doctores inter se; Gavantus enim affirmativam tuetur sententiam, quam sequitur a Portu, qui in ejusmodi ritu indecentiam nullam agnoscit; Castaldus vero negativam sustinet, qui propterea vult, quod minister Ampullas aquæ, & vini reportet ad credentiam, ubi eas reponit, ac ampullam vini cooperit suo operculo, mox pro manuum lotione adaptet mappulam super brachium sinistrum, & accipiens Pelviculam manu sinistra dextra teneat Ampullam aquæ, & sic manibus elevatis, iterum accedat ad cornu Epistolæ, & super gradus, si plures fuerint, sin minus, ante pradellam aquam ad manuum lotionem præparatam tenens, ibi Sacerdotem expectat. Contendit autem Auctor iste, quod minister, etiam quando primum portat ampullas ad Altare, non debeat super Altare manutergium extendere, neque super illud ampullas cum pelvicula ponere, sed magis per se ipsum eas Sacerdoti immediate ministrare. Uterque modus in integrum servari quidem potest, sed quoad primam Ampullarum delationem nobis arridet magis ritus Gavanti, quem propterea suo loco jam descripsimus. Undequaque enim commodior est; & certe per manutergium super Altare extensum magis aptus ad tuendam tobaleam a maculis guttarum defluentium ab Ampullis. Quoad lotionem vero manuum, hanc nos consuleremus regulam, videlicet, quod minister, reportata, ut supra, Ampulla vini ad credentiam, aut in loco decenti posita, manu sinistra apprehendat Pelviculam cum Ampulla aquæ, mox manu dextra manutergium super Altari, non quidem elevet, sed ab Altari amoveat, & super sinistrum brachium reponat, ut deinde manu dextera apprehendens Ampullam aquæ, ad gradus Altaris, ut supra, vel ante Pradellam, Sacerdotem expectet.

XLI. Absoluta prædicta Oratione *Veni Sanctificator* junctis de more manibus ante pectus, Sacerdos facit Cruci solitam inclinationem minimarum maximam, & accedit ad Cornu Epistolæ, ubi stans ministro aquam fundente *lavat manus*, & cum Rubrica se statim explicet, idest *extremitates digitorum pollicis, & Indicis*, nostrum esse non potest totas lavare manus, quarum lotio præmitti debet ingressui ad Altare, neque os, aut labia, ut nonnulli perperam usitant. Lavantur autem prædictæ extremitates duorum digitorum utriusque manus, quia cum his sæpe tangere debet Sacrosanctam Hostiam, seu magis purissimum, ac sacratissimum Christi Corpus. Dum Sacerdos lavat manus, id super Altare non faciat, sed conversus ad ministrum, qui præmissa inclinatione eidem Celebranti, Ampullam aquæ quasi osculans in primis infundit parum aquæ in Pelvim, ut promptior deinde sit, quæ statim pro lotione manuum Sacerdotis infundi debet, & ut hæc super præexistentem aquam incidens minus resiliat; deinde super digitos Celebrantis iterum infundit parum aquæ, donec Sacerdos signum det desinendi. Infundat autem semper super eamdem Pelviculæ partem ad effectum, ut sic minus resiliat, & commaculet Altaris, ac Sacerdotis paramenta, quam ob causam minister idem Pelviculam quasi ad cinguli altitudinem etiam elevare debet, ampullamque super Pelvim attollere, dumtaxat ad octo circiter digitorum mensuram.

XLII. Lotis manibus eas Sacerdos abstergit, non quidem Purificatorio, sed manutergio, quod Sacerdos sumit juxta sententiarum varietatem, de quibus supra, vel e brachio scillicet ministri, vel ex Altari, ubi est collocatum: dum autem tergit manus Sacerdos, id præstat versus partem Altaris, in eodem cornu Epistolæ, & ipsis abstersis reddit manutergium ministro, qui se inclinans ei, descendit, plicat manutergium, & omnia ad Credentiam reportat, aquam immittit in Sacrarium, aut in Vasculum ad id præparatum, vel in necessitatis casu, eamdem spargit in diversas pavimenti partes: tum suo loco Pelviculam cum Ampullis aquæ, & vini, suo operculo coopertis collocat, & sumpta campanula, redit ad anteriorem infimum gradum Altaris, in cornu Epistolæ, ubi manet genuflexus. Quod si Sacerdos manutergium ex Altari sumat, & in Altari relinquat, ut nonnulli, non adeo recte præstant, tunc Minister Pelviculam reportabit ad credentiam, & postea redibit ad Altare ad prædictum manutergium plicandum.

XLIII. Sacerdos dum lavat manus recitat Psalmum: *Lavabo inter innocentes*, ita autem lente, ut totus Psalmus terminatus sit cum manuum abstersione, & in fine prædicti Psalmi dicit *Gloriu Putri*, præter quam in Missis Defunctorum, & in Missis de tempore in hebdomadibus passionis. An *Gloria Patri* a Sacerdote dici possit dum est in via, redeundo a cornu Epistolæ ad medium Altaris, affirmat Gavantus part. 2. tit. 7. Rub. 6. litt. T, sed cum inclinatio capitis, quæ ad verbum, seu ad versum *Gloria Patri* a Sacerdote exhiberi debet versus Crucem, fieri debeat sine motu locali personæ, ut docet Bordonus Cons. Reg. Tom. 2. Res. 64. num. 9. idcirco hac in parte Gavantus ab Auctoribus communiter deseritur. Subintrat quæstio, num recitari saltem possit in medio Altaris, qua in re licet partem affirmativam teneant Tonellius, Rub. 6. num. 3. Bauldryus, & alii; adhuc pars negativa est præferenda, quia ultra Auctores plurimos, validum in Rubrica ipsa fundamentum tenet, si enim expendantur ejusdem verba, quæ Sacerdoti, dum lavat manus, præscribunt præfatum Psalmum dicere, cum *Gloria Putri*; & postea subdunt, *quod manibus ante pectus junctis revertitur ad medium Altaris*; fallor profecto, si tu ipse mecum non sentias *Gloria Patri*, versum, qui pars est ejusdem Psalmi, dicendum quoque esse in cornu Epistolæ dum tergit manus, cum inclinatione versus Crucem, prius quam junctis manibus ante pectus, ad Altaris medium accedat, & ibi peragat, quæ præstanda sunt de ejusdem Rubricæ mandato.

XLIV. Mox manibus ante pectus de more junctis Sacerdos redit ad Altaris medium, ad quod ubi pervenit, an consuetam teneatur facere inclinationem Cruci, affirmant Lohner part. 6. tit. 7. num. 7.; & inconsonanter admodum ad dicta alibi, etiam Tonellius, Rub. 7. num 1. Verum eum idem Tonellius, Lib. 3. cap. 1. §. 4. num. 2. generalem firmaverit Regulam, ut in accessu, & in recessu a Cruce, sit quidem facienda inclinatio, sed exceptionem hanc apposuerit, *nisi paulo ante recessum, vel paulo post accessum a Rubrica præscribatur*: cum prædicta Capitis inclinatio statim fieri debeat in dicenda Oratione: *Suscipe Sancta Trinitas &c.* Nos adhærere maluimus Merato part. 2. tit. 7. num. 28. & a Portu, Rub. 7. num. 3. ubi a præfata inclinatione temperandum esse tenent. Et quidem si Tonellius suam generalem, quæ communiter probatur, amplificat regulam, *ut, quando dicturus est aliquid, in cujus principio caput inclinari debet, ut cum post evangelium dicitur* credo; *non statim caput inclinat dum dicit* Deum: potiori itaque jure in nostro item casu procedit.

XLV. Stans itaque erectus in Altaris medio, oculosque ad Deum elevans, hoc est ad Crucifixi Imaginem, & statim demittens, absque manuum gesticulatione, tum in elevatione, tum in demissione, manibus junctis super Altare positis, aliquantulum inclinatus, scilicet inclinatione mediocri, voce secreta dicit Orationem: *Suscipe Sancta Trinitas*, quam dum recitat, ad vocem *Jesus*, & *Mariæ* caput haudquaquam inclinat, quia jam sufficienter se gerit in actuali reverentia; finita oratione, manibus hinc inde extensis, & super Altare, extra corporale positis, osculatur Altare in medio, & inde junctis de more manibus ante pectus, & ad terram demissis oculis, a sinistra manu ad dextram vertit se ad populum dicens *Orate Fratres*. Conveniunt Auctores, quod Sacerdos aliquam morulam facere debeat versus populum, nec se tam cito vertere ad Altare, sicuti facit ad *Dominus vobiscum*. Nec desunt illorum aliqui, qui eumdem versus populum, secreta voce prosequi faciant, *ut meum, & vestrum sacrificium*, usque in finem. Utique tamen perperam, & contra Rubricam, quæ per hæc verba, *& secreto proferens, ut meum, ac vestrum sacrificium, perficit circulum, revertens ad medium Altaris* expresse mandat, quod to *ut meum, ac vestrum sacrificium*, dicatur a Sacerdote in ejusdem reditu ad Altare, seu Altaris medium. Post brevem itaque morulam, manibus junctis, absque ulla capitis inclinatione, ad populum vertit se Sacerdos a parte Evangelii, integrum perficiens circulum, & voce submissa interim dicens, *ut meum, ac vestrum sacrificium*, & se restituit ad Altaris medium, ad quod ubi devenerit, videtur non debere Cruci reverentiam facere, tum quia de hac ne minimum quidem verbum habet Rubrica: Tum quia Sacerdos ab Altaris medio haudquaquam discessit. Bissus tamen Tom. 2. Litt. R num. 82. A Portu Rub. 7. num. 13. atque Tonellius lib. 2. tit. 7. Rub. 7. Sacerdotem quidem non obligant, sed inclinationem facere posse asserunt, quia cum antea terga verterit Cruci, æquivalet hoc, imo aliquo modo excedit discessum a medio Altaris, & consequenter reverentia Cruci in tali casu, adhuc esset ad rem.

XLVI. Dicto *Orate Fratres* Minister, seu circumstantes, aut ipse minister nomine circumstantium respondet *Suscipiat &c.* non tamen cito, sed post aliquam brevem morulam; debet quippe Sacerdos prius prosequi *ut meum, ac vestrum sacrificium &c.* usque ad finem, quam Minister respondeat *Suscipiat*, quoniam hæc non est nisi quædam deprecatio super id, de quo Sacerdos monet esse precandum. Quod si non sit qui respondeat, aut respondere sciat, ipsemet Sacerdos tenetur dicere *Suscipiat &c.* & illud dicit erectus, & stans in eodem Altaris medio, voce tamen submis-

submissa, manibus ante pectus junctis, & ubi Minister diceret *de manibus tuis*, ipse debet dicere *de Manibus meis*. Sive autem Sacerdos, sive Minister dixerit *suscipiat*, semper Celebrans concludit secreto dicendo, *Amen*; quo dicto, & non prius, manibus ante pectus extensis (uti fit in aliis Orationibus ante Epistolam) stans in medio Altaris aliquantulum conversus ad Librum, absque eo, quod præmittat *Oremus*, aut *Dominus vobiscum*, absolute dicit submissa voce Orationem, vel Orationes secretas, quarum si plures dicendæ sunt, primam orationem secrete terminare debet, & illa verba: *Per omnia sæcula sæculorum*, quinimo & sibi respondere *Amen*, semper secrete; deinde subjungit reliquas, & quoquot sint omnes dicit secreto, sub unica conclusione, usque ad ea verba; *Per omnia sæcula sæculorum*, quæ dicuntur elata voce, ut magis dicetur in capite sequenti. Quoties vero dicenda est unica oratio, hæc, ut modo dicebamus, secrete dumtaxat dicitur usque ad ea conclusionis verba: *Per omnia sæcula sæculorum*, quæ, ut supra, elata voce dicuntur.

R I T U A L I A

Pro Missa Solemni.

D E C R E T U M VIII.

XLVII. *Sacerdos, qui celebrat Missam Conventualem, in qua Chorus tenetur cantare Symbolum, non potest eam prosequi eo tempore, quo a Choro cantatur Symbolum.* S. R. C. 17. *Decembris* 1605. *In Jannen.*, & antea 13. Septem. 1630. *In Beneventana.* Decretum hoc plurima expositione non indiget; si enim tempore, quo in Choro cantatur Symbolum, Celebrans præstare debet, quæ in superiori capite dicebamus, & post Symbolum, in cantu statim dicere, *Dominus vobiscum*, & subsequenter *Oremus*, ut continuo dicturi sumus, indubium est, quod Sacerdos, eodem tempore non potest missam prosequi, sed expectare debet, donec in Choro Symbolum fuerit absolutum, quo absoluto Sacerdos stans in medio Altaris, (& Diaconus, & Subdiaconus post eum,) osculato Altari modo consueto vertit se ad populum dicens in cantu *Dominus vobiscum*, & postea statim rediens ad Altaris medium in cantu similiter dicit *Oremus*, & subsequenter submissa voce legit Offertorium, sicuti superius dicebamus de Missa privata. An per Sacerdotem cantato *Oremus*, Diaconus statim ascendere debeat ad Altare, negat Lohner part. 3. tit. 2. §. 2. num. 1., ubi vult Diaconum expectare debere, donec Celebrans totum legit offertorium; affirmant vero Castaldus lib. 1. sect. 7. cap. 1. num. 15. aliique; quibus & nos lubenter adhæremus, ea ratione permoti, quod ad nihilum deservit illa morula. Posito itaque, quod ascendere debeat; aliud dubium exurgit, an scilicet ad sinistram celebrantis, ut huic assistat in dicendo offertorio, quemadmodum sentit Castaldus cum pluribus aliis, an vero magis, ad ejusdem dexteram, sicut arbitratur Bauldryus part. 1. cap. 12., quia quando etiam Diaconus ascenderet ad librum, adhuc non perveniret, nisi, aut quando jam Celebrans ex toto terminasset Offertorium, si breve est, vel majorem ejus partem, unde adhuc non inserviret Celebranti, & aliunde ipse Diaconus cogeretur transire statim ad dextram Celebrantis, & entia multiplicaret sine necessitate, quemadmodum adversarii ipsi fateri coguntur.

XLVIII. Quæ sententia cum probetur insuper ab Hyppolito a Portu tit. 7. Rub. 9. num. 1., atque a Merato part. 2. tit. 7. num. 46. & iis Rubricæ verbis: *Dicto Oremus Diaconus, & Subdiaconus ascendunt ad Altare in cornu Epistolæ*, videatur innixa, profecto præ ceteris est amplectenda, ideoque hæc erit Regula. Dicto a Sacerdote *Oremus*, Diaconus, & Subdiaconus, præmissa genuflexione in locis suis, mox accedent ad cornu Epistolæ, & Cæremoniarius opportune præsto erit ad Missalem librum, ut Sacerdoti assistat in legendo Offertorio. Hæc tamen differentia est inter Diaconum, & Subdiaconum, quod Diaconus immediate pergit ad Altare in cornu Epistolæ, & se constituit ad dextram Celebrantis, & si Calix est in Altari (quod minus convenit in Missis Solemnibus) illum amovet de Altaris medio, & collocat versus cornu Epistolæ, ubi eum detegit, & Patenam exhibet Celebranti, ut dicemus infra; si vero Calix non est in Altari, ibi expectat, quod per Subdiaconum e Credentia deportetur. Subdiaconus namque non procedit recta ad Altare, sed prius per planum incedens, vadit ad Credentiam, ubi super humeros indutus velo oblongo, cujus pars dextra longius pendeat, accepto Calice si est in Credentia, illum portat ad Altare, & si Calix jam est in Altari, sine eo manibus junctis ad idem pergit Altare, sine ulla omnino genuflexione, quia non vadit, neque transit per medium, sed pergit ad cornu Epistolæ per viam breviorem, idest per latus Epistolæ.

XLIX. Subdiaconus itaque statim ac indutus est prædicto velo, manu sinistra nuda, hoc est non velo pendente cooperta, e Credentia per nodum accipit Calicem, desuper habentem debita requisita, scilicet Patenam cum Hostia munda, palla cooperta. Tum super eamdem Patenam, seu Pallam, extendit præfatam longiorem partem veli, & super ipsum velum, & Calicem leviter apponit dextram manum, ne aliquid decidat. An e Calice priusquam a Subdiacono ad Altare deportetur, amoveri debeat parvum ipsius velum, & relinqui in Credentia, negat Castaldus, & Braulion, affirmant vero Gavantus, Bauldryus, Bissus, Lohner, a Portu, atque Meratus, cum quibus & nos sentimus, tum quia Rubrica ejusdem non meminit, licet sermonem distinctim instituat de omnibus, quæ simul cum Calice debent portari, tum etiam quia velum prædictum, ad aliud in Altari non deserviret, nisi ad ejusdem impedimentum. An vero tale velum plicari debeat a Cæremoniario magis, quam ab Acolytho, seu ita super Credentiam reponi, ut ex majori parte fluat ante Credentiam, sicuti sentit a Portu, quæstio hæc est, quam relinquendam esse credimus cujuscumque placito, uti facit Rubrica ipsa.

L. Subdiaconum, ut supra, deferentem Calicem ad Altare, comitatur Acolythus, ambabus manibus elevatis, usque ad pectus, deferens ampullas aquæ, & vini, pro iisdem suo tempore ministrandis, ita autem eum comitatur, ut ipsum non præcedat, sed subsequatur. Cum Subdiaconus ad Altare pervenit, deponit illico super illud Calicem, a quo Diaconus removet partem longiorem veli humeralis, deinde accipit Patenam cum Palla, & conversus ad Celebrantem, deposita Palla, Patenam cum Hostia discooperta, eidem Celebranti porrigit, cum osculo tum Patenæ, cum manus Celebrantis. Solus tamen Celebrans Hostiam offert dicendo orationem *Suscipe Sancte Pater*, & postea deponit Hostiam super corporale, ut moris est in Missa privata, Patenam vero deponit super Altare versus cornu Epistolæ extra corporale quidem, sed prope illud.

LI. Quod si Symbolum non fuerit dictum, postquam Celebrans in cantu dixit *Oremus*, Subdiaconus velo indutus ut supra, una cum Calice e Credentia defert bursam Corporalium, & cum ad Altare pervenerit, comitatus ab Acolyto, ut diximus, portante ampullas, Diaconus ambabus manibus accipit eamdem bursam, accedit, (ei locum cedente Celebrante) ad medium Altaris, ubi præmissa genuflexione, & bursa extrahit Corporale, illudque explicat super Altare, & bursam ponit in loco solito in cornu Evangelii, & mox repetita genuflexione, recedit a medio, (ad quod se statim Celebrans restituit) atque redit ad Subdiaconum, ubi cetera, ut supra præstat.

D E C R E T U M IX.

LII. *An Subdiaconus, vel alius quicumque Minister, qui inter Missarum solemnia, vel alio quovis casu petit benedictionem a Prælato pro Incenso, seu aqua, possit, seu debeat invertere ordinem Pontificalis Rubricæ, qua jubetur, ut dicat: Benedicita Reverendissime Pater, & dicere Bracare tempore præsenti: Benedicite Serenissime Pater, & responsum fuit, servetur Cæremoniale Episcoporum libr.* 1. *cap.* 23. S. R. C. 11. Maji 1743. *In Bracaren.* Revertamur modo unde discessimus. Dum itaque Celebrans, ut supra, offert Hostiam, Subdiaconus sinistra manu per nodum accipiens Calicem, & dextera Purificatorium, digitis ejusdem dexteræ manus in Calicem immissis, cum Purificatorio extergit, & sic extersum una cum eodem Purificatorio, circumvoluto ad ejusdem nodum, sine osculis tradit Diacono, qui sinistra manu illum tenens, non elevatum, sed super Altare positum, & dextera manu accipiens Ampullam vini de manu Subdiaconi, infundit vinum in Calicem. Tum Subdiaconus Ampullam aquæ sibi ab Acolytho traditam, dextera manu per manubrium accipit; & eamdem parum elevans, & ostendens benedicendam Celebranti, versus illum aliquantulum inclinatus, submissa voce dicit: *Benedicite Pater reverende*. Celebrans tunc facit versus aquam signum Crucis (interim manu sinistra pectori admota) dicendo eodem tempore, *Deus, qui humanæ substantiæ &c.* eodem inquam tempore, & non prius, & postea eamdem Orationem prosequitur, manibus ante pectus junctis; & interim Subdiaconus parum aquæ infundit in Calicem, & deinde reddit ampullas aquæ, & vini Acolytho, qui illas, sicuti prius sine osculis dedit, ita nunc recipit.

LIII. Ubi Missale pro Benedictione aquæ, & Incensi, Subdiaconum erga Celebrantem facit dicere, *Benedicite Pater Reverende*, Cæremoniale Episcoporum lib. 1. cap. 23., dicendum esse mandat, *Benedicite Pater Reverendissime*. Hinc generalis videtur inferri Regula, quod si Celebrans sit Episcopus, eidem in petenda benedictione dici debet, *Benedicite Pater Reverendissime*. Si vero simplex Sacerdos, dicitur *Pater Reverende*. In usum namque Episcoporum prædictum Cæremoniale editum est, & simplicium Sacerdotum Missale. At quid si Celebrans Episcopus quidem sit, sed insuper Princeps, cui titulus *Serenissimi*, vel alius superior competat? Tum Decretum definit, quod servari debet Cæremoniale Episcoporum, & consequenter adhuc dici *Pater Reverendissime, & non Serenissime*. Titulus enim Serenissimi, aliique similes sunt plane Sæculares, & ad rem, de qua agitur, omnino disparati, atque impertinentes, quare tacendi omnino sunt, sicut & nomen Principis, aliorumve similium. Non enim celebrat Missæ Sacrificium, quia Princeps, aut Dux, sed quia Sacerdos, cui cum Episcopalis dignitas, quæ pariter Ecclesiastica est, sit ei adnexa, ideo ut Episcopus distinguendus a simplici Sacerdote est per Ecclesiasticum titulum, qualis est titulus Reverendissimi. Sane nonnisi eadem de causa in hac circumstantia ego puto sileri titulum Illustrissimi, quia sapit aliquantulum de sæculari: qui tamen communiter extra eamdem circumstantiam Episcopis tribui solet.

LIV. De Sacerdotibus, qui Episcopi non sunt, nunc quæstio instituitur, num si eorum aliquibus legitime competat titulus Reverendissimi, in præfata circumstantia tribui debeat? & videtur, quod non, quia Missale, quod est Sacerdotum, non Episcoporum Regula, simpliciter notat *Pater Reverende*, & nullam exceptionem facit, licet probe noverit non desiderari eo-

tamdem aliquos, qui Reverendissimi gaudent titulo. Verum cum Missale Romanum, & Cæremoniale Episcoporum in iis, quæ sunt respective adaptabilia, se mutuo, ut alias diximus, explicent, atque exponant; in Rubricas non peccarent admodum, qui talem tuerentur titulum. Sane teste Francisco Magio de offic. Chor. Opusculo 9. disquis. 13. Nonnulla non desunt Regularium Cæremonialia, quæ in prædicta circumstantia, etiam Abbatibus, Generalibus, aliisque id genus, a Diacono debere dici præscribunt, *Benedicite Pater Reverendissime*.

LV. Post infusionem vini, & aquæ in calicem, si quæ guttæ dispersæ appareant intra Calicem, hunc, ut diximus, non decet Purificatorio abstergere, sed potius eum circumeat, ad eas colligendas, & mox tenens Calicem sinistra per nodum, & dextera per pedem, aut alio commodiori modo, eumdem Calicem porrigit Celebranti cum osculis prius ejusdem pedis, & deinde manus ipsius Celebrantis, qui illum ambabus accipit manibus, dextera scilicet nodum, sinistra pedem, & simul cum Diacono ipsum offert, ambubus dicentibus orationem *offerimus tibi Domine*. Castaldus lib. 1. sect. 7. cap. 1. num 11. vult, quod Diaconus, in tali circumstantia, debeat sinistra sua brachium Celebrantis, dextera pedem Calicis sustentare, Bauldryus tamen, aliique contenti sunt, quod aut sinistra sustentet Brachium Celebrantis, aut dextra pedem Calicis, & horum opinio consona valde est Rubricæ, quæ, dum utitur particula disjunctiva *seu*, unum dumtaxat ex duobus videtur exigere.

LVI. Cur Diaconus cum Sacerdote Calicem simul offerat, non vero Hostiam, nunc lubet perquirere, & Meratus part. 2. tit. 7. num. 57. in rationem producit, quia antiquitus Diaconus sacratissimum Sanguinem populo potissimum ministrabat; unde Divus Laurentius ad Sixtum Pontificem dicebat: *Quo Sacerdos Sancte sine Ministro properas? Numquid degenerem me probasti? Experire utrum idoneum Ministrum elegeris, cui commisisti Dominici Sanguinis dispensationem*; ubi ex Caracciolo idem notat Meratus: *Sanguinis, inquit, non corporis, sub specie panis, utique & hoc dicturus, si Diacono id quoque licuisset*, & reapse Martene lib. 1. de antiq. Ecclesiæ Rit. cap. 4. art. 10. num. 5. multa veterum testimonia producit, quibus evincitur, primoribus Ecclesiæ temporibus Diaconorum præcipuum munus fuisse communicantibus sacrum Calicem porrigere. Verum in hoc varia admodum fuit locorum consuetudo, ut ibidem testatur ipse Meratus, qui denique concludit, quod Romæ solus Celebrans certe Christi Corpus ministrabat, Calicem vero etiam Diaconus, & ob hanc causam Diaconus consors est, cum Sacerdote, oblationis Calicis, non vero Hostiæ; an autem in laudatis Sancti Laurentii verbis legi debeat *Dominici Sanguinis dispensationem*, sicuti habetur in ejusdem sancti officio, an magis *Dominici Sanguinis consecrationem*, ut legit Ambrosius lib. 1. offic. cap. 41., non est immoremur inquirere, quia idem nos monet Ambrosius, quod intelligi id debet, non de consecratione Sacramentali, quæ solis Presbyteris, numquam Diaconibus competit, sed de consecratione ministeriali, quæ aliud nihil est quam dispensatio rei consecratæ, ratione cujus dicitur ministerialis consecratio.

LVII. Facta oblatione Celebrans solus, more solito, idest facto signo Crucis cum Calice, hunc ponit super Corporale in medio retro Hostiam, & statim Diaconus cum palla cooperit. Tum Diaconus accipiens de Altari Patenam, ponit hanc in manu Subdiaconi dextera stantis in cornu Epistolæ, eo modo, ita ut pars interior Patenæ respiciat ipsum Subdiaconum, & postea eam cooperit extremitate veli, quæ longior pendet ab humeris ejusdem Subdiaconi, adjuvante etiam Cæremoniario; mox ipse Subdiaconus sine genuflexione, vadit post Celebrantem ad medium Altaris in planum, ubi tunc, & non prius facta genuflexione, stat in eodem plani medio, nec amplius genuflectere debet, nisi ad elevationem SS. Sacramenti, quamvis Celebrans, aut alii genuflectant; tenet autem Patenam elevatam ob oculos, & sinistra manu sustentat brachium dexterum, cujus manus, ut supra, Patenam tenet; quæ dum a Diacono præstantur, Celebrans interim, more solito, dicit orationes: *in spiritu humilitatis*; & *veni Sanctificator*.

CAPUT XIV.

De Præfatione.

I. PRæfatio, ait Menardus in notis ad Sacramentarium Sancti Gregorii pag. 25. *est oratio, seu gratiarum actio, quæ Canoni præmittitur, qua disponitur Sacerdos ad tremendorum Mysteriorum confectionem*. Quis ejusdem Auctor fuerit, Valfridus Strabo cap. 22. se nescire fatetur; Non desunt tamen, qui Gelasio primo id honoris tribuunt, ea ratione permoti, quod in lib. primo, seu Pontificali Sacramentorum, *Præfationes, & orationes, cauto sermone composuisse* dicatur. Verum cum integra, nostræque simillima Præfatio legatur in Liturgia Sancti Jacobi, ejusque mentio habeatur apud Sanctos Patres, Cyprianum, Cyrillum Hierosolymitanum, aliosque Gelasio antiquiores, latius Cardinalis Bona, Gavantus, atque Meratus part. 1. tit. 12. nu. 5. Apostolis, vel Apostolicis viris ejusdem institutionem attribuunt. Originem quippe traxisse Præfationem ab ipsis Ecclesiæ exordiis, facile dignosci potest ex eo, quod hujus mentionem faciunt fere omnes utriusque Ecclesiæ, Orientalis scilicet, & Occidentalis, Ecclesiastici antiqui Scriptores, quos memoratus Cardinalis Bona refert lib. 2. cap. 10. Verum quidem est, quod Præfatio juxta nationum varietatem diversimode olim nuncupabatur. Hinc in missali Mozarabum *Inlatio*; in Gellonensi, antiquisque Liturgiis Gallicanis, *Contestatio*, inscribitur, ut videre est apud Gregorium Turonensem, Lib. 2. de miraculis Sancti Martini cap. 14., & in aliquibus etiam Liturgiis Gallicanis, sub nomine *immolationis* Præfatio exarata reperitur. Mozarabes, ac Ambrosiani in singulis missis propriam habebant Præfationem, sicuti & in multis aliis antiquis Missalibus manuscriptis videri potest in Ordine Gelasiano, ac in Sacramentario Sancti Gregorii, ante Concilium Vestmonasteriense anno 1175. celebratum; in quo statutum fuit, ut nonnisi decem in posterum canerentur Præfationes: Cujus Decretum confirmavit quoque Concilium Coprinianense Can. 22.

II. Novem sunt Præfationes juxta ea, quæ Pelagius II. scripsit ad Episcopos Germaniæ, & Galliæ, quæ enumerantur in capite *Invenimus* 71. dist. prima de Consecrat. videlicet prima *de Nativitate Domini*, secunda de *Epiphania*, tertia de *Quadragesima*, quarta *de Cruce*, quinta *de Paschate*, sexta *de Ascensione*, septima *de Pentecoste*, octava *de SS. Trinitate*, & nona *de Apostolis*. Cum enim a prædictis Episcopis consultus ille fuisset circa Præfationes, quæ tamquam legitimæ, & errorum expertes deberent in Missa recitari, ad id Romæ Anno 1590. coactum fuit Concilium, in quo præfatæ novem Præfationes comprobatæ fuerunt, tamquam in *Sacro Catalogo tantummodo recipiendæ*; uti referunt Labbè Tom. 3. fol. 913. Baronius anno 590. num. 5. & Battaglinus Tom. 1. ad annum 590. pag. 301. Equidem Cardinalis Bona Tom. 2. cap. 10. num. 3., Meratus lib. citat. Pagius in vita ejusdem Pontificis n. 17., admodum dubitant de legitimitate hujusce Epistolæ, seu Decreti, vel saltem, quod non fuerit receptum, aut executioni mandatum nisi sæculo decimo, vel undecimo, quoniam nonnisi in Missalibus post annum 1200. exaratis, illæ novem dumtaxat inveniuntur Præfationes. Hoc certum est, quod in antiquis Ritualibus fere omnium Ecclesiarum vix ulla Missa est, cui propria, & peculiaris non assignetur Præfatio, cujus rationes plurimas recenset Bona idem Tom. laudato, Battaglino teste, adeo Præfationum abusus excreverat, *che l'ingordigia* (sunt ejusdem auctoris ipsissima verba) *umana aveva introdotto di compor nuovi Prefazj per la vile offerta a Sacerdoti vendereccj, fino di un pajo di ova*. Quod si res ita erat, Pelagii Decretum difficile est continuo, & ubique gentium fuerit utentium moribus generaliter receptum.

III. Dictis novem Præfationibus duæ aliæ postmodum additæ fuere, una communis, quæ vetustissima est, & Gelasio, aut Gregorio Magno tribuitur; altera de B. V. Maria ab Urbano II. in Concilio Placentino anno 1195. de qua fit mentio in capite *Sanctorum* 2. dist. 70. Monet nos autem Battaglinus loco citato, quod Præfatio hujusmodi non fuit ab Urbano II. antea composita, sed ipsi, dum actu Missam celebraret in Ecclesia *la Madonna di Campagna* vulgo nuncupata, cælitus inspirata, atque revelata. Sunt itaque undecim Præfationes omnes, quibus Romana utitur Ecclesia, & sicuti harum, ita & quotquot usitabantur olim, sensus semper idem fuit in adeo diversis Deo gratias agendi formis, quas continent, & omnes itidem iisdem pene versibus incipiunt, & hymno Cherubrico *Sanctus, Sanctus, &c.* concluduntur.

IV. Sacerdos igitur, ubi ad postremæ orationis secretæ finem devenit, vocem extollit, & dicit: *Per omnia sæcula sæculorum*. Quæ verba, etsi nonnulli faciant Præfationis initium, reapse tamen sunt clausula Orationum secretarum, quæ jam recitatæ sunt, & idcirco elata voce dicuntur, ut populus respondeat *Amen*, & sic orationes a celebrante secrete recitatas approbet, atque confirmet, ut post Micrologum cap. 7. observat Bellarminus Tom. 3. lib. 6. de Missa cap. 17. Deinde Sacerdos consuetis verbis *Dominus vobiscum* salutat populum; contra morem tamen, in hac salutatione, non se convertit ad populum, & le Brun Tom. 1. pag. 386. validam hanc rationem reddit, quod ante præfationem, juxta Liturgias Sanctorum Jacobi, Basilii, & Chrysostomi, Sanctuarium claudebatur, & circa Altare velum appendebatur, ideoque nihil in illa salutatione opus erat, ut se Sacerdos converteret ad populum, quem jam videre non poterat. Ratio autem cur iis temporibus ante præfationem Sanctuarium clauderetur, & circa Altare Velum appenderetur, alia esse non potest, nisi quia cum magis se appropinquaret Celebrans ad tremendum sacrificium verbis consecratoriis conficiendum, decens censebatur illum a populi tumultu segregare, ut sic animo magis intento, ac collecto, minusque exturbato, illud complere posset. Etsi autem modo Ritus claudendi Sanctuarium, segregandique Sacerdotem Celebrantem a populo non vigeat, ut tamen quantum fieri potest, in se receptus tota mente, & animo opus tantum perficiat, a Præfatione usque ad communionem non amplius se vertit ad populum, uti observat etiam Amalarius lib. 3. cap. 9., ubi in rationem, quod Sacerdos non se vertit ad populum dicendo *Dominus vobiscum* assignat, quod cum jam jam proximus sit sacrificio, non debet se ad aliud divertere.

V. Dubium itaque non est, quod Præfatio ab iis verbis *sursum corda*, quibus Minister respondet *habemus ad Dominum*, suum depromit initium, quod vetustissimum esse satis ostendunt Liturgiæ Sanctorum Jacobi, Basilii, & Chrysostomi, necnon ejusdem diserta mentio, quæ habetur apud Augustinum Epist. 156. ad Probam de vera Relig. cap. 3. & apud Cyprianum de Orat. aliosque antiquiores Sanctos Patres, quorum Cyrillum Hierosolymitanum Cathech. S. Mistag., ubi & de subsequenti *Gratias agimus*, &c. lubet producere. *Clamat Sacerdos, sursum*

corda,

corda, vere enim circa illam maxime tremendam horam sursum ad Deum corda levare necesse est, & non deorsum ad terram, terrenaque negotia deprimere. In hanc igitur sententiam omnibus præcipit Sacerdos, curas vitæ hujus omnes, & domesticas sollicitudines illa hora relinquere, & cor in Cælo habere apud Deum generis humani amatorem. Vos deinde respondítis. *Habemus ad Dominum, assentientes ei profitendo: nullus autem sic consistat, ut ore quidem dicat*, habemus ad Dominum; *mente vero circa vitæ hujus curas vagetur. Dicit deinde Sacerdos*, Gratias agimus Domino. *Certe gratias agere debemus, quod nos adeo indignos ad tantam gratiam vocavit. Ad hæc vos subjicitis*, Dignum, & justum est. *Cum enim nos Deo gratias agimus, dignum profecto, & justum opus facimus.*

VI. Ubi autem Sacerdos assecutus est assensum populi, & comprobationem, nomine suo, & totius populi, incipit Deo gratias agere dicendo: *Vere dignum & justum est* &c. unde ad rem Sanctus Joannes Chrysostomus hom. 18. in 2. ad Cor. *In tremendis Mysteriis*, ait, *ut Sacerdos pro Plebe, ita Plebs pro Sacerdote vota facit, neque enim ipse solus gratias agit, sed etiam Plebs universa, nam cum prius illorum vocem sumpsit, atque illi assenserunt id juste, & digne fieri, tum demum gratiarum actionem auspicatur.* Qui autem pleniorem Præfationis cupit declarationem, consulat Durandum lib. 4. cap. 33. dum nos adnotare gradimur, quod Præfationes omnes in illum desinunt hymnum: *Sanctus, Sanctus &c.*, quem nos *Angelicum*, vel *Cherubicum*, Græci *Triumphalem*, vel *Trisagium*, quod Sanctum latine significat, nuncupant, licet *Trisagii* nomine, proprie veniat Hymnus ille: Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, quem canere sæpe solent Græci in Missa, & in aliis Officiis Divinis, Romana tamen Ecclesia illum dumtaxat adhibet in feria VI. Parasceve.

VII. Hymnus ejusmodi depromptus est ex cap. 6. Isaiæ Prophetæ, qui se vidisse ait: *Dominum sedentem super solium excelsum*, & Seraphim audivisse canentes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus* Deus exercituum: *plena est omnis terra gloria ejus.* In Missa loco *Deus exercituum* dicitur *Deus Sabaoth*, sed hæc est vox Hebraica, quæ *Deum exercituum* significat. Quare inquirere dumtaxat superest, quid sibi velint voces, *Hosanna in excelsis*, quæ ex Ecclesiastica institutione adduntur. Voces itaque istæ, sicuti & versus subsequens: *Benedictus, qui venit in nomine, Domini, &c.* sunt verba, quæ turbæ Matthæi cap. 1. cecinerunt, cum Christus ante passionem suam solemniter ingressus est Jerosolymam. Nos autem monet Macrus verbo *Hosanna*, quod *Hosanna* a nobis bis in Missa dicitur, semel Angelorum vice, ac iterum Hominum nomine. Angelorum nempe vice, cum post illa Angelorum verba: *Plena est omnis terra gloria ejus*, mox subdimus *Hosanna in excelsis*: quasi diceremus, pax in cælo, & gloria in excelsis, sicuti turbas dixisse refert Lucas cap. 19. seu, ut malunt alii, apud Cornelium a Lapide in Matth. cap. 22. *Gloria, & laus sit Deo universorum, qui est in excelsis*, quemadmodum item Angelos alias cecinisse in Nativitate Christi docent Evangelistæ. Hominum autem nomine, quando post illa turbarum, seu hominum verba: *Benedictus, qui venit in nomine Domini*, quæ profecto ad Christum referuntur, illico nos addimus, *Hosanna in excelsis*. Idem ait Cornelius a Lapide, *non Christo, sed nobis per Christum salutem precantes, postulando, ut & ipse ab omnibus benedicatur, colatur, laudetur, ac vicissim benedictiones, & gratias suas copiose in nos effundat.*

VIII. Hinc habes causas primo cur prædictus Hymnus dicatur *Angelicus*, quia nempe prima ejusdem verba sunt Angelorum. *Triumphalem* vero, seu *Victorialem* Græci eumdem nuncupant, ob posteriora verba, quæ turbæ cecinerunt Christo, quando Triumphatoris specie ingressus est Jerosolymam. Ita quidem bene, sed cum Seraphim, ut supra, canentes audivisse Isaias referat; cur *Cherubicus*, & non magis Seraphicus prælatus Hymnus dicitur? Alia nobis non suppetit ratio, nisi sicuti Isaias Seraphim quidem nominat, exprimens tamen speciem pro genere Angelorum, qui omnes, ut supra, canere creduntur, ita modo dicatur Cherubicus, ponendo itidem speciem pro genere. Etenim etiam Cherubim connumerantur inter quatuor mystica Animalia, de quibus Apocalypsis 4. habetur, *requiem non habentia die, ac nocte, & dicentia Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, qui est, & qui erat, & qui venturus est*; unde præclare Ambrosius lib. 3. de Sp. S. cap. 18. *Cherubim, & Seraphim, indefessis vocibus laudant, & dicunt* Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. *Non semel dicunt, ne singularitatem credas, nobis dicunt, ne spiritum excludas, non sanctos dicunt, ne pluralitatem æstimes; Sed ter repetunt, & idem dicunt, ut etiam in Hymno distinctionem Trinitatis, & divinitatis intelligas unitatem. Hæc cum dicunt, Deum prædicant.* Alterum, cujus causam habes, est ratio, ob quam peculiaris præfatio de Angelis instituta non fuerit, cum tamen ipsi sint Cælestiales spiritus, qui Sanctis Hominibus præstant plurimum; hæc autem est, quia Præfatio ipsa communis, Angelis quadrat admodum, & dici potest quasi iisdem propria, cum in eam inducti legantur fere omnes Angelorum ordines.

IX. Additum hunc hymnum fuisse Sacrificio Missæ a Sixto primo plerique scribunt, sed Cardinalis Bona nos admonet ex libro Pontificali, hoc solum a Sixto constitutum esse, ut Sacerdote ipsum incipiente, etiam populus eumdem cantaret. Baronius vero anno 142. num. 12. scribit ab Apostolis fuisse institutum, & a Sixto primo decreto stabilitum.

DECRETUM PRIMUM.

X. *Ad humillimas preces Vice Commissarii Generalis Ordinis Minoris Observantiæ officium omnium Sanctorum dicti Ordinis, quod hactenus sub ritu duplici minori recitatum fuit, in posterum sub ritu duplici secundæ Classis, cum præfatione, prout in festo Sancti Francisci, a Religiosis præfati Ordinis recitari posse concedit* S. R. C. 22. Aug. 1742. Ultra undecim, de quibus supra, fere quisquis regularis ordo, propriam, & peculiarem Præfationem habet respective de suo Sancto Institutore, quæ quidem a Religiosis illius Ordinis, in Missa præfati Institutoris, recitari concessa est, secus vero a quibusvis aliis Religiosis, Sæculares sint, vel cujuscumque alterius Religionis, nisi habeatur peculiare privilegium, quod adhuc, dumtaxat concedi solet, pro casu in quo Missam faciant in Ecclesiis dicti Ordinis, vel cum aliis restrictionibus, quarum metas transgredi piaculum est. Hisce de Præfationibus quæritari solet, an si quæ earum a prædictis Religiosis, vel privilegiariis, in die festo celebrari concessa sit, ab iisdem recitari item valeat per totam octavam ejusdem festi. Pittonus num. 1491. rite quæstionem affirmative resolvit, duciturque ea ratione satis valida, quod tota octava reputatur, & secundum rituum regulas est una, & eadem dies cum die festo, quare concessio facta pro festo, intelligitur, supponiturque item facta pro tota octava: & quidem S. R. C. 2. Septembris 1741. decretum voluit, quod si festum alicujus Confessoris habens octavam transferatur, sed non ultra octo dies, seu infra octavam transferatur, in tali casu, tam in die festo, quam in reliquis diebus octavæ, si qui supersunt, dici adhuc debeat in hymno: *meruit beatas* & non *meruit supremos*, tamquam si in proprio die festum celebraretur, & rationem reddens ait, *quia tota octava nihil aliud est, quam extensio ipsius festi.* Quid autem validius adduci unquam potest ad rem, de qua agitur? Verum nec deest argumentum aliud, quod extra omne dubium quæstionem constituit. Capellanis Monialium Ordinis Sancti Benedicti, una cum confluentibus quibuscumque, a Benedicto XIII. facultas facta fuerat celebrandi Missam propriam Sancti Benedicti in die ejusdem festo, sed quia Decretum exprimebat *solum festum*, ortum fuit dubium super octavam, quod cum propositum fuerit declarari; S. R. C. 21. Martii 1744. diserte respondit.

DECRETUM II.

Indultum suffragari etiam quoad octavam. Non potest itaque dubitari super extensionem Præfationis, ad totam octavam, quando pro festo concessa sit.

XI. Inter Regulares, qui Præfationem propriam recitant de Sancto suo Institutore, connumeratur ordo Minorum, cui per præsens Decretum, ad preces Vice-Commissarii Generalis, gratiose conceditur, ut in festo etiam Sanctorum omnium cujusdam ordinis, recitare possit, & valeat Præfationem propriam, prout in Festo Sancti Francisci *gratiose conceditur*, ut hinc edicas, quod sine particulari Indulto, non possunt alii Regulares Ordines similiter facere, idest Præfationem propriam sui Sancti Institutoris dicere in Missa festi omnium Sanctorum sui Ordinis respectivi, ea ponderatione ducti, quod inter Sanctos omnes sui ordinis, primarium principalioremque locum sibi vindicet Sanctus Institutor, & consequenter sufficiens ratio habeatur distinguendi illum propria Præfatione. Ratio enim hæc sufficiens profecto non est, ut memorata propria Præfatione Institutor honoretur; ut videre est in Festo Sanctorum Omnium Universalis Ecclesiæ, in quo, etsi comprehensa maneat Deipara Virgo Maria, quæ non solum Sanctorum Omnium, sed & Angelorum Regina est, unde in hoc festo præcipuum excellentioremque sibi vindicet locum, adhuc in Missa non dicitur Præfatio B. M. sed illa de communi. Idipsum præstare debent alii Regulares Ordines, qui particulari sufsulti non sunt privilegio. Missale enim Romanum regula est universalis, cui se necesse est conforment alia particularia, quæ ritum sectantur Romanum. Decretum autem hoc pro minoribus est specialissimæ Concessionis.

DECRETUM III.

Si Festum Sanctorum Philippi, & Jacobi, vel Inventionis Sanctæ Crucis, aut Sancti Joannis ante portam Latinam occurrerit infra octavam Ascensionis, Præfatio in Missa erit de Apostolis, vel de Cruce, sed Communicantes de Ascensione. S. R. C. 28. Aug. 1627. in una Urbis.

XII. Est generalis Regula ipsissimis Rubricæ 12. n. 2. verbis aperte firmata, quod *Præfationes, quæ in Quadragesima tempore Passionis, & Paschali, & infra octavam propriæ assignantur, dicantur etiam in Dominicis, & festis, quæ illis temporibus celebrantur, nisi illa festa propriam Præfationem habeant.* Et quantum ad octavas attinet, statutum voluit, quod Præfatio de octava dici debeat in festo quolibet non habente Præfationem propriam, quamvis de octava ne quidem commemoratio esset facienda. En ejusdem Rubricæ verba: *Si infra octavam alicujus festi, quod habet Præfationem propriam, occurrat festum ex majoribus, non habens propriam Præfationem, dicitur Præfatio de Octava, quamvis de ea nulla fiat commemoratio in Missa.* Et revera quidquid fit de Quadrage-

dragesimali, & Passionis tempore, quod ex particulari privilegio nunquam commemorationem deperdit, toto Paschali tempore, etiam in festis occurrentibus, dicitur Præfatio Paschalis, tametsi de eo nulla fiat in officio commemoratio. Quorum omnium ea ratio est, quoniam unaquæque ex dictis Præfationibus suum determinatum habet temporis spatium, in quo dici debet, ea dumtaxat conditione apposita, quod festum, de quo agitur, propriam non habeat Præfationem, quo in casu sicuti officium ejusdem festi prævalet contra officium prædicti temporis, vel octavæ, ita Præfatio memorati festi æquum est prævaleat contra Præfationem dicti temporis, vel Octavæ.

XIII. Hisce omnino præsens consonat sanctio, quæ propterea festis Sanctorum Apostolorum, vel Inventionis Sanctæ Crucis suam respective propriam Præfationem assignat, Apostolorum nempe, vel de Cruce, tametsi contingant celebrari intra octavam Ascensionis, quæ propriam Præfationem habet: quoniam tameo præfata festa proprium non habent *Communicantes*, volo adnotes, quod non commune dici assignatur, sed proprium de octava, ut inde inferas, quod in iisdem festis etiam Præfatio octavæ esset dicenda, si illa festa propriam non haberent Præfationem, & quidem quamvis nulla in eorum Missis fieret commemoratio octavæ, quam eadem festa juxta Rubricas non sunt apta pati, utpote secundæ Classis.

XIV. Quærit Guyetus, quænam Præfatio dici debeat in occurrenti festo non habente Præfationem propriam, in concursu duarum Præfationum propriarum, puta duarum octavarum, aut octavæ, & temporis, quorum utrumque propria gaudet Præfatione, & belle suo modo reponit Lib. 3. cap. 28. q. 5. eam in festo adhibendam esse, quæ corresponderet officio, quod celebraretur, si tale festum non occurreret, unde eam octavæ, non temporis, vel privilegiatæ in occursu duarum octavarum, vel eam octavæ, non temporis, quando utrumque gaudet propria Præfatione. Dicimus *Octava dignioris, seu privilegiatæ*; & hujus nomine intelligimus octavam, quæ prævalet, aut ratione altioris ritus festi, aut ratione majoris dignitatis. Octava enim, cujus festum est primæ Classis, præfertur, ut alias diximus, octavæ, cujus festum est solummodo secundæ Classis, esto foret majoris dignitatis, & in casu æqualitatis ritus festi, ea octava præfertur, quæ est majoris dignitatis. Hæc, quæ jam alias dedimus, opus non est repetere, quare dumtaxat addimus, quod item diximus; *vel octavæ privilegiatæ*, quia si octava aliqua ex particulari privilegio prævaleret contra aliam octavam digniorem, ita ut in ambarum occursu haberet officium, tunc ejusdem Præfatio dici deberet, & non illa octavæ dignioris. Exemplum habetur in octava Corporis Christi, quæ cum ex particulari privilegio non cedat, nisi festo duplici occurrenti, dubio procul de ea officium fieri deberet feria VI. & sequenti Sabbato, & non de octava SS. Trinitatis (ubi hæc fit, puta ratione Tituli), quamvis octava SS. Trinitatis major sit dignitate, & æqualis in ritu festi. Unde si in alterutro ex dictis diebus occurreret festum aliquod duplex, in hujus Missa dicenda foret Præfatio Corporis Christi, & non ea Sanctissimæ Trinitatis. Idipsum est apud Augustinienses de octava Sancti Patris Augustini, quæ privilegiata item est contra festa duplicia, quæ non sunt primæ, vel secundæ Classis. Quare ubi festum B. M. Virginis de Consolatione, quod similiter celebrant sub ritu duplici primæ Classis in Dominica subsequenti ad festum ejusdem Sancti Patris Augustini, habet octavam; In festo primæ vel secundæ Classis, quod intra prædictas octavas celebraretur, si propriam non haberet Præfationem, dicenda in eo foret Præfatio S. Patris Augustini, & non illa B. M. Virg. de Consolatione. Firma igitur remanet in tota sua amplitudine regula Guyeti, ita ut ea sit adhibenda Præfatio, quæ est propria officii, quod fieret si tale festum non occurreret. Quod si officium, quod fieret, propriam non haberet Præfationem, tunc succedit Præfatin propria officii, quod succederet, si nec illud fieret officium, & sic successive in concursu plurium octavarum, & in casu, quod nulla ex occurrentibus propriam Præfationem haberet, tunc locum assequitur Præfatin temporis, si propriam habeat, alioquin Præfatio communis.

XV. Quod de festis occurrentibus infra aliquam octavam modo statutum est, procedit pariter de Dominicis, quæ celebrantur infra octavam, ita ut ipsæ suscipiant Præfationem octavæ, & cum eo ordine, quem dicebamus de his festis. Laudata enim Rubrica de iisdem pariformiter, ac de festis disponit. *Dicuntur enim in Dominicis, & festis, quæ illis temporibus celebrantur.* Si itaque in festis dicenda omnino est Præfatio propria octavæ, infra quam occurrunt, utique & in Dominicis, & quidem tametsi haberetur Præfatio propria temporis, sicuti & in festis dicitur Præfatio propria Octavæ, quamvis tempus propriam Præfationem similiter habeat. Præfatio namque, quæ tempore, puta Paschali, vel Quadragesimali assignatur, non est propria feriarum, vel Dominicarum, quę eo tempore occurrunt, sed se habet veluti Præfatio communis pro suo respectivo tempore, & æque convenit feriis, Dominicis, & festis, quæ tali tempore occurrunt, adinstar Præfationis *Communis* dictæ, quæ latius se habet, & omne temporis spatium comprehendit, cui præfatio altera assignata non est, non vero quia non dentur aliæ Præfationes, quæ similiter communes sint, pro strictiori temporis spatio. Hac solum de causa, ad distinctionem illius Præfationis, quæ latius se habet, & totum ad anni temporis spatium se extendit, cui propria non assignatur, Præfationes respectivæ pro strictiori temporis spatio, non communes, sed propriæ a Rubrica dicuntur. Exemplum habemus in terminatione Hymnorum, & in versu brevi ad Primam, cujusmodi sunt pro tempore Paschali terminatio per *Deo Patri sit gloria, & Filio qui a mortuis*, & ad Primam versus: *Qui surrexisti a mortuis.* Hi enim non minus proprii sunt suo respectivo tempori, quam sint communes feriis Dominicis, ac festis omnibus, quæ tali tempore celebrantur. Et tamen in officin Dominicæ infra octavam, quæ aliam propriam terminationem, vel brevem versum habet occurrentis, non terminatio, aut brevis versus temporis dicitur, sed terminatio, & brevis versus octavæ. Unde Rubrica in Dominica prima Adventus posita, assignato versu: *Qui venturus es in mundum*; ad rem nostram subdit, *Sic dicitur quotidie usque ad Nativitatem Domini, etiam in officiis de Sanctis, præterquam in die Conceptionis B. M. in festis & Dominica infra octavam occurrentibus.* Et eadem Rubrica in festo Conceptionis, postquam ad Primam præscripsit versum, *Qui natus es ex Maria Virgine*, item addit: *& sic dicitur per totam octavam, etiam in festis, & Dominica infra octavam.* Uti itaque hæc omnia, sic & Præfatio, de qua dicebamus, sunt quidem (si ita dicere mavis) propria temporis, sed non officii, aut missæ, licet hæc sint de tempore, sed æque competunt Dominicis, feriis, & festis, eo tempore occurrentibus, adeoque dicenda non sunt, si alia similia, vel ratione festi, vel ratione octavæ propria habeantur. Suffragatur etiam admodum laudata ipsa generalis Rubrica, quæ postquam statuit Præfationes, Paschalem, Quadragesimalem, & octavarum dicendas esse item in Dominicis, & festis eo tempore occurrentibus, exceptionem quidem ponit pro festis per hæc verba, *nisi illa festa propriam Præfationem habeant*, & omnino filet super Dominicis, pro quibus utique etiam exceptionem fecisset, si quæ earum propriam Præfationem haberet.

XVI. Redeamus modo ad Præfationem Ascensionis Dominicæ, cui hanc Rubricam præfixam esse cognoscimus: *Sequens Præfatio cum suo cantu dicitur in die Ascensionis usque ad Vigiliam Pentecostes exclusive, & in festis tunc occurrentibus, nisi propriam habuerint.* Modo ejusdem verba ponderemus. *Sequens Præfatio*, scilicet Præfatio Ascensionis Domioicæ, *cum suo cantu*, nempe solemni, & non feriali; non enim intra temporis spatium, cui addicta est præfata Præfatio, occurrere potest Missa ferialis, aut de festo simplici, cui debeatur Præfatio in cantu feriali; & si occurreret casus alicujus Missæ votivæ non solemnis, quæ propriam non haberet Præfationem, cum canenda esset Præfatio Ascensionis, non in feriali, sed adhuc solemni cantu esset dicenda, quia sic Rubrica disponit, quoties dicenda occurrit *usque ad Vigiliam Pentecostes exclusive*; en igitur temporis spatium, in quo locum habet prædicta Præfatio; scilicet in die Ascensionis, & per totam octavam, & ulterius in subsequenti feria VI. ad quam speciali privilegio veluti prorogatur Ascensionis officium, non tamen in vigiliis Ascensionis, & Pentecostes, in quarum prima juxta consuetum morem habet locum Præfatio de tempore, scilicet Paschalis, & in secunda Præfatio Pentecostes, ut suo loco dicemus: *& in festis tunc occurrentibus*; scilicet quæ prædictis diebus omnibus celebrari continget; *nisi propriam habuerint*, quo in casu jam diximus Præfationem propriam prævalere contra illam octavæ.

XVII. Non adeo extenditur *Communicantes* Ascensionis, de quo eadem habet Rubrica *& dicitur per totam octavam*, quæ, cum reapse terminetur in feria quinta, in qua propterea sub ritu duplici instituitur officium, idcirco dicetur illud quidem, etiam in festis per eam occurrentibus, quamvis a sua Præfatione separari contingat, non tamen in subsequenti feria VI. quæ ad eamdem octavam reapse non spectat. Non enim ait Gavantus part. 1. tit. 12. num. 5. litt. G. Præfatio, & Communicantes in missali ideo suo loco consequenter descripta sunt, ut simul dicantur, vel omittantur, sed ut facilius utrumque reperias, quod & Guyetus approbat lib. 3. cap. 28. q. 5. & nos ipsi dicemus magis in sequenti Decreto.

XVIII. De Præfationibus Apostolorum, & Crucis, quarum præsens sanctio item meminit, nunc summus agere; & ecce titulum, qui Præfationi præficitur Apostolorum: *Sequens Præfatio cum suo cantu dicitur in festis Apostolorum, & Evangelistarum, præterquam in die Sancti Joannis Apostoli, & per octavas eorum, & in festis infra eas occurrentibus, nisi eis propria assignetur.* Si demas itaque Sanctum Joannem Apostolum, de quo in sequenti Decreto reservamus agere, præfata Præfatio dicitur in festis Apostolorum omnium, & Evangelistarum, quos in omnibus Ecclesia pares facit Apostolis, & per eorum octavas, & in festis omnibus infra eas occurrentibus cum solita clausula, *dummodo hæc propriam Præfationem non habeant*, quo in casu dicitur Præfatio propria, neglecta ea Apostolorum. Sunt, qui eamdem Præfationem attribuunt sanctis illis, qui cum in particularibus mundi plagis primarii fuerint fidei Catholicæ satores, ac promulgatores, eorumdem locorum Apostoli vocantur, quinimo alicubi officio etiam honorantur Apostolorum; verum quæ de hujusmodi sanctis diximus agentes de Symbolo, nunc cursim putamus repetere, ita ut eorum illi, qui ultra Apostolorum nomen, officium etiam in legitimo particularium Ecclesiarum usu assequuntur, Apostolorum item Præfatione possint donari, secus qui solo gaudent Apostolorum nomine.

XIX. Ad Præfatinnem Crucis quod attinet, ex Micrologo cap. 50. nos monet & Gavantus part. 4. tit. 7. num. 4. non suisse dici solitam ante Palmas, & hunc morem perdurasse usque ad Pium Quintum, a quo statuta est ab ipsa Dominica Passionis; hinc præsens præscribit titulus, quod *ea cum suo cantu dicatur in Dominica Passionis, in Dominica Palmarum, in feria V. in Cœna Domini, & in festis duplicibus, & semiduplicibus eo tempore occurrentibus, nisi in eis propria assignetur, & in solemnitatibus Sanctæ Crucis.* Tacet super missis ferialibus, eo tem-

pore

pore occurrentibus, non quia in eis item dici non debeat, sed quia ibi loquitur de missis *cum suo cantu*, scilicet solemni, qui missis ferialibus minime convenit. Eam tamen nihilominus esse dicendam, licet sub cantu feriali, dubitari non sinit titulus alter eidem Præfationi in missali præfixus, ubi sub cantu etiam feriali exarata invenitur; de mandato igitur Rubricæ hujusmodi Præfatio dicenda est in *solemnitatibus Sanctæ Crucis*, videlicet Inventionis, & Exaltationis ejusdem, etsi quæ alia alicubi de Sancta Cruce reperitur instituta. *In Dominica Passionis, & in sequentibus diebus usque ad feriam V. in Cœna Domini inclusive*, & quidem etiam *in festis eo tempore occurrentibus; nisi hæc propriam Præfationem habuerint*, hic sistit Rubrica; hinc tamen tu infer, quod in festis quibuscumque, quæ ad Passionis mysterium propius accedunt, vel reducuntur, eadem Præfatio similiter erit dicenda. Hujusmodi sunt festa quinque Plagarum, Coronæ Spineæ, Lanceæ, Syndonis, SS. Christi Sanguinis, & si quæ alia de instrumentis Dominicæ Passionis, vel ad eam attinentibus reperiuntur instituta; cujus rationis similiter est festum SS. Redemptoris, quod in Venetorum Dominio recolitur; Christus enim nonnisi media Cruce, & sua Passione nostram salutem ac Redemptionem operatus est.

DECRETUM IV.

XX. *In Missis votivis solemnibus pro re gravi infra octavam Nativitatis Domini celebrandis, dicenda est Præfatio juxta Rubricam generalem tit.* 12. *num.* 4. S. R. C. 25. Septem. 1706. *approbante Clemente XI.* ut in Bullario Romano tom. 8. decis. 20. Dominicæ Nativitatis octava a generali, quam superius statuimus, abit Regula; ubi enim hæc fert, quod in festis occurrentibus infra octavas dicenda quidem sit Præfatio propria octavæ, sed cum clausula, nisi propriam Præfationem habuerit, prædictæ Nativitatis octava videtur exposcere, quod Præfatio octavæ dicenda sit in festis infra eam occurrentibus, etiamsi propriam Præfationem haberent. Sane, quoad festum Sancti Joannis Apostoli, id extra omne dubium est constitutum. Quamvis enim ipse tamquam Apostolus propriam sortiatur Præfationem, adhuc Rubrica in ejusdem festo posita diserte habet, & notat *Præfationem, & Communicantes de Nativitate* esse dicendum, & idipsum præstat titulus, quem Apostolorum Præfationi dicebamus esse præfixum, dum per ea verba, *præterquam in die S. Joannis Apostoli*, diem festum ejusdem S. Joannis Præfationis Apostolorum declarat non esse participem. Adhuc ad rem clarior est Rubrica, quæ præficitur Præfationi Nativitatis Dominicæ, quæ dum solum diem octavam S. Joannis excipit, non festum, consequenter innuit diem festum Rubricæ dispositioni manere subjectum, adeoque in eo dicendam esse Præfationem Nativitatis, non illam Apostolorum.

XXI. Non est itaque dubium, quin dicenda sit in festo Sancti Joannis Præfatio Nativitatis, quare nunc tantummodo inquirere superest, num idipsum dicendum sit de aliis itidem festis habentibus propriam Præfationem, si quæ infra eamdem octavam contingant occurrere? Affirmant plurimi, de quorum classe Gavantus, atque Meratus esse videntur, dum ille par. 1. tit. 12. num. 4. litt. D. Missis votivis infra octavam Nativitatis non aliam Præfationem tribuendam esse asserit, quam de Nativitate, argumento ex festo Sancti Joannis a fortiori desumpto. Hic vero dum ibidem nihil addit, Gavanti sententiam, & argumentationem approbare censetur, & quidem exemplum Sancti Joannis urget admodum. Si enim in hujus festo, tametsi propriam Præfationem habeat, dicenda est Præfatio Nativitatis, quid ni idipsum præstari debebit de festis aliis infra octavam Nativitatis occurrentibus, quamvis propria Præfatione gaudeant? Quæ umquam namque pro Sancto Joanne peculiaris assignari potest ratio, quæ non æque militet de aliis festis? & maxime, quia id Auctores privilegium octavæ faciunt, ut Pittonus de oct. Tom. 1. num. 104. cur igitur commune non erit & aliis festis? Verum in oppositum sentit Guyetus lib. 4. cap. 21. quæst. 14. ubi scite advertit nulla Rubrica id privilegii fieri Præfationi Nativitatis Dominicæ, ut ipsa præ ceteris prævaleat contra Præfationes proprias festorum infra octavam Nativitatis occurrentium; nulla itidem peculiari Rubrica in favorem ejusdem Præfationis exceptionem poni Rubricæ generali, quæ tam in Missis votivis, quam festivis, Præfationem propriam, si eam habeant, diserte dicendam esse mandat, & nonnisi eam octavæ, in casu, in quo illæ Missæ propria Præfatione careant: quæ sententia cum per præsens Decretum quoad Missas votivas explicite, & implicite quoad festivas, approbata maneat, dubio procul nunc est ab omnibus amplectenda, atque tenenda; habet enim Rubrica tit. 12. num. 4. quæ servari mandatur per præsens Decretum: *In Missis votivis dicitur etiam Præfatio propria, si propriam habeant, si vero non habuerint, dicitur Præfatio de tempore, vel de octava, infra quam contigerit hujusmodi missas celebrari, alioquin Præfatio communis.* Nonnisi itaque in defectu Præfationis propriæ in missis votivis, etiam quæ celebrantur infra octavam Nativitatis Domini, dicenda est Præfatio octavæ, & similiter dicendum est de Missis festivis, ut denotat dictio *etiam* prædictæ Rubricæ, per quam designatur omnino similem esse dispositionem, imo eamdem de Missis festivis, de quibus præcedens fuerat dispositio.

XXII. Ad exemplum festi Sancti Joannis quod attinet, scilicet, quod in similium regulam deservire posse videtur, idem Auctor reponit, quod uti festum peculiari ratione addictum fuit festo Nativitatis Domini, ita in eo peculiari ratione dici demandata fuit Præfatio illa *Quia per Incarnati Verbi*, &c. quia nempe ipse Verbi illius ab æterno geniti, jamque incarnati Mysterium magnificis illis verbis expresserit: *In principio erat Verbum*. Meratus part. 4. tit. 3. num. 17. producit sententias plurimas, & quidem admodum varias, circa præcisum diem obitus Sancti Joannis, & concludit denique, quod nihil certi statui potest; unde quod magis addictum fuerit festo Nativitatis Dominicæ, non aliam rationem adduci posse videtur, quam, *quia ipse a Christo in Cruce posita Vicarius suæ Matris filius subrogatus fuerit*. Sane hæc ratio, uti & præcedens, in Præfatione propria, in Sacramentario Gregoriano habita, quæ in festo Sancti Joannis recitabatur olim, magnificantur admodum: quæ cum ita esse credantur, jam facile vides cautam, ob quam Nativitatis Præfatio dicenda tantummodo est in festo Sancti Joannis, & non in festis aliis, si propriam Præfationem habeant, quæ infra octavam Nativitatis occurrunt celebrari; rationes enim memoratæ comprobant dispositionem Rubricæ pro Sancto Joanne, propriam, & peculiarem esse pro festo Sancti Joannis, & consequenter ad alia festa non extendendam.

XXIII. Subdit autem Decretum: *In Missis votivis solemnibus pro re gravi*; non quia secus, si infra præfatam octavam missæ privatæ non solemnes haberentur, sed quia Missæ hujusmodi infra eamdem octavam locum non habent, quia celebrari sunt inhibitæ; habet quippe idem Decretum, si integrum producatur: *Infra octavam Nativitatis Domini prohibentur Missæ votivæ privatæ, & pro Defunctis. In Missis vero votivis Solemnibus, pro re gravi infra eamdem octavam celebrandis dicenda est Præfatio juxta Rubricam generalem tit.* 12. *num.* 4. Quæcumque vero infra octavam, Præfatio propria, in Missis votivis, vel festivis, recitatur, rite notat Pittonus decis. num. 1284., quod in iisdem dici debet *Communicantes* de Nativitate, quemadmodum nos etiam dicebamus in Decreto secundo hujusce capitis.

XXIV. Ecce modo Rubricam, quæ sæpe Præfationi dictæ Nativitatis in Missali reperitur affixa. *Sequens Præfatio cum suo cantu, dicitur a Nativitate Domini usque ad Epiphaniam, præterquam in die octava Sancti Joannis Apostoli*. Et hinc edocemur plurima. Primo quod Præfatio Nativitatis Domini latius habet spatium, quam *Communicantes*. Cui cum hæc adjiciatur Rubrica, *usque ad octavam Nativitatis Domini inclusive, & non ultra*, dubium esse non potest, quod ultra diem Circumcisionis, in quo octava terminatur Nativitatis Dominicæ, prorogari non potest, cum tamen Præfatio locum habeat usque ad Epiphaniam exclusive. Hoc autem *Communicantes* id habet præcipuum, quod in prima Missa diei Nativitatis Domini dicitur, *& noctem Sacratissimam celebrantes*, etiamsi de die, & non de nocte celebretur, in reliquis vero duabus Missis ejusdem diei, & per totam octavam semper dicitur, *& diem Sacratissimam celebrantes*, esto forsan a privilegiariis celebretur de nocte, ut notat Meratus part. 4. tit. 3. num. 10., & ea ostendit ratio, quod in priori casu, etsi celebretur de die, adhuc refertur semper ad Missam, quæ de nocte celebrari præscripta est, vel indulta, in posteriori vero casu ad tempus diurnum, in quo juxta Rubricas dici debet, ordinatur.

XXV. Secundo, quod toto prædicto tempore, memoratæ Nativitatis Præfatio *cum suo cantu*, idest solemni, & non feriali dici debet; neque enim occurrit, vel occurrere potest feriale, aut simplex officium aliquod, quod ferialem exigat cantum. At quid si fiat Missa votiva? Facilis est responsio; vel enim missa ista est solemnis, & pro re gravi, vel publica causa, & tunc juxta Rubricam tit. 12. num. 4. ea dicitur in cantu solemni, ut in duplicibus; vel est privata, & non solemnis, & tunc quæstio est de subjecto non supponente, quia totum temporis spatium, ad quod prælaudata Præfatio extenditur, privilegiatum est contra missas votivas privatas, & non solemnes; & quando etiam licite forent missæ votivæ privatæ, jam, ut supra diximus de Præfatione Dominicæ Ascensionis, esset dicenda cum cantu, quo in Missali reperitur sub exarata, hoc est solemni, sicuti expresse præfigitur a Rubrica his verbis: *sequens Præfatio cum suo cantu* &c. Quicquid Guyetus in contrarium sentiat lib. 4. cap. 21. quæst. 14. ubi sibi persuasum esse asserit, tunc cani debere ipsam Præfationem in cantu feriali; qui cantus juxta Rubricas debitus est per se ejusmodi Missis. At nihil facilius hac solutione; esto enim per se ejusmodi Missis juxta Rubricas Præfatio competat sub cantu feriali, & non solemni, non est cur per accidens, & ratione octavæ, quæ esto sub ritu semiduplici celebretur, particeps tamen semper solemnitatis sui festi est, non sit eis adhuc Præfatio sub cantu duplici admittenda, si infra hanc incidant octavam. Hinc videmus, quod Præfationes Nativitatis Dominicæ, & Ascensionis, in missalibus sub feriali cantu exaratæ non reperiuntur; esto octava Ascensionis Missas votivas privatas, non solemnes, non respuat.

XXVI. Tertio, in festis, quæ post octavam Nativitatis Dominicæ occurrunt usque ad Epiphaniam, dicendam esse eorum Præfationem propriam, si eam habeant, & non nisi in defectu propriæ illam Nativitatis. Dum enim Rubrica diem octavam Sancti Joannis propria Apostolorum Præfatione honorat, idipsum a fortiori faciendum esse ostendit in festis quibusvis, eo tempore occurrentibus, si propriam Præfationem habeant; ipsa namque eatenus prædictæ solius octavæ S. Joannis meminit, quatenus in Breviario, de quo procedit dispositio, tunc nullum aliud occurrit festum, quod propria gaudeat Præfatione, ceterum a similibus argumentandum est ad similia, & maxime in casu nostro, in quo nos dicebamus etiam infra octavam Nativitatis Præfationem propriam festorum occurrentium prævalere contra illam Nativitatis. Ex his perbella quæstio modo proponitur.

Puta,

Puta, V. G. quod in die octava Sancti Stephani, alicubi occurrat particulare festum in honorem Deiparæ institutum, cui, vel ratione peculiaris concessionis, vel legitimæ consuetudinis debeatur octava, nunc quæritur, non quidem de festo, in quo certum est dici debere Præfationem Deiparæ, sed de festis occurrentibus infra octavam, & non habentibus Præfationem propriam, cujusmodi in casu dies sunt octava Sanctorum Innocentium, & Vigilia Epiphaniæ, quæritur, inquam, num in iisdem dici debeat Præfatio Deiparæ, an ea Nativitatis Domini. At ex superius dictis facilis admodum, & evidens responsio est. Iis enim diebus locum solum habet Præfatio Nativitatis Domini per extensionem, ait Guyetus lib. 4. cap. 18. q. 10. & consequenter se habet, & attendi debet ad instar Præfationis de tempore, quare sicuti contra Præfationem de tempore, puta Paschali, jam superius nos vidimus prævalere Præfationem propriam octavæ, ita modo dicimus, quod in memoratis festis dici deberet Præfatio Deiparę, & non illa Nativitatis Domini. Secus foret, si casus accideret infra octavam Nativitatis, quia cum tunc Præfatio Nativitatis poni instet itidem, non ratione extensionis, sed ratione octavę, tunc ipsa prævaleat necesse est, sicut octava ipsa prævalet, pro festis tamen occurrentibus infra, non post octavam.

XXVII. Quarto in die octava Sancti Joannis dicendam esse edocemur Præfationem Apostolorum, non tamen in die octava Sancti Stephani, licet occurrat post octavam Nativitatis, & infra octavam Sancti Joannis Apostoli. Hęc enim in Rubricis certa sunt, cum sola excipiatur dies octava, & in missalis ipso in eadem die octava assignetur dicenda Prętatio Apostolorum, in die vero octava Sancti Stephani Prętatio Nativitatis. Hujusmodi non satis apte generalibus videntur convenire Rubricis, cum enim octava non sit nisi continuatio festi, & prorogatio, eadem Præfatio, quæ festo convenit, convenire item debet octavę, & hęc videtur esse ratio, ob quam in die octava Sancti Stephani non assignatur Prętatio Apostolorum, sed magis illa Nativitatis, vel si diei octavę Sancti Joannis assignatur illa Apostolorum, tamquam officio, quod agitur, propria, quia jam desiit octava Nativitatis, ob quam festo, peculiari ratione alia assignata fuit, cur non item assignatur Prętatio Apostolorum in die octava Sancti Stephani, ratione octavæ Sancti Joannis Apostoli, infra quam recurrit, cum similiter dies octava Sancti Stephani, & consequenter dies etiam infra octavam Sancti Joannis Apostoli, infra quam illa Sancti Stephani evenit, occurrant jam prorsus peracta octava eadem Nativitatis Dominicæ? Sane in pręfata die octava Sancti Stephani dicitur Symbolum, non dicitur autem, quia Sancto Stephano competat, cum sit de classe Martyrum, nec quia dictum fuerit in festo, cum omnino per accidens in eo dictum fuerit, ratione nempe octavę Nativitatis Domini, infra quam recurrit, non alia itaque de causa, in eadem die octava dicitur in ejus missa Symbolum, nisi ratione octavæ Sancti Joannis Apostoli, infra quam occurrit. Quod si res de Symbolo ita se habet, quid ni similiter erit de Præfatione Apostolorum?

XXVIII. Inextricabilis profecto apparet nodus iste, quem ut dissolvat, ait Guyetus lib. 4. cap. 18. §. 10. *parem non esse rationem diei octavæ, & diei infra octavam, huic siquidem alia non est Præfatio tribuenda, quam quæ in die festo adhibita est, atqui in die S. Joannis adhibita est Præfatio Nativitatis, ergo & eamdem adhiberi convenit in die infra octavam. Diei autem octavæ expresse tribuitur Præfatio Apostolorum. Adde, quod Præfatio de Nativitate, cum per extensionem duntaxat continuetur usque ad Epiphaniam, non debet talis extensio prævalere contra Præfationem aliam propriam, qualis est Præfatio Apostolorum pro die octava S. Joannis Ap.* Illorum opinio, quos adducto argumento refellit Guyetus, ferebat eatenus octavæ S. Joannis Apostoli tantum tribui Præfationem Apostolorum, quatenus de ea fiebat officium, idque inferebat ex die præcedenti, in quo cum fiat de octava S. Stephani, præfatio diei præscripta est de Nativitate Domini, non autem de Apostolis, licet hanc præ illa, commemoratio ipsa S. Joannis octavæ videretur exigere. Hinc in Annuis Calendariis Parisiorum, in festo S. Genovefæ, quod in die octava S. Joannis solemniter celebratur, assignabat Præfationem Nativitatis, non illam Apostolorum, quia in eo casu de die octava Sancti Joannis Apostoli non fiebat Officium, sed hoc ad simplicem redigebatur commemorationem. Iste dicendi modus sua probabilitate non caret, & a simili procedit ad similia, sed cum sit casus omnino singularis, qui consequenter in exemplum trahi non potest, tu contentus esto sequi sine altera inquisitione dispositionem Rubricæ, quæ dum in die octava S. Joannis assignat Præfationem Apostolorum, consequenter illam quoque præscribit dicendam in festo, quod in eadem die octava alicubi celebretur, in concursu enim plurium Præfationum, lex generalis est, quod illa prævaleat, quæ est propria ejus, de quo alias fieret Officium. Ad id vero, quod superius opponebatur, dicito, quod in die octava S. Stephani dicitur Symbolum, quia per se dictum fuit in eodem festo S. Joannis, infra cujus octavam illa recurrit, non dicitur vero Præfatio Apostolorum, sed magis illa Nativitatis Dominicæ, quia hæc, & non illa dicta fuit in eodem festo S. Joannis, licet postea sua propria Apostolorum Præfatione honorata fuerit dies octava præfati Sancti Joannis, tamquam quę est, & se habet instar festi duplicis, atque solemnis Apostolorum, cui talis profecto competit Præfatio.

XXIX. Reliquum est videamus an in aliis festis, & in quibus dici debet Præfatio Nativitatis Dominicæ, & statim nobis eadem occurrit Rubrica, a qua item dicenda mandatur: *In Purificatione B. Mariæ, & in festo Corporis Christi, & per octavam, nisi in ea occurrat festum, quod proprium habeat Præfationem, & in Transfiguratione Domini*. Dicitur quidem in *festo Purificationis*; quia magis festum Christi est, qui ea die oblatus fuit in Templo, & quadraret etiam admodum diei Sanctissimæ Annunciationis, in quo perfectum fuit ineffabile Dominicæ Incarnationis Mysterium, licet postea quia tale donum non fuit nobis perfecte collatum, nisi ad Virginis partum, Ecclesia Divinum officium ad B. Virginem dirigere putaverit, quæ nedum eo die summam Deiparæ dignitatem, & excellentissima gratiæ dona consecuta est, sed insuper mirabile illud, & inauditum eidem accidit, quod Virgo manens intacta, præter rerum ordinem filium conciperet. In laudatis vero festis aliis, generali ratione, juxta Guyetum lib. 3. cap. 26. q. 4. Præfatio, *quia per Incarnati*, quæ totius Incarnationis Mysterium, suo sensu complectitur, opportuna est, quia sunt festa propria de Christo Domino, in quibus omnibus dicenda ea est in defectu propioris, cujusmodi esse dicebamus Præfationem Crucis, relate ad festa, quæ ad Dominicam Passionem attinent, vel reducuntur. Modo itaque cum Ecclesiæ universali festum Sanctissimi Nominis Jesu reperiatur concessum, addendum erit memoratæ Rubricæ, & prædicta Præfatione donandum, & sic respective præstabunt particulares Ecclesiæ in festis de Præputio Christi, Incunabulis, aliisque id genus, si quæ alicubi sunt instituta.

XXX. Hora est agamus de Præfatione, & *Communicantes* Epiphaniæ, quæ juxta Rubricam, dicuntur *in Epiphania Domini, & per octavam*. Tacet Rubrica super festis, si quæ intra eamdem octavam recurrant, sed continuo subintrat lex generalis superius statuta, quod scilicet, in festis occurrentibus infra octavam dicenda sit Præfatio propria, si hanc habeant, sin Præfatio octavæ. Cum autem dicitur Præfatio sanctorum propria, nihilominus *Communicantes* erit de Epiphania; & hæc dicta item esse volumus de Missis votivis solemnibus, quæ tantummodo locum habent infra hanc octavam. Non desunt nonnulla Missalia Romana, in quibus pro Epiphania habetur item propria oratio: *Hanc igitur*; quæ tamen in aliis generaliter desideratur; quid juris igitur? Jam alias agentes de fonte Baptismali omnino e Romanis Missalibus expungendam eam esse diximus, tamquam perperam in illa invectam, ex particularium Ecclesiarum usibus, quæ in Vigilia Epiphaniæ incumbebant itidem administrationi Baptismatis; Cum tamen Ecclesia Romana id solummodo semper præstiterit in Vigiliis Paschæ, & Pentecostes.

XXXI. Hinc facile habes causam, ob quam in festis Paschatis, & Pentecostes, ultra Præfationem, & *Communicantes*, habetur itidem in missa propria oratio *Hanc Igitur, &c.* in qua mentio fit, & deprecatio de recenter regeneratis sacro Baptismatis fonte: Ad Præfationem Paschę quod attinet, juxta Rubricam, ea cum suo cantu, scilicet solemni, dici debet *a Vigilia Paschæ* (scilicet Sabbato Sancto inclusive) *usque ad octavam, & in Dominicis usque ad Ascensionem & in festis duplicibus, & semiduplicibus, eo tempore occurrentibus, nisi in eis propria assignetur*. Non est itaque dubium, quin Præfatio Paschalis locum habere debeat, & quidem cum suo cantu solemni, in missis omnibus duplicibus, vel semiduplicibus, de quocumque ea sint, de sanctis, vel de tempore, quæ dicendæ occurrunt a prædicto Sabbato Sancto inclusive usque ad Ascensionem Domini exclusive, nisi earum aliquæ habeant Præfationem propriam, vel celebrentur infra octavam habentem propriam Præfationem, quo in casu, jam superius diximus, contra propriam de tempore prævalere propriam sanctorum, vel octavæ. Diximus: *In missis omnibus duplicibus* vel *semiduplicibus*; non quia Præfatio Paschalis dici item non debeat in missis ferialibus, & simplicibus, eo tempore occurrentibus, sed quia ibi loquebamur de Præfatione cum cantu solemni; ubi in missis ferialibus, & simplicibus, dici quidem debet, sed in cantu feriali: Unde ad rem Rubrica præfixa eidem Præfationi exaratæ in cantu feriali: *sequens Præfatio cum suo cantu, dicitur in diebus ferialibus, & festis simplicibus ab octava Paschæ usque ad Ascensionem*; quod tamen intelligi volumus, cum consueta clausula, *nisi propriam Præfationem habuerint*; quæ semper subintelligitur: quantumvis non fuerit apposita.

XXXII. Etsi autem toto prædicto tempore Præfatio Paschalis, ut supra, dici debeat, non tamen iisdem omnino verbis, unde nos monet Rubrica, quod in missa Sabbati Sancti dicatur: *In hac potissimum nocte:* In die Paschæ usque ad Sabbatum in Albis inclusive, *in hac potissimum die*; & deinceps, idest ab octava Paschæ, seu magis a Dominica in Albis inclusive, usque ad Ascensionem exclusive, *in hac potissimum gloriosius*. In Missa Sabbati Sancti dici mandatur, *in hac potissimum nocte*, ut dictum quadraret tempori nocturno, in quo fiebat Missa Sabbati, juxta antiquam Ecclesiæ disciplinam, quia licet modo eadem missa tracta sit ad diem Sabbati, adhuc quamdam servat habitudinem ad nocturnum tempus, in quo fiebat olim. *In hac potissimum die* dicitur in die Paschæ, quia ipsa reapse dies est, in qua Christus vitam nostram resurgendo reparavit; continuatur vero usque ad Sabbatum in Albis inclusive, quia juxta Rituum regulam, ut sæpe diximus, omnes dies octavæ, una eademque dies cum festo computantur; cum autem Dominica in Albis, cum toto tempore, usque ad Ascensionem, ad quam usque prorogatur lætitia Paschalis, sit extra octavam Paschæ, quæ desinit in præfato Sabbato, idcirco merito dici præscriptum fuit, *sed in hac potissimum gloriosius, &c.* quod quadrat admodum præcedentibus ejusdem Præfationis verbis: *Te quidem Domine omni tempore*.

XXXIII. Quæ ut magis pateant, juvat hic cursim nonnulla recensere, quæ ex Grancola nos ipsi tradidimus, agentes de Communio-

munione Fidelium in Sabbato Sancto. Adventante itaque magno Paschatis die in nocte ejusdem Sabbati, circa quartam noctis Vigiliam, post Baptismum, solemniter cum Evangelio de resurrectione secundum Matthæum, cantibus, & signis lætitiæ, Illuminationibus, Turificationibus, Campanarum strepitu, aliisque festivitatis, & publicæ exultationis argumentis dicebatur Missa, quæ ad officium Sabbati non censebatur attinere, sed ad diem Paschatis, propterea cum eadem nocte, tarde admodum ab Ecclesia egrederentur, nonnisi ad eam redibant sub lucis ortum, unde Ordo Romanus apud Thomas part. 30. *eadem nocte sancta, ad vigiliam post Gallorum cantum, matutina luce rumpente tenebras*. Hinc cum nimis tarda esset hora, pro longo officio, & jam nox transisset, nocturnis amplius non videbatur esse locus; quare præmisso mutuo osculo, dicentes *surrexit Dominus*, unum tantum dicebant nocturnum, sicut modo fit per totam octavam, & statim reliquum prosequebantur officium. Non ab hac, sed ab illa Missa, octavam Paschæ ducebant antiqui, quam propterea terminabant ad consimilem Missam, quam faciebant adventante Dominica in Albis, quæ propterea dicebatur *Vacat*, cum de tempore reliquum suppleretur officium. Cum vero postmodum, gravibus de causis prædicta Sabbati Sancti Missa tracta fuit ad nonam, ad nonam similiter subsequentis Sabbati, anticipatus fuit terminus octavæ, & in integrum etiam ad Vesperas successit officium de tempore ex Decreto Gregorii VII. de quo *de Consecratione* dist. 5. cap. 15., quibus tamen minime obstantibus, eidem Dominicæ reliqua remanserunt, tum ejusdem inscriptio; Dominica in octava Paschæ, tum ritus duplex, & denique reliqua ejusdem octavæ.

XXXIV. Ad Præfationem Pentecostes sermonem convertimus, & ea simul cum suo *Communicantes*, & *Hanc igitur* a Rubrica dici mandatur *a Vigilia Pentecostes, usque ad sequens Sabbatum inclusive*; ad cujus nonam compleri, & absoluta censetur hujusmodi octava, sive vero id sit, quia inchoatur officium, ut inquit Amalarius lib. 4. cap. 28. ad nonam præcedentis Sabbati, ad imitationem Cornelii, qui precabatur hora nona, ut se ad accipiendum Spiritum Sanctum præpararet: *Orans erat hora nona*, *Act.* 8. vel quia postmodum, cum ageretur de nocte, ad eamdem nonam tractum fuerit, ut similiter supra dicebam de Paschate; aut quia hæc octava per septem dumtaxat dies fuerit peculiariter instituta, in honorem septem Donorum Spiritus Sancti; seu denique, quia sit reliquia quædam antiquæ consuetudinis Judæorum, qui per septem tantum dies, Pascha celebrabant, Dedicationes, & alias solemnitates. Id certi est, quod Rubrica dici non mandat *noctem sacratissimam*, uti facit in Sabbato Sancto, quod est non leve argumentum Missæ non celebratæ de nocte. Licet nos non dubitemus dicere, quod fortasse id præstitum fuit, quia in Vigilia recitabatur Præfatio diversa a Præfatione diei, & ad *Communicantes* legebatur *diem sacratissimum Pentecostes prævenientes*, uti diserte eruitur ex Sacramentario Sancti Gregorii. Jam vides itaque causam, ob quam, quando eadem Vigilia *præfatione* propria Pentecostes, & suo *Communicantes* donata fuit, nulla noctis mentio remansit.

XXXV. Præfatio itaque Pentecostes cum suo *Communicantes*, recte dici *assignatur a Vigilia Pentecostes, usque ad sequens Sabbatum inclusive*. Et quidem, ut jacet in Missali, scilicet cum *hodierna die* respective *ad diem sacratissimam Pentecostes celebrantes*. In Vigilia, quia ad ejusdem missam modo anticipatur solemnitas ipsa Pentecostes, in reliquis vero diebus, generali illa ratione, quod cum spectent ad ejusdem octavam, censentur una eademque dies cum ipsa festivitate. Nullius alterius festi, in quo dicatur, Rubrica meminit, & reapse in Missali Romano nullum festum est, quod prædictam Præfationem exposcat. Si tamen alicubi de Spiritu Sancto, cujus propria illa Præfatio est, festum haberetur institutum, vel contingeret institui, in eo profecto diei deberet, dummodo sine *Communicantes*, & *hanc igitur*, quæ instar aliorum non prætergrediuntur octavam; quin immo in Præfatione ipsa omitti deberent ea verba *Hodierna die*, quæ prædictis institutis, aut instituendis festis profecto non quadrarent. Hac utique de causa in Præfatione, quæ sub ritu feriali pro missis votivis de Spiritu Sancto, in Missali Romano exarata reperitur, præfata verba omittuntur, & omitti debere etiam in Missis solemnibus, quæ de eodem Spiritu Sancto haberentur, dubitationis ratio nulla relinquitur, licet postea non in cantu feriali, sed solemni cantari deberet.

XXXVI. Succedit Præfatio SS. Trinitatis, cujus Auctorem plurimi faciunt Pelagium Papam II. cum tamen ipse non ediderit nisi quamdam Catholicæ fidei expositionem contra hæreticos, quæ non dicebatur ad Missam, sed quam abjurantes hæresim, & Eclesiam ingredientes, profiteri jubebantur, quemadmodum nos diserte admonet Guyetus lib. 2. cap. 80. ubi insimul nos edocet, quod oratio, & Præfatio de Trinitate, quæ sunt in Sacramentariis Gelasiano, & Gregoriano, aliquanto post adjectæ fuerunt. Prædicta Præfatio juxta Rubricam dicitur *in festo SS. Trinitatis*, & consequenter etiam per ejusdem octavam, ubi hæc celebratur, vel ratione tituli, aut ex particulari concessione. Hujusmodi octava desinit in Dominica infra octavam Corporis Christi, unde simul concurrunt duæ Præfationes propriæ, Nativitatis scillicet & SS. Trinitatis, quæ igitur erit præferenda? Quam superius statuimus, generalis regula quæstionem dirimat, ut videlicet prævaleat Præfatio propria illius, de quo fit, vel fieret officium, si festo alterius ritus non impediretur. Dubium itaque non est, quin in festo Corporis Christi diei debeat Præfatio Nativitatis, uti & in subsequentibus feria sexta, & Sabbato, in quibus ex particulari privilegio fit officium, aut ut supra fieret de eodem Corpore Christi, & non de octava SS. Trinitatis, ut suo loco vidimus, atque statuimus. Quoniam vero in eadem Dominica infra octavam, ratione ritus prævalet officium SS. Trinitatis, aut prævaleret in casu, in quo in eadem fieri contingeret de festo aliquo duplici primæ, vel secundæ Classis, idcirco dici deberet Præfatio ejusdem SS. Trinitatis, & non illa Nativitatis.

XXXVII. Quæ Trinitatis Præfatio non tamen est ita eidem alligata festo, ut dici item non debeat in missis votivis de SS. Trinitate, in cantu quidem solemni sicuti fit in festo, si missæ solemniter, aut pro re gravi celebrentur, in cantu autem feriali, sub quo pro missis votivis in Missali Romano adhuc exarata reperitur, si privatim habeatur. Idipsum dicito, si alicubi habeatur festum aliud, vel alio die de SS. Trinitate institutum, uti in Ecclesia Senonensi, & in nonnullis aliis Regni Galliarum, in quibus idem Trinitatis SS. Festum in Dominica, quæ Adventum anteit, quoque solemne habetur. Hoc volumus quoque extendas ad officia quæcumque, quæ vel ratione tituli, vel titulo legitimæ consuetudinis, aut particularis concessionis, alicubi celebrantur de Æterno Patre, Unigenito ejusdem Filio, aut re, vel attributo Divino, ut olim Constantinopoli de *Sancta Sophia*. Si enim demas Spiritum Sanctum, eaque, quæ ad ipsum spectant, seu appropinquantur, quibus dubium non est Præfationem Pentecostes aptius convenire, profecto Præfatio non est, quæ iisdem festis magis quadret, quam hæc de qua sermonem habemus, SS. scilicet Trinitatis. Diximus etiam *de Unigenito ejusdem Filio*, quia licet hic multas proprias habeat jam Præfationes, quoniam tamen eædem omnes, ad Redemptionis spectant mysterium, aptæ non videntur, quæ in Festis dicantur, quæ non ad Redemptionem, aut ad temporaneam Christi, sed ad æternam Filii generationem spectant.

DECRETUM V.

XXXVIII. *Quando per annum fit apud Privilegiatos officium de Immaculata Conceptione; vel sub alio titulo, vel de S. Maria in Sabbato, vel de SS. Sacramento, si dicatur aliqua Missa votiva, non habens Præfationem propriam, Præfatio debet esse de Communi, vel de tempore, si tunc specialis dicatur, non vero ea quæ est conformis officio, sed servetur Rubrica generalis tit. 12.* S. R. C. 16. Junii 1708. *in Parisien.* Præfationem Deiparæ Mariæ arripientes, a Rubrica edocemur, quod solo excepto festo Purificationis, in quo Præfatio, ut nos ipsi superius dicebamus, Nativitatis Domini est demandata, *illa dici debet in festis omnibus B. Mariæ, & per eorum octavas, etiam in festis infra eas occurrentibus, si propriam non habuerint*. Hæc in similibus jam a nobis fuerunt satis exposita, unde gradimur adnotare, quod quidem eadem semper Præfatio dici debet, sed cum, *& te in Annunciatione, vel Visitatione, Nativitate, Præsentatione &c.* respective secundum denominationem festi, ut habet Rubrica, quæ novissimis hisce temporibus addidit, *vel solemnitate*, ob festum Beatæ Virginis de Rosario Ecclesiæ Universali concesso, quod cum inscribatur solemnitatis titulo, sic merito in Præfatione exprimitur, *& te in solemnitate* secundum festi ipsius denominationem. Dubium tamen esse non potest, quin adhuc Rubrica hujusmodi manca sit, & trunca, eidem enim addi debet, vel, *in transfixione*, pro festo B. Mariæ septem Dolorum; vel *in commemoratione*, pro festo S. Mariæ de Monte Carmelo, uti notatur in eorum Missis universo Romano Clero recitari præceptis: Et quidem merito *secundum denominationem festi*, quorum primum etsi festum septem Dolorum vulgariter nuncupetur, re tamen vera nobis recolendam objicit transfixionem cordis Deiparæ doloris gladio: Secundum vero sub ipso *Commemorationis* titulo fuit concessum, atque inscribitur.

XXXIX. Quæ Rubrica a statuta generali mox abit regula, dum subdit, quod in dedicatione Sanctæ Mariæ ad Nives dici debet, *& te in festivitate*, & idipsum dicendum quoque addidit in festis SS. Nominis B. Mariæ, & Sanctæ Mariæ de Mercede, statim ac officia hujusmodi ad universam Ecclesiam fuerunt extensa. Si exceptionis exposcis causam, eam statim esse dicimus, ac generalem firmamus regulam, quod semper ea ratio debet exprimi in Præfatione, quæ a denominatione festi desumitur, & poni solummodo generalis illa, *& te in festivitate*, quando denominatio a qualitate festi deprompta, vel absurdum reddit sensum, aut non rite quadrat eidem Præfationi, uti reapse evenit in exemplis productis. Hinc facile est eruere, quod in festis particularibus, puta *Desponsationis, & Expectationis*, respective dici debet, *& te in desponsatione*, vel *expectatione*. In festis vero Patrocinii, & Translationis Domus Lauretanæ, *& te in festivitate*, & sic in similibus aliis festis.

XL. Rubrica, quæ Præfationi Deiparæ sub canto feriali exaratæ præfigitur, de Missis votivis ejusdem B. Virginis Dei Genitricis, sic simpliciter, & absolute reperitur disponere: *Sequens Præfatio cum suo cantu dicitur in Missis Votivis de Beata Maria*; Quare cum eadem Præfatio teneat, *& te in Veneratione*, in consequentiam venire videtur; quod ita dici debeat in Missis omnibus Votivis B. Mariæ de quocumque ejusdem Mysterio, vel titulo eæ celebrentur. Verum distinctione hic nos opus esse credimus; vel enim sermo est de Missis, quæ de B. Maria non sub particulari titulo, aut Mysterio, sed simpliciter, & absolute dicuntur, & tunc verum est, quod in iisdem omnibus dici debet, *& te in veneratione*; de his namque procedit Rubrica, videlicet de quinque Missis, quas de B. Maria inter Votivas Missale recenset, pro temporis varietate dicendas, & concordat Rubrica in prima earumdem Missarum posita, quæ assignata eadem Præfatione cum versu, *& te in veneratione*, subdit continuo, *quæ dicitur & in sequentibus*

tibus

tivis Missis de Sancta Maria. Dubium item non est, quod Rubrica, sub earumdem Missarum Votivarum titulo similiter comprehendit Missam Sanctæ Mariæ, in Sabbato, quæ de B. Maria simpliciter, & absolute est similiter instituta, & licet reapse ea Missa Votiva non sit, quia cum officio concordat, Votiva tamen ab Auctoribus nuncupatur, quia ab Ecclesiæ Voto originem trahit; quæ profecto ex eo dicere cogimur, quia alias Rubrica manca foret, & trunca, non disponendo de Missa Sanctæ Mariæ in Sabbato, cujus correspondens officium reperitur in Romano Breviario; novissime tamen dubitatio quælibet e medio sublata fuit, quoniam eidem Rubricæ additum extitit, *& in Sabbato*, videlicet dicendam eamdem Præfationem in Missa, quando fit de Sancta Maria in Sabbato.

XLI. Ast si Missæ votivæ de aliquo particulari Mysterio, aut titulo ejusdem B. Mariæ fuerint; tu ne minimum quidem dubita in iisdem Præfationem propriam dicere, qualis dici debet in festo; unde exempli gratia cum versu *& te in Annunciatione, aut Transfixione* si missæ fuerint de Annunciatione, vel de B. Maria septem Dolorum. Rubrica namque Generalis tit. 12., quæ per præsens Decretum servari mandatur, aperte præscribit *in Missis votivis dicendam esse Præfationem propriam, si propriam habeant*. Præfatio autem propria Annunciationis utique non est Præfatio B. Mariæ cum versu, *& te in Veneratione*, sed magis cum versu, *& te in Annunciatione*; cum versus ille eam distinguere faciat a Præfatione Deiparæ, sub quocumque alio Mysterio, vel titulo celebratæ. Concordat Missa festi septem Dolorum in Missale Romanum novissime inducta, dum notat quidem particularem orationem, si votivam illam fieri contingat, sed penitus silet super versum, *& te in Transfixione*. Argumentum utique validum, quod nihilominus talis versus in Præfatione servari debet.

XLII. Quæ volumus ita limites, ut universim quidem vera sint, dummodo versus, qui in festo dicitur, quadret etiam missæ votivæ, quæ debet celebrari. Unde in missis votivis de iis festis, in quibus dicuntur versus, *& te in festivitate, aut solemnitate*, hi versus nequaquam erunt dicendi in Votivis Missis de iis festis, alias falsa subesset enunciatio, cum nulla agatur in Votivis Missis de B. Maria solemnitas, aut festivitas. In his ergo casibus valde erit appositus versus generalis, & veluti communis ille, *& te in veneratione*; qui, ut vel leviter consideranti patebit, de missis omnibus B. Mariæ Votivis generaliter aptissimus est convenire.

XLIII. Reliquum dumtaxat est agamus de iis officiis B. Mariæ (de quibus nos alias sub nomine Votivorum jam fuse egimus) quæ ex particulari Indulto per annum, præsertim Regularibus ordinibus concessa sunt recitari: cujusmodi sunt, quæ recenset Decretum, videlicet de Immaculata Conceptione, vel sub alio titulo, puta de SS. ejusdem Nomine, aut de B. Maria septem Dolorum, aliisque similibus, & dubium non est, quin dici debeat respective, ut supra, competens Præfatio, uti indirecte præsens statuit Decretum, dum eamdem per ea verba, *non vero ea, quæ est conformis officio*, denegat Missæ Votivæ, quam iisdem diebus fieri contingeret. Ex eo autem quod subdit idem Decretum, *vel de Sancta Maria in Sabbato*, nollem inferas, quod privilegio necesse sit, ut fiat de Sancta Maria in Sabbato, ibi enim sermo est de eodem officio, sub semiduplici ritu particulariter nonnullis concesso, ceterum sub Ritu simplici officium est Breviarii Romani, cui Romanus Clerus incumbere potest, & debet, prout Romanæ ferunt Rubricæ.

XLIV. De hujusmodi officiis adhuc lubet quamdam excitare quæstionem, videlicet num eorumdem illa, quorum festa principalia peculiarem non habent versum, sed generalem illum tantum, *& te in festivitate, vel solemnitate*, eumdem versum assequi possint, & debeant, vel alium, & quem. Si prima fronte res decidenda foret, jam videretur supervacaneam esse hujus propositionis quæstionem, seu quæstionis hujus propositionem; quia jam superius nos diximus, in eorumdem festorum Missis Votivis versum *& te in veneratione*, esse dicendum; sed satis dispar ratio est, nam ibi bene quidem, quia nullum agitur festum, aut solemnitas, seu officium de B. Maria, vi cujus sustineri queat præfatus versus, *& te in festivitate, aut solemnitate*, quæ non celebratur. In præsentiarum autem non ita, quia Missa votiva non est, sed festiva, utpote quam concomitatur officium, & officium sub ritu semiduplici, vel duplici recitari concessum. Accedit, quod hujusmodi officia reapse non sunt nisi repetitio festi, unde si ita in festo, cur non in hujusce rationis officiis? Nonne hac eadem de causa continuatur per octavas? Rem denique penitus dirimere videntur Decreta, quæ ut alias dicebamus, in hujusmodi officiis ad octavam benedictionem, nihilominus dici præscribunt, *cujus festum colimus*, &c.

XLV. Guyetus quoque lib. 3. cap. 2. q. 6. in simili quæstionem hanc pertractat, atque resolvit loco *solemnitatis*, vel *festivitatis*, subrogandam esse, *memoriam*, vel *commemorationem*, & reapse Eremitæ Augustinienses hujusmodi officia intitulant *Commemorationis* nomine, quod propterea & nos in casu, de quo agitur, substituendum esse putamus; neque enim eadem est ratio, ac de octavis, quæ nedum sunt repetitio, sed etiam festi ipsius continuatio, ac, juxta Rituum regulas, pro uno, eodemque festo reputantur. Quis autem id diceret de prædictis officiis? Sane iisdem officiis *solemnitatis* vel *festivitatis* nomen apte convenire non posse videtur, & adeo semper visum fuit, ut reperiri non sit Religionem aliquam, vel nationem, quæ tali titulo ea umquam inscripserit, vel idem nomen in orationibus retinuerit. Ad id autem, quod subjungitur de octava benedictione, jam suo loco diximus, quod ibi *festi* nomen stat pro officio; quo in sensu, cum non quadret Præfationis textui, idcirco hocce loco dicendum non est.

XLVI. Idipsum nos magis collaudaremus fieri in missa Sanctæ Mariæ in Sabbato, ubi sub ritu duplici, vel semiduplici, una cum officio concessa est recitari. Neque enim tunc in missarum votivarum classe remanet, ut retineri in Præfatione necesse sit versiculum, *& te in veneratione*, cum quo recitari indictum esse superius dicebamus. Si quis autem acriter contendere vellet, retinendum adhuc esse eumdem versum, nos magis cum suæ opinioni putamus deferere, quam super hoc peculiarem quæstionem instituere.

XLVII. Hora est properemus ad expositionem Decreti, cujus summa est, quod qui recitat officium propriam habens Præfationem, si ea die celebret missam votivam de aliquo alio Sancto, non debet dicere Præfationem conformem officio, sed Præfationem propriam Sancti, si eam propriam habeat; ut enim alias diximus, Præfatio propria semper prævalet contra quamcumque aliam. Quod si Sanctus, de quo missa votiva dicitur, propriam non habeat Præfationem, subintrat Præfatio octavæ, si hæc propriam sortiatur, & Missa votiva infra aliquam octavam dicatur; si vero missa non celebretur infra aliquam octavam, aut octava careat propria Præfatione, succedit Præfatio de tempore, si tunc specialis dicatur; sin Præfatio communis, numquam vero Præfatio, quam officium exigit, quod recitatur. Videamus modo quid statuat Rubrica, quæ per Decretum servari mandatur. *In missis votivis dicitur Præfatio propria, si propriam habeant; si vero non habeant, dicitur Præfatio de tempore vel de octava, alioquin Præfatio communis.* In hac autem reapse, nec minimum quidem verbum habetur de Præfatione festi, in quo missa votiva potest haberi, cum tamen Rubricarum Auctor probe noverit casum evenire facilem, quinimo ipse commemorationem festi, seu officii, in eadem missa demandaverit: Validum utique argumentum ad comprobandum quod nullam ipse voluerit habendam esse rationem de Præfatione, si forte officium propriam eam habeat.

XLVIII. In contrarium sensit Tonellius lib. 2. cap. cen. num. 29. & ejusdem lubet hic præcisa verba referre, cum contineant rationem ipsam, cui in sua assertione innititur: *secus, si Sabbato, quando recitatum est officium B. Mariæ, celebratur missa votiva de aliquo Sancto; tunc enim secunda Oratio erit de B. Virgine, & de eadem dicetur Præfatio, nisi missa votiva habeat propriam, quia illa est Præfatio conveniens illi diei, & non potest assignari ratio, cur debeat fieri Commemoratio de B. Virgine, & non dici de eadem Præfatio.* Verum undique claudicat, seu labat opinio ejusmodi, neque rationes, quibus innititur eam tueri valent ad nixum duorum Decretorum, præsentis nempe, uti superius diximus, nec non alterius de die secunda Decembris 1684. procedentis in casu, quem Tonellius proponit. En Decretum.

DECRETUM VI.

Qui in Sabbato recitat officium de B. Maria Virgine, volens celebrare missam votivam de aliquo Sancto, non debet dicere Gloria, neque Præfationem B. Mariæ Virginis, sed communem. S. R. C. 2. Decemb. 1684. in una Canon. Regul. Lateranen. In hoc equidem Decreto apparet efficacissima ratio auctoritativa, valens; omnesque in contrarium alias adductas satis superque infirmans, destruens, annullansque. Hinc.

XLIX. Ad primam ejusdem Auctoris rationem dicimus, quod Præfatio nulla per se convenit diei, sed solummodo per accidens, hoc est juxta qualitatem festi, quod in eo occurrit, seu magis missæ, quæ in eo celebratur; ex se namque quilibet Hebdomadæ dies omnino indifferens est ad quamlibet suscipiendam Præfationem, juxta varietatem officiorum, quæ in ipsis vel contingunt, vel fixa sunt, celebranda; quænam autem magis quam altera sit dicenda, solæ Rubricæ quæ officii, & missæ sunt leges, decidere possunt. Rubricæ autem cum nullibi statuant, quod in missis votivis, quæ propriam non habent Præfationem, dici debeat Præfatio propria illius, de quo in missa fit Commemoratio, hinc patet, etiam ad rationem alteram. Et quidem infra octavam dicitur in missa festi occurrentis, si propriam non habeat, Præfatio octavæ, tametsi nulla octavæ facta fuerit commemoratio: ergo ab opposito poterit commemoratio fieri absque Præfatione; ut videre est cum dicitur in missis secunda oratio de B. V., quæ de mandato Rubricæ in nonnullis ponitur, hæc utique, etsi de toto rigore commemoratio non sit; se tamen adinstar commemorationis habet, & tamen in missam ipsam non invehit ejusdem Deiparæ Præfationem. Cur autem secunda B. Virginis Mariæ dicatur oratio, & non Præfatio, ea ratio facit, quod lex Rubricarum generalis est, quod in missis votivis saltem non solemnibus primo loco fiat commemoratio ejus de quo fit officium, non item, quod ejusdem dicatur Præfatio. Addo quod Rubrica præfixa Præfationibus omnibus, disponit quidem, quod dici debent in festis omnibus, puta B. Mariæ, non tamen etiam in festis, seu missis, in quibus ejusdem B. Virginis Mariæ fit commemoratio. Nec quidpiam officit octavarum exemplum, quod cum suam Præfationem ex se festis communicet, tametsi nulla ejusdem commemoratio fiat, ubertim denotat id haudquaquam fieri ratione commemorationis, sed alia de causa.

L. Ad rem S. R. C. sequens decisio ad dubium Reverendissimi Varmiensis Episcopi sub his verbis recenter expositum.

DECRETUM VII.

An in festo Sancti Hyacinthi Confessoris Ordinis Prædicatorum Regni Poloniæ Patroni Principalis, quod ex concessione S. R. Congregationis die 25. Septembris 1723. emanata ritu duplici primæ Classis cum octava Dominica infra octavam Assumptionis B. Mariæ Virginis in Polonia celebratur, in ejusdem Sancti Confessoris officio Hymni ad Horas terminari debeant, Jesu tibi sit gloria, & an in missa debeat dici Præfatio B. Mariæ Virginis, quamvis juxta Rubricam generalem Breviarii, & Missalis Romani in festis ritus duplicis primæ Classis, nulla diei infra octavam fiat commemoratio.

Et S. eadem Congregatio ad relationem mei infrascripti Secretarii, loco Em., & Reverendissimi D. Card. Guadagni Ponentis, censuit rescribendum affirmative; & ita declaravit die 29. Novembris 1755.

M. Marefuscus S. R. C. Secretarius.

Ex hac S. R. Congregationis decisione non obscure eruitur, quod juxta Rubricas nulla intercedit connexio inter octavæ commemorationem, ac Præfationem, & consequenter, quod una potest haberi in missa sine altera; & hæc sanctio nihil recedit a regula Rubricarum generali, juxta quam omnibus festis occurrentibus infra octavas, cujuscumque ritus sint, si non habent præfationem propriam, decernit Præfationem octavæ propriam, etiamsi ipsius octavæ in eorum missis non sit facienda commemoratio.

LI. Ex his resolutum remanet dubium etiam quoddam, quod juxta modernam Ecclesiæ disciplinam, quæ sanctos, qui in fine anni supersunt, in sequentem annum non transfert, sed in diebus suæ occurrentiæ per simplicem explet commemorationem, & celebrat, uti S. R. C. declaravit, ad hunc dubium sub his verbis expositum.

DECRETUM VIII.

An sancti, de quibus in toto anni decursu celebrari non potuit, transferendi sint ad annum sequentem, vel potius eo anno sint omittendi? Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Eminentissimi, ac Reverendissimi D. Cardinalis Bellugo, respondit Sanctos, qui in fine anni supersunt, non esse ad annum sequentem transferendos, sed quoties toto anni decursu de illis celebrari non valeat, tunc illo anno, diebus eorum propriis considerandos esse, tamquam simplices, faciendo illorum commemorationem, ut fit in semiduplicibus, cum nona lectione ad matutinum, composita ex omnibus eorum lectionibus propriis secundi nocturni, admodum unius, & ita declaravit, & servari mandavit. S. R. C. 26. Novembris 1735. in una Hispalen. &c.

Hinc facile occurrere potest. Num nimirum, si tale festum propriam habeat Præfationem, illam communicare debeat missæ illius festi, in quo per simplicem sui expletur commemorationem. Sit exemplum: Festum expectationis partus Beatæ Mariæ incidit in Dominicam quartam Adventus, & cum in sequentibus anni diebus nullam earum vacuam reperiat, in qua reponi valeat, expletur per simplicem commemorationem in officio, & missa ejusdem Dominicæ. Hinc exurgit dubium, num sicuti in missa Dominicæ fit commemoratio Expectationis Partus, ita in eadem quoque dici debeat Præfatio dictæ Expectationis, an magis Præfatio illa, quæ jam in ea Dominica diceretur, si minime commemoratio præfata fieret; resolutum, inquam, ex supra dictis remanet item dubium hoc, nam cum idipsum quoad Præfationem omnino statuat Rubrica, quæ disponit de missis festivis, ac illa quæ de votivis eadem utique debet esse dispositio, atque judicium, perbella hic insurgit quæstio dirimenda; num scilicet, salva prædicti S. R. C. Decreti sanctione de non transferendis ultra annum festis, possit exempli gratia supradictum festum Expectationis partus ad mensem Januarium sequentem transferri, casu quod incidat in Dominicam quartam Adventus. Hujus quæstionis ratio dubitandi est, quia ad servandam temporis æqualitatem, seu distributionem pro Sanctorum officiis, ac festis celebrandis, videtur quod vi prædicti Decreti unius saltem anni spatium cuique festo pro ejus celebratione debeat assignari, & consequenter, quod in dicto casu, sicut & in omnibus aliis, principium anni non a Januarii mense, sed a die festi sit mensurandum, seu computandum, uti quidam Matritensis Religiosus Angelopolitanæ Diœcesis in Indiis Occidentalibus, in Kalendario Typis dato, adnotavit. Alias breve admodum tempus pro ejus translatione superesset, & arctum nimis spatium præfixum existeret pro tanti festi celebratione. Verum enim vero, cum Capitulum, & Canonici Ecclesiæ Cathedralis Angelopolitanæ dubium hoc Sacræ Congreg. resolvendum exhibuerint; Sacra eadem Congregatio, damnata memorati Religiosi Matritensis vana interpretatione, Capitulo, & Canonicis supra dictis respondendum censuit.

DECRETUM IX.

Decretum diei vigesimæ sextæ Novembris 1735. esse intelligendum de anno vulgari, & communi, qui a Kalendis incipit Januarii, & ita declaravit die 30. Augusti 1755.

Neque enim festorum dignitas, & excellentia, ex majori, vel minori temporis spatio, quo transferri possint, pensanda est, sed magis ab altiori, vel inferiori ritu, sub quo per se, in propriis respective diebus celebranda decernuntur.

DECRETUM X.

LII. *In missa feriæ quartæ quatuor Temporum occurrentis in die octava Nativitatis B. Mariæ Virginis, dicenda est Præfatio communis, non vero de Beata Maria.* Sac. Rit. Congreg. 12. Decembr. 1626. Ex Decretis hoc est, quod in Regestis S. R. C. non reperitur, quoniam tamen tamquam authenticum illud refert Gavantus part. 1. tit. 12. nu. 2. litt. C. & part. 4. tit. 15. nu. 15., ac etiam in Manuali verbo *Missæ Ritus*, nu. 23., & eo sine ulla dubitatione utuntur Bauldryus part. 3. cap. 7. tit. 12. num. 1., Arnaud. tract. 1. part. 1. tit. 10. num. 2. & part. 4. tit. 15. num. 12. Bissus Tom. 2. Verbo *Præfatio* num. 183. §. 3. Eleucatus *de Sacrificio Missæ*, Dec. 21. atque Pitart. part. 1. tit. 12. tr. 2. Idcirco indignum haud nos illud reputavimus, quod præmissa Lectoris admonitione, in hæc nostra induceretur Commentaria, & maxime, quia non tenet, nisi quod conforme est, ac consentaneum Rubricis, aliisque decisionibus, & Auctorum sententiis.

LIII. Quæ priusquam demonstrare progrediamur, Lectorem monitum insuper volumus, quod modo sermo non est de incidentia feriæ IV. Quatuor Temporum in diem aliquam infra octavam, de quo casu in sequenti Decreto reservamus agere, sed de incidentia ejusdem in diem octavam. Hac autem monitione præmissa, dubitari non potest de præsentis conformitate Decreti cum decisionibus aliis, nempe cum Decreto S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einsidlen.* in quo diserte statuitur, quod si feria IV. temporum occurrat in die octava Conceptionis, omnes missæ privatæ dicantur de octava cum commemoratione feriæ, sicuti & missa solemnis post tertiam, sed hæc sine commemoratione feriæ, quia de ea cantari debet alia missa post nonam sine commemoratione Conceptionis, cum orationibus assignatis in ipsa feria, *& cum Præfatione communi.* Quæso quid unquam ad rem clarius dici, vel statui potest?

LIV. Rubricis id conforme item esse ipsæ ostendant Rubricæ, quarum duæ producuntur, generalis una, particularis altera: firmat prima tit. 3. de fer. num. 1. quod si festum duplex, vel semiduplex, aut octava, simul occurrant cum feriis Quadragesimæ, quatuor Temporum, Rogationum, vel Vigiliarum, duæ cantari debent missæ una de festo, vel octava post tertiam, alia de feria post nonam; lex autem generalis est, quod quoties duo cantantur Missæ, utraque fiat sine alterius commemoratione, & ea festi, seu octavæ cum Præfatione propria, si eam habeat, illa vero feriæ cum suis orationibus, & Præfatione communi, seu de tempore, per inde ac si non cantaretur in die, in qua occurrit festum, aut dies octava propriam habens Præfationem. Hinc mox laudatum Decretum dum definit in missa feriæ faciendam non esse commemorationem octavæ, & sine hujus Præfatione explendam, rite in rationem adducit: *cum de ea cantari debeat alia missa post nonam.* Rem adhuc magis elucidat, & extra omnem dubitationem collocat Rubrica particularis, in die octava Conceptionis novissime inducta, hæc enim aperte statuit, quod si in eadem die octava incidat feria quarta Temporum, duæ missæ cantari debent, & illa feriæ cum Præfatione communi.

LV. Ad Auctores quod attinet, id sentit Guyetus lib. 4. cap. 3. qu. 1. Gavantus part. 1. tit. 12. num. 2. litt. E. aliique, ut supra, & ut uno verbo ab eorumdem allegatione me expediam, itidem opus est fateantur Auctores omnes, quotquot præsenti Decreto, ut supra, utuntur, & tamquam legitimum, & authenticum illud agnoscunt. Quæ dicta intelligo, nedum de feriis quatuor Temporum, in diem octavam occurrentibus, de quibus directe disponunt allegatæ sanctiones, sed etiam de feriis Quadragesimæ, (apud privilegiatos, qui tunc temporis octavas celebrant) Rogationum, & Vigiliarum, de quibus sicuti eadem procedit ratio, ita & dispositio.

DECRETUM XI.

LVI. *Tempore autem Passionis, quando contingat fieri officium de infra octavam, unica pariter cantari debet Missa de feria, cum commemoratione diei infra octavam, & Præfatione de octava, si habeatur propria, ut dictum est de octava Conceptionis.* S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einsidlen.* Ad pleniorem explanationem Decreti, cujus dumtaxat fragmentum, nos ad rem, de qua agitur, contenti sumus producere, operæ pretium est, cursim saltem recensere ea, quæ præcedenter idem statuit Decretum, & etiam a nobis alibi, tamquam in opportuniori loco, fuerint exposita. Firmat itaque primo, quod in occursu Vigiliæ, aut feriæ quatuor Temporum, infra aliquam octavam, huic debeatur officium, non tamen missa, & ne quidem una, sive lecta, sive cantata, sed quod missæ omnes dicendæ sunt de Vigilia, aut feria, cum secunda oratione octavæ, & ne minimum quidem verbum habet de Præfatione, quæ in his missis dicenda sit, num de octava nempe, vel de communi.

LVII. Secundo in oppositum omnino statuit de die octava, in quam si incidant Vigiliæ, aut feriæ quatuor Temporum, diei octavæ tribuit missas omnes privatas cum commemoratione feriæ IV. Temporum, & insuper missam unam solemnem cantandam post tertiam, sine commemoratione feriæ, & prædictis vigiliis, aut feriis dumtaxat attribuit missam solemnem alteram cantandam post nonam sine commemoratione octavæ, & in hac diserte statuit dicendam esse Præfationem communem, non vero illam octavæ, etsi propriam habeat.

LVIII. Tertio idipsum esse asserit apud privilegiarios, qui

octavas celebrant in Quadragesima, ita ut in die octava, missas, ut supra, de octava facere debeant, & unam solummodo de prædictis feriis. In diebus vero infra octavam, missæ, ut supra, omnes sint de iisdem feriis, ne quidem cantata una de die infra octavam, etsi de hac fiat officium. Ad Præfationem denique quod attinet, nihil positive disponit, sed quoniam *idem servandum esse* asserit, hinc fieret, quod in missa feriæ, quæ cantatur in die octava, dici deberet Præfatio communis, quæ superius eidem data est, in occursu cum die octava Conceptionis; quoniam vero in casu occurrentiæ prædictarum feriarum cum diebus infra octavam Conceptionis, nihil in superiori parte Decreti habetur dispositum circa Præfationem, ita nihil dispositum remaneret circa Præfationem dicendam in missis feriarum Quadragesimalium occurrentium in diebus infra octavam.

LIX. Quarto descendit ad casum feriarum temporis Passionis occurrentium cum diebus infra octavam, inquiens, *Tempore autem Passionis*; cujus reliqua dispositionis verba supersedemus dare, cum præsens supra positum efforment Decretum. In hoc itaque, per ea verba: *Quando contingat fieri officium de infra octavam*, aperte definitur, quod officium quidem fieri debet de diebus infra octavam, sed cum continuo subditur, *Unica pariter cantari debet Missa de feria, cum commemoratione diei infra octavam*: non minus dilucide designatur, quod non debent cantari duæ missæ, una de die infra octavam, altera de feria, sed quod missæ omnes, sive privatæ, sive cantatæ, debent fieri de feria, cum commemoratione diei infra octavam, quemadmodum superius statutum fuit de feriis IV. Temporum occurrentibus in diebus infra octavam Conceptionis, & nos alibi diximus, & dispositionis fundamenta dedimus. *Et Præfatione de octava, si habeatur propria, ut dictum est de octava Conceptionis*, sunt postrema Decreti verba, per quæ edocemur, quod in prædictis missis ferialibus, quæ habentur infra octavam, dicenda non est Præfatio communis, aut de tempore, uti fit quando eædem missæ celebrantur in die octava, sed Præfatio ipsius octavæ, quatenus hæc propriam habeat Præfationem, & hæc est discriminis ratio, quod in casu diei octavæ, perinde ac fit in festis, cantantur duæ missæ, in quarum altera, tum dies octava, tum feria sibi respective propria consequitur; in casu autem diei infra octavam, cum non cantentur duæ missæ, sed missæ omnes sint de feria, ad hoc ut dies infra octavam, de qua fit officium, penitus non negligatur quoad missam, necesse est, quod ex missis octavæ, & feriæ fiat veluti una, seu potius, quod missa octavæ, quæ cedit, ob rationes alibi adductas, missæ feriali, ea communicet, quorum capax est, cujusmodi sunt commemoratio, & Præfatio, non hymnus Angelicus, aut Symbolum.

LX. Digna, quæ ponderentur, sunt ea Decreti verba, *ut dictum est de octava Conceptionis*, cum tamen in superiori parte Decreti ne minimum quidem verbum habeatur de Præfatione octavæ, dicenda in missa feriali cadente infra eamdem octavam, quid igitur? Indubie dicendum est, quod mendum irrepsit in exaratione Decreti, adeoque tu id ibi intellige perinde, ac si foret expressum, quæ ita esse, sicut nos modo dicimus, dubitare non sinit particularis Rubrica posita in novo Missali sub die 14. Decembris, in qua fit officium de septima die infra octavam Conceptionis. *Si hodie occurrat feria quarta quatuor Temporum, missæ dicuntur de feria, cum commemoratione octavæ, & tertia oratio erit de Spiritu Sancto, cum Præfatione de octava.* Hinc generalis infertur Regula, in feriarum, & Vigiliarum missis, quæ infra octavam celebrantur, dicendam esse Præfationem de octava, si hæc eam habeat propriam, & solum eam, quæ *communis* dicitur, quoties eædem missæ incidunt in diem octavam, aut festum aliquod duplex, vel semiduplex.

LXI. Ruit igitur sententia Gerlaci Vinitoris, qui par. 1. tit. 7. §. 3. præfatis feriarum missis Præfationem communem, etiamsi incidant infra octavam habentem Præfationem propriam, semper, & indiscriminatim attribuit. Hunc propterea rite confutat Meratus part. 1. tit. 3. nu. 5. Qui postea in eo fallitur, quod in oppositum sentire videtur, quoties tempus propria gaudet Præfatione; scribit enim part. 1. tit. 12. nu. 7. *quod in iisdem missis, quæ dicuntur infra aliquam octavam currentem in Quadragesima, dicenda est Præfatio Quadragesimæ, licet octava propriam habeat.* Præsens quippe Decretum dum stabilit in prælatis missis tempore Passionis, quod tamquam propriam habet Præfationem *Crucis*, dicendam esse Præfationem octavæ, idipsum consequenter in Quadragesima, & quibuscumque aliis similibus casibus faciendum esse demonstrat. Ad rem autem ea ratio facit admodum, quod, ut superius diximus, Præfatio temporis non est Præfatio propria officii, seu missæ ferialis, aut Dominicalis, ut propterea prævalere debeat contra quamcumque aliam, sed se habet instar Præfationis communis pro eo tempore, unde quidem dici debet in missis omnibus, quæ eo tempore celebrantur, sed cum consueta clausula, dummodo eædem missæ propriam non habeant Præfationem, aut non celebrentur infra octavam, quæ propriam habeat Præfationem; & magis adhuc dicendum est, quod minus recte opinatus fuerit Meratus, dum pro sua sententia allegavit Guyetum lib. 4. cap. 3. qu. 2., cum tamen celeberrimus hic Auctor nihil ejusmodi ibidem teneat, sed solum loquatur pro casu, in quo ultra missam festi, cantatur missa altera de feria, ut melius consultus idem Meratus postea adnotavit part. 3. tit. 11. nu. 4. ubi pro defensione Guyeti, a Pittono pariter, ut ait ipse, contrariam sententiam tenente, pro se citati, ait: *Sed Auctor iste non loquitur nisi de Missa illa conventuali feriæ, in qua nulla fit commemoratio octavæ, & quæ dicitur post aliam Conventualem octavæ.*

LXII. Quod si aliqua ex prædictis feriis, aut Vigiliis, quidem incidat in diem infra octavam, sed simul occurrat festum aliquod duplex, vel semiduplex, tunc duo cantantur Missæ, una nempe de festo post tertiam, & altera de feria, aut Vigilia post nonam; & quoniam in Missa festi fit commemoratio octavæ, sic dicitur etiam ejusdem Præfatio, nisi festum occurrens proprium habeat pariter Præfationem. Missa vero feriæ, aut Vigiliæ cantatur sine commemoratione octavæ, & cum Præfatione communi, & non ejusdem octavæ, perinde ac si minime infra octavam occurreret; huc usque autem tradita procedunt de casu incidentiæ in diem infra octavam communem, & ordinariam, sed secus est si sermo fit de octava privilegiata, cujusmodi est octava Corporis Christi; cum enim hæc id habeat privilegii, ut pellat festum semiduplex occurrens, & respuat quoque duplex minus, & majus translatum, instar se habet festi quasi duplicis, aut semiduplicis ad minus, & consequenter duæ, ut supra, cantandæ sunt Missæ, ac propterea illa Vigiliæ sine Præfatione, & commemoratione octavæ. Idem judicium facito de octava qualibet privilegiata, cujus rationis est in Breviario Romano octava Epiphaniæ, & in Breviario Augustiniensium octava Sancti Patris Augustini.

LXIII. Hinc facile est eruere quænam Præfatio dicenda sit in missa litaniarum Sancti Marci, de quibus cum cantatur distincta missa ab ea ejusdem Sancti Marci, consequenter in ea locum habet Præfatio Paschalis, quæ communis est pro toto Paschali tempore, & id verum est, licet simul occurreret dies aliqua octava, vel infra octavam communem, & ordinariam, quia, quæ ad octavam spectant, explenda forent in tali casu, aut ceplerentur expleri in missa Sancti Marci. Diximus infra octavam communem, quia si contingeret infra octavam privilegiatam Paschatis, tunc e suo die pellitur festum Sancti Marci, & adhuc cantantur duæ missæ, una de octava, & altera de litaniis cum Præfatione Paschali; an autem cum verbis illis *sed in hac potissimum die*, vel potius, *sed in hoc potissimum*, exurgit dubium. Gavantus part. 4. tit. 11. num. 11. dum statuit quod dicenda est Præfatio Paschalis, quæ cum suo cantu dicitur in diebus ferialibus, pro secunda parte stare videtur. In Paschali enim Præfatione sub feriali exarata cantu non habetur in *hac potissimum die*. Tu tamen cum Guyeto lib. 4. c. 21. q. 17. pro prima judicium facito, quia reapse missa dicitur infra octavam, per quam, *Sed in hac potissimum die*, Rubrica dicendum esse decernit. Et sane si eodem Gavanto teste, cum quo concordat Meratus *ibidem* Num. 10. adhuc retineri debet *communicantes, & diem Sacratissimum celebrantes*, uti & subsequens oratio, *Hanc igitur*, propria octavæ Paschæ; cur in Præfatione: *Sed in hac potissimum die*, pari ratione dicendum non erit?

LXIV. Pro missis Rogationum hanc generalem damus regulam, ut quotiescumque duæ cantantur missæ, vel si una tantum extra occursum diei infra octavam, adhibenda semper sit Præfatio temporis, seu Paschalis; ea vero octavæ, & cum ejusdem ut supra commemoratione, si casus incidat in aliquam diem infra octavam propriam habentem Præfationem.

RITUALIA.

LXV. Absolutis orationibus secretis cum Sacerdos ad finem conclusionis devenerit ultimæ ex prædictis orationibus, nempe ad ea verba, *Per omnia sæcula sæculorum*, nulla prævia capitis inclinatione, vel oculorum elevatione, deponit super Altaris manus hinc inde extensas prope ad extra corporale, & stans ut jam est in medio Altaris facie ad librum conversa, etiamsi memoriter sciat, convenienti, & intelligibili voce, nimirum eadem, qua reliqua si private in missa dici solent, & cum cantu si solemniter celebret, dicit *Per omnia sæcula sæculorum*, deinde eadem voce prosequitur *Dominus vobiscum*. Sed non se vertit ad populum, nec jungit manus, sed illas immotas retinet. Subdit *sursum corda*, elevans manus usque ad sui pectoris terminos, ita ut palma unius manus digitis junctis in suis extremitatibus respiciat palmam alterius manus. Dicit postea *Gratias agamus Domino*, & hæc dicens jungit manus eas prius elevando usque ad humeros, juxta generalem dispositionem Rubricæ 3. tit. 4. & dum dicit *Deo nostro*, oculos elevat ad Crucifixi imaginem, & statim dimittit, caput etiam inclinando inclinatione minimarum maxima, & hanc inclinationem item exhibet Minister, qui respectiva voce, quoque clara, celebranti respondet, prout in Missali est adnotatum &c.

LXVI. Statim ac a Ministro responsum est, Celebrans manus dilatat, & eas elevans, & extensas tenens, uti fit ad orationes, dicit *Vere dignum & justum est*, cum reliqua Præfatione usque ad *Sanctus, Sanctus &c.* Cum in Præfatione communi, aliisque dicit *Per Christum Dominum nostrum*, ne caput inclinet, bene vero inclinatione minimarum media in Præfatione B. Mariæ, quando hoc profertur Venerabile nomen, & inclinatione minimarum maxima versus crucem ad nomen *Jesus*, quando in eadem Præfatione nominatur; ad quæ verba etiam Minister inclinare debet.

LXVII. Cum dicit *Sanctus &c.* manus super Altare non ponit, nec percutit sibi pectus (quod nec debet facere Minister) sed junctis ante pectus manibus, mediocriter inclinatus, voce media inter claram, & submissam, idest depressam in uno tono dicit *Sanctus, Sanctus &c.* & prosequitur reliqua usque ad finem eadem mediocri voce, dicendo etiam *Benedictus qui venit &c.* dum tamen hunc versum *Benedictus* &c. dicit, erigit se, & corpore, & capite, & signum Crucis sibi producens a fronte ad pectus, juxta consuetum morem (quod eodem tempore sibi etiam efformat Minister): Dum profert *Benedictus* signat frontem, *ad qui venit*, pectus, ad *in nomine Domini*, hume-

humerum sinistrum, & ad *Hosanna in Excelsis* humerum dextrum. An in fine jungendæ sint manus, non conveniunt Doctores, affirmat Gavantus parte 2. tit. 2. Num. 8. litt. T., cui adhærent plurimi, sed probabilius loqui videntur eorum alii, qui negativam partem amplectuntur, quia statim debet Sacerdos elevare manus cum elevatione oculorum, & easdem manus jungere super Altare ad initium Canonis; *Ministro interim parvam campanulam pulsante*, habet Rubrica, quam ita Auctores exponunt, ut eam ter pulsare debeat in laudem Dei ter Sancti, & ut excitentur astantium animi ad proxima mysteria, duobus vero ictibus pro singulis vicibus, vel uno continuato sono, qui tamen pulsandi modus minus placet Vinitori.

LXVIII. Ad missam solemnem quod spectat, paucis nos expediemus verbis. Celebrans enim eodem prorsus ritu, qualem superius descripsimus, se gerere debet. Cantat Præfationem, ad quam Ministri sacri post eum stant, & inclinant se cum dicit *Deo nostro*; quod & facit Cæremoniarius, dum stat assistens ad Missale; inclinant autem omnes semper ad ea verba, ad quæ, juxta superius dicta, se inclinat Sacerdos ipse. Cum Celebrans ultima Præfationis verba profert, Diaconus, & Subdiaconus, qui stant post eum, facta prius in suis locis genuflexione, ambo accedunt ad Altare Cæremoniario retrocedente ad Evangelii laterale cornu, super gradum suppedaneo proximiorem, Diaconus ad dexteram, Subdiaconus ad sinistram Celebrantis, ubi inclinari, & Diaconus manibus item junctis, non vero Subdiaconus, qui manus jam habet impeditas Patena, quam tenet, cum Celebrante ambo dicunt, *Sanctus*, & ad versum *Benedictus qui venit*, cum eodem Sacerdote, se simul erigunt, & signant, excepto Subdiacono, ratione memorati impedimenti.

LXIX. Subdiaconum, quando Patenam tenet, accedere non debere ad Altare, Merato teste part. 2. tit. 7, num. 82. fert consuetudo Basilicarum Urbis, quæ cum innixa maneat cuidam Rubricæ additæ Missali Romæ edito anno 1621. nec non Decreto S. R. C. 13. Janu. 1674. quod Turrin. part. 1. sect. 2. cap. 2. statuisse refert, prælatam consuetudinem etiam generali neglecta Rubrica, servari posse videtur. Verum, cum nos Gavantus part. 2. tit. 7. num. 11. littera F. diserte moneat, quod additio illa facta fuit absque superiorum auctoritate, & Meratus allegatum a Turrino Decretum non reperiri asserat in S. R. Congregationis regestis, & omnino esse suppostitium, nos Ecclesias dispensare non possumus ab observantia Rubricæ generalis sub tit. 7. num. 11. quæ de Diacono, & Subdiacono loquens, diserte statuit, *& paulo antequam dicatur Sanctus accedant ad Altare, ubi cum Celebrante hinc inde dicunt Sanctus, & quæ sequuntur usque ad Canonem*. Quod libentiores, sic observandum ab omnibus dicimus, ex eo, quod prælata additio si facta fuit, abrasa item extitit, quia ea modo reperiri in Romano Missali non potest. Consuetudo autem Basilicarum Urbis non est lex pro aliis Ecclesiis, quæ se gerere tenentur juxta Rubricarum sanctiones.

LXX. Ad *Sanctus* ex Ministris genuflectunt omnes, exceptis Diacono, & Subdiacono, & assistente si adsit, Acolytho pulsante Campanulam, ad cujus sonum campanæ quoque Turris pulsantur. An versus *Benedictus qui venit*, a Choro hic cantandus simul sit, vel magis reservari cantandus post elevationem, seu depositionem Calicis, quæstio est, quæ etsi a nobis alibi resoluta fuerit, hic de ea adhuc recensenda supersedendum esse non putamus ad integram horum rituum expositionem exhibendam. Missale quandonam in Choro versus *Benedictus qui venit*, sit dicendus, non explicat, & ex hoc silentio huic quæstioni locus fit; nam aliqui inferunt continuate cum præcedentibus verbis, quibus adjectus est, dici debere seu prosequi, sicuti hoc modo a Celebrante dici mandatur; alii attendentes Episcoporum Cæremoniale sentiunt in contrarium: cum enim Cæremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 8. versum illum *Benedictus &c.* decernat reservari cantandum post Calicis elevationem, ritum hunc servandum esse in Choris omnibus consequenter edocent Doctores aliqui, inter quos Gavantus ipse part. 2. tit. 7. littera Q. & Meratus etiam *ibidem* num. 84. Qui tamen ritus hic non præscribitur a Missali, quod in communibus Choris agendorum proxima regula est; imo potius oppositum, ut supra, ex ejus silentio eruitur. Scite advertit Quarti part. 2. tit. 7. num. 2. non esse damnandos illos, qui eamdem laudem unitim, & continuate canunt, ante consecrationem, absente Episcopo; Cæremonialis namque dispositio est de missis solemnibus Celebrante Episcopo, non vero de quibuscumque, unde necesse non est eamdem dispositionem ad missas solemnes omnes traduci, quæ ab aliis cantantur Episcopo absente. Verum, quoniam prædictæ dilationis nec deest ratio, nec Mysterium, non videtur improbanda. Primus namque versus *Sanctus*, & sequens, *Plena est &c.* sunt Angelorum voces, Isaiæ 6. & ad Divinitatis spectant arcanum; posterior vero vox est hominum, Matthæi 21. & Marci 11. & ad Incarnationis Mysterium refertur; ideo cum laus ista *Benedictus*, addita fuerit post Christi Incarnationem, laudemus, opus est, earum usum Ecclesiarum, quæ eamdem dicendam, seu canendam in Choro differunt post recensitam memoriam realis Christi adventus in mundum per realem in Sacramento Altaris præsentiam, quæ vi verborum consequitur in Sacramento Altaris. Hæc autem dicta intellige de missis omnibus vivorum, & de requiem, in quibus Organa non pulsantur. In iis enim, in quibus Organi pulsandi usus est, congrue laus ipsa consecrationi præponitur, seu præmittitur, ne Organi gravis sonus, tempore consecrationis, & elevationis, præscriptus interrumpatur.

LXXI. Dicto, ut supra diximus, *Sanctus &c.* usque ad Canonem, Diaconus facta genuflexione, accedit ad sinistram Celebrantis, ubi iterum genuflectit, quod semper facit, quoties de uno latere recedens ad aliud accedit, ita ut semper adhuc genuflectat in recessu, & accessu, non autem in medio, ut male plerique faciunt. Ubi surrexit a præcepta genuflexione, manu sinistra elevat, atque sustentat Librum, ut ex isto commodius Celebrans legere possit Canonem, & dextera, cum opus fuerit, vertit folia, ac digito ea, quæ a Celebrante legenda sunt ostendit. In casu tamen, quod alius Sacerdos assistat, & hæc omnia peragat, tunc Diaconus non debet a suo loco, hoc est a dextra Celebrantis recedere, sed ibi se sistere aliquantulum post Celebrantem. Subdiaconus vero postquam volverit folia Missalis ad principium Canonis, ut Celebrans ulla absque mora, & absque eo, quod ipse folia Missalis vertat, aut Diaconum expectet, possit incipere Canonem, facit genuflexionem in loco, in quo stat apud Altare, & illico ad medium planum redit post Celebrantem, ibique stat Patenam sustinens, &c. Antequam ex toto Præfatio absolvatur, Ceroferarii (si moris est, uti advertit Lohner part. 3. tit. 6. n. 7.) accedunt ad medium Altaris, & post Subdiaconum genuflectentes accipiunt instrumenta ad accendenda intortitia destinata, & cereos existentes in majoribus Candelabris accendunt, facie semper ad Altare conversa, & lumine, ad ea accendenda, sumpto non de Altari, nisi aliter fieri possit, sed de lampade, vel de cereis, quæ sunt ad Credentiam.

CAPUT XV.

De Canone.

I. CAnon græce, latine regula nuncupatur; hinc missæ Canon idem sonat, ac regula, quæ servari debet ab omnibus canonice celebrantibus in sacrosancto missæ conficiendo Sacrificio, quapropter ab Ambrosio regula appellatur Ecclesiastica, ab Optato Milevitano *legitimum* dicitur, eo quod legitimam, & regularem Sacramenti confectionem contineat; &, ut ait Valfridus, dicitur itidem *actio*, quia in eo Dominica Sacramenta conficiuntur, vel ut mavult Alexander de Ales, de officio missæ part. 2. art. 3. quia cum Deo tunc causa nostra agitur. Missæ parti, de qua nunc agimus, *Canonis* nomen alia quoque ratione apprime convenire asserit Battaglini, Concil. T. primo pag. 135. Advertit enim ipse, quod *Canon* non solum regulam dicit, aut Ecclesiæ legem, vel constitutionem, sed insuper *Regestum*, sive *Catalogum*. Hoc autem nomen quis unquam denegaret præsenti missæ parti, in qua præcipuorum Ecclesiæ Sanctorum nomina continentur, quæ ex diptychis legebantur olim, item nomina Papæ, Episcoporum, & Virorum illustrium, aliorumque de Ecclesia benemeritorum, quorum nonnulla apud nos adhuc sunt reliqua?

II. Sub precis etiam nomine antonomastice Canonem memorarunt Vigilius Papa ad Euther. cap. 5., & Divus Gregorius lib. 7. Epist. 63. quia per excellentiam *precis* ratio illi competit; vere enim ait Tridentinum, sess. 22. c. 4. de Sacrificio missæ: *Nihil in eo continetur, quod non maxime sanctitatem, ac pietatem quamdam redoleat, mentesque offerentium in Deum erigat*. Hinc D. Bonaventura tractat. de præparatione ad missam cap. 12. pleno jure admonet: *Cum autem perveneris ad sacrum Canonem, recollige mentem, ne per diversa vagetur, appone diligentiam magnam in signis, & actibus, majorem in verbis, maximam in intentione*.

III. Quis Canonis fuerit Auctor, non ita facile est definiri, eo quia valde inter se variant Doctores in hoc quæsito; alii opinantur fuisse Gelasium Papam; alii Museum Presbyterum Massiliensem; & alii Voconium Episcopum Castellanensem; sed cum eo levi momento nitantur, quod teste Gennadio, præfati omnes libros de re sacramentaria conscripserint; Gavantus satius loqui videtur, dum part. 1. tit. 12. num. 5. litt. E. Canonis Auctorem ignorari fatetur. Magis adhuc illi errant, qui Canonem Clementi Alexandrino tamquam illius Auctori consignant, aut opus esse asserunt Gregorii Magni; quasi, quod Canon Ecclesiasticus, quem illi Cod. 3. Photius assignat, sit Canon missæ, & ipse Gregorius lib. 7. Ep. 63. quemdam Scholasticum Auctorem diserte non faceret.

IV. An vero postea Scholastici, cui Sanctus Gregorius Canonem tribuit, nomen sit proprium alicujus viri, vel tantummodo appellativum, potior Auctorum pars appellativum esse tuetur, eoque significari Doctum, & Litteratum hominem. Scholastici olim dicebantur illi Presbyteri doctrina, & eruditione clari, qui ut Pantænus, Clemens Alexandrinus, & Origenes Christianorum Scholas regebant, in quibus ii erudiebantur, qui a Judaica Religione, vel Idolorum cultu, ad Christi fidem commigrabant, de quibus Augustinus lib. de Chatechiz. rud. *Sedulo admonendi sunt Scholastici*, & fortasse idem ipse Gregorius, dum varias scribit Epistolas, nunc Paulo Scholastico, Marcello Scholastico, aliisque similibus: & quidem *Scholastici* nomen, ad significandum hominem litteris, eloquentia, eruditione præstantem, ab Auctoribus non semel reperitur adhibitum. Unde Severus Sulpitius Dial. 2. loco dicendi vos sapientes, dicit vos *Scholastici*. Laudatus D. Gregorius lib. 10. Ep. 2. Matthæum quemdam Doctissimum Scholasticum vocat, uti & Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis Serapionem ingenii magnitudine clatum, & Gennadius Prosperum, quibus cum similiter accedat Divus Parens Augustinus in Psalm. 44. nos credere malumus, quod Gregorius *Scholastici* nomine, non hominem quemdam intellexerit, cui nomen illud proprium indi-

tum esset, sed magis virum litteris eruditum, maxime cum id textui maxime quadret.

V. Num totum Canonem, vel ejusdem solummodo partem, aut orationem composuerit, quæstio succedit, in qua Cardinalis Bona, atque Meratus pro toto Canone sentiunt, Maldonatus vero, aliique, pro quadam duntaxat oratione Canoni inserta, rem incredibilem arbitrantes, quod privatus homo tantum sibi arrogaverit auctoritatis, ut Canonem integrum missæ, ab universali Ecclesia recitandum, componeret. In eadem sententia reapse fuerunt Cardinalis Bellarminus tom. 3. lib. 6. de missa cap. 10. & Benedictus XIV. de Sacrif. missæ lib. 2. cap. 18. num. 8. ubi rem ex integra facti serie conatur his verbis ostendere: *Scribit Sanctus Gregorius, se de eo accusatum esse, quod recitari jusserit Pater noster post Canonem, seque id fecisse ait, quod indignum sibi videbatur, orationem a Scholastico compositam ante communionem recitari, orationem vero Dominicalem non dici supra Corpus Christi.* Verum sua mole penitus hoc argumentum corruit, quia Sanctus Gregorius non dicit *orationem*, sed *precem*, *quam Scholasticus composuerat*. Nomine autem *Precis* ex contextu Sole clarius apparet, non orationem aliquam venire, sed Canonem, quippe qui accusatus, quod orationem Dominicam *mox post Canonem* dici statuerit, ipse respondit, *orationem autem Dominicam idcirco mox post precem dicimus*; nomine itaque *Precis* Canonem profecto intelligit.

VI. Hæc cum Tridentino pugnare videntur sess. 22. cap. 4. *quod Canonem constare cum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, ac SS. quoque Pontificum piis institutionibus* aperte fatetur. At, ut notat Meratus, hæc facile ad concordiam revocantur, si dixeris Tridentinos Patres de substantia Canonis loqui, Gregorium vero de verbis, sive stylo, quo Canon exaratus est, ita ut Canon integer a Scholastico quidem concinnatus sit, ex verbis tamen Domini, atque ex his, quæ ab Apostolorum traditione habita sunt, & SS. Pontificum institutionibus, non vero ex eorumdem materialibus ipsis verbis, ac dicendi methodo. Hæc autem fieri potuisse a privato homine docto, sive Scholastici nomen proprium alicujus viri sit, vel appellativum, profecto videre non est, unde revocari possit in dubium. Ex Pontificibus, qui quidquam in canone inseruere, novissimus fuit Gregorius, uti observat Card. Bona lib. 2. cap. 11. num. 2. his verbis: *Observandum nihilominus, neminem ex Pontificibus post Gregorium Magnum quidquam addidisse aut immutasse.* Quod enim nonnulli ajunt de Gregorio III. lex generalis non fuit, sed privilegium pro missis, quæ celebrabantur in Oratorio, quod in omnium Sanctorum honorem ipse construxerat.

VII. Canonem unicum semper fuisse quoad substantiam in Ecclesia Sancta Dei, expresse utique testatur Vigilius Papa Epistola secunda ad Eutherium cap. 5. his verbis: *Ordinem quoque precum in celebritate missarum, nullo nos tempore, nulla festivitate significamus habere diversum; sed semper eodem tenore oblata Deo munera consecrare.* Certo pariter verum est, quod in Ecclesia Gallicana, ut eruitur ex antiquis ejusdem Liturgiis, juxta varietatem solemnitatum occurrentium, aliquæ brevissimæ preces, seu orationes ponebantur dicendæ a Celebrante post *Sanctus*. Ex Missali enim Gothico a Tomasio Romæ vulgato, in Vigilia Natalis Domini, sic adnotatur, *Collectio post Sanctus; vere Sanctus, vere benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus manens in cælis, manifestus in terris, ipse enim pridie quam pateretur &c.* In Natali Domini post Sanctus. *Gloria in Excelsis, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, quia adpropinquavit redemptio nostra, venit antiqua expectatio gentium, adest promissa resurrectio mortuorum, jamque præfulget æterna expectatio beatorum per Christum Dominum nostrum, qui pridie quam pateretur, &c.* In festo S. Stephani. Collectio post Sanctus. *Vere Sanctus, vere benedictus Dominus noster Jesus Christus unigenitus tuus, qui Martyrem suum Stephanum cælesti Aulæ Collegio numeravit, qui corporis nostri infirmitatem suscepit, priusquam pium Sanguinem pro humana salute funderet; Mysterium sacræ solemnitatis instituit. Ipse enim pridie, quam pateretur &c.* & sic quoque in aliis missis, quæ Orationes voce secreta a Celebrante recitabantur.

CAPUT XVI.

De prima Canonis Oratione.

I. AB iis verbis *Te igitur Clementissime Pater*, Canonem incipere dubium non est, sed ita non est de fine ipsius, quem Gavantus part. 2. tit. 7. litt. T. usque ad finem Orationis Dominicæ, seu usque ad illa hujus Orationis verba *libera nos*, inclusive protendit, alii usque ad orationem hanc exclusive, & sunt etiam, qui Canonem claudi, seu ultimari opinentur verbis illis: *Omnis honor, & gloria*, quæ immediate ante Dominicalem Orationem dicuntur; & horum sententia a supra productis Gregorii verbis clare, & manifeste probata remanet, dum Orationem Dominicam, *mox post Canonem*, recitari fatetur. Titulus, quo Rubricæ VIII. & IX. reperiuntur inscriptæ, idipsum ostendit; Prima enim intitulatur, *De Canone Missæ, usque ad consecrationem.* Altera, *De Canone post consecrationem, usque ad Orationem Dominicam.* Argumentum utique validum, quod usque ad eamdem Orationem Canon missæ perduret, seu preseveret, & non ultra, cum Rubrica, quæ continuo subsequitur, non amplius inscribatur de *Canone*, *sed de Oratione Dominica, & aliis usque ad factam Communionem:* unde Typographi perperam agere deprehenduntur, dum in ordine missæ, etiam post præfatam Orationem Dominicam, *Canon missæ*, continuant adnotare, quasi quod missæ Canon usque ad finem ipsius missæ perduraret.

II. Divus Basilius de Sp. S. cap. 27. Canonem *secretum* nuncupat: etiam quisquis causam intelligit, quia nempe totus dicitur sub secreto silentio. Addunt nonnulli causam aliam, ratione cujus Canon *secretum* fuerit nuncupatum; ita scilicet dictum ratione secretissimæ, & ab omni creato intellectu absconditæ rationalis creaturæ, scilicet transubstantiationis panis in Corpus, & vini in Christi Redemptoris nostri Sanguinem; sine tamen ratione unius, vel alterius ex assertis causis. Sive utriusque Canon *secretum* denominetur, seu fuerit denominatum; citra omne dubium certum est, quod etiam antiquitus, voce submissa, seu secreta apud Latinos fuit semper recitatum, uti videre est in antiquissimo ordine Romano, quem Pater Mabillonius refert Tom. 2. Musæi Italici pag. 48. in quo sic habetur: *Surgit solus Pontifex, & tacite intrat in Canonem*, ubi Mabillonius sic infert, *non ergo alta voce, inquit, ut apud Græcos Canon recitabatur.* Eruitur quoque ex alio ordine Romano ad usum Monasteriorum accommodato ante mille annos, qui adnotatur Tom. 5. anecdotorum, ubi hæc leguntur: *Proclamantibus vero cum magna reverentia, & tremore Sanctus, incipit Sacerdos Canonem dissimili voce leniter &c.* & quid leni voce, seu leniter intelligatur, jam antea sufficienter exposuerat, cum de oratione secreta ritum assignando scripserat: *Inclinans vultum ad terram, dicat orationem, & secrete, nullo alio audiente.* Hinc etiam Anonymus, expositionis Romanæ missæ scriptor egregius, hæc habet: *Consecrationem Corporis, & Sanguinis Domini, ideo semper in silentio arbitror celebrari, quia sanctus in eis manens spiritus, eumdem Sacramentorum latenter operatur effectum*, ex manuscripto codice Monasterii Sancti Albini Andegavensis. Nos monet Gabriel Biel lectione 15. in Can. missæ, alta voce olim etiam decantatum fuisse Canonem; quod verum esse concedimus apud Orientales Ecclesias, uti diffuse testatur Moschus in Prato Spirituali cap. 196. his verbis: *Consuetudo fuit in Ecclesia, ut pueri ante sacrarium assisterent, primique post Clericos communicarent Sanctis Christi Dei nostri, venerandisque Mysteriis; quoniam vero consueverunt quibusdam in locis alta voce Presbyteri Sancti Sacrificii orationes pronunciare, pueri, ut propius astantes, sæpius ea audiendo, didicerant.* Reapse id quod Biel loco citato subdit, de quibusdam pueris pastoribus, qui igne de cælo misso absumpti fuere, dum per jocum in agro, pane super lapide posito, consecrationis verba, quæ sacrificio adstantes didicerant, pronunciabant, apud Apaniam in Oriente contigisse enarrat idem Joannes Moschus, loco supra laudato: quo miraculo, etiam Orientales edoctos fuisse, ut Canonem secreto recitarent, credendum est, eo maxime quia jam etiam apud ipsos nonnullæ sacræ Liturgiæ partes sub silentio recitabantur; uti testatur eruditissimus Renaudotus, qui Orientalium Liturgias Typis mandavit.

III. Ritum recitandi Canonem sub secreto, ne tantum Mysterium omnium Mysteriorum maximum parvipenderetur, confirmavit Innocentius III. lib. 3. cap. 1. ubi eodem tempore mysterium etiam exponit, quod secreta hac recitatione ultro significatur, latibulum nempe Christi, qui postquam honorificentissime receptus fuit a turbis cum palmis & laudibus, uti habetur Joannis 12., abiit, & abscondit se ab eis; ut nos, qui turbas imitati, in hymno Cherubico laudibus turbarum, & voce applausimus Christo, hinc edoceremur, quod dum ad secretiora properamus Sacrosancta Mysteria peragenda, debemus intrare in cubiculum cordis, & ostio sensuum intercluso, in corde puro, conscientia munda ac bona, & non ficta, Deum Patrem orare fide, qui renum est scrutator, & cordium sicut Anna typum gerens Ecclesiæ, legitur observasse, quando non petitione clamosa, sed tacita devotione impetravit, quæ petiit: Ut enim dicitur tertio Regum 1. *loquebatur in corde suo*: tantumque labia ipsius movebantur, & vox penitus non audiebatur. *Te igitur Clementissime Pater*, Canonis cantat initium, & hæc sunt verba consequutiva Præfationis. Nam sicut *per Christum Dominum nostrum*, Divinam Majestatem laudant Angeli (uti refert Præfatio) ita *igitur*, per eumdem nos Clementissimum Patrem supplicamus. Etsi autem Divinæ Trinitati Sacrificium offeratur, preces tamen semper, seu quasi semper, juxta perpetuam Ecclesiæ consuetudinem, ad Deum Patrem per Filium suum in unitate Spiritus Sancti a nobis diriguntur.

IV. Prima itaque Canonis Oratio, ut supra, ab iis verbis incipit *Te igitur Clementissime Pater*, & pergit usque ad Orationem: *Hanc igitur oblationem*. In suo namque sinu complectitur, *memento Domine*, & *Communicantes*, ut Benedictus XIV. lib. 2. de Sacrificio missæ cap. 13. num. 1. rite deducit ex clausula, *Per eumdem Dominum nostrum*; quæ ad omnium prædictarum precum finem apponitur, quod utique, & valide confirmat ex eo, quod alias *Communicantes*, omni sensu careret, nisi cum proxime antecedentibus verbis continuaretur. Terna Crucis signa, quæ super hostiam, & Calicem efformat Celebrans dum dicit: *hæc dona, hæc munera, hæc Sancta Sacrificia illibata*, sunt veræ benedictiones, quibus Dei invocatur omnipotentia, ut oblata in Corpus, & Sanguinem Christi convertat, quæ benedictiones iden fiunt per signum Crucis, ut semper Redemptoris nostri passio nostris animis obversetur. Ternarius autem signorum crucis numerus hocce Mysterium a SS. Trinitate perfici indicat. Divus Bonaventura in expositione Missæ cap. 4. num. 7. mysticam aliam in tribus memoratis signis detegit significationem, tres scilicet Christi traditiones per tria illa Crucis signa indicari, itaut per primum quod efformatur ad *Hæc Dona*, prima traditio ejus, a Deo Patre facta, nobis repræsentetur, de qua

Romano-

Romanorum 8. 32. *Proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Per secundum signum Crucis, quod facit Celebrans a † *hac munera*, secunda traditio Christi recensetur, qua seipsum pro nobis tradidit, juxta illud Isaiæ 63. 12. *Tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est.* Per tertium denique Crucis signum, quod ad ea verba: *hac Sancta Sacrificia illibata* efformatur, tertia Christi traditio memoratur, qua Judas Discipulus magistrum suum ab omni prorsus peccato purum in manus inimicorum ejus dedit, de quo Matthæi 26. *qui autem tradidit illum dedit eis signum, &c.*

V. In hac prima Canonis Oratione Celebrans pro Ecclesia primo orat, deinde pro Papa, & Episcopo, & in fine pro omnibus orthodoxis, atque Catholicæ, & Apostolicæ fidei cultoribus: ubi advertas oportet, quod Sacerdos in plurali loquitur dum precem suam Deo Patri dirigit dicendo, *quæ tibi offerimus*, non alia utique de causa, nisi quia non Sacerdos tantummodo offert, sed cum eo præcipue ii omnes, qui sacrificio intersunt: pariter offerre censentur præcipue, qui Sacrificio intersunt, quia Innocentius III. hoc ad universos fideles extendit, dum lib. 3. de Mysteriis missæ cap. 1. sic habet: *Ideo dicitur offerimus, quia non solum offerunt Sacerdotes, sed etiam universi fideles:* hinc etiam laici, & qui Sacerdotis Caractere insigniti non sunt, quinimmo etiam mulieres Missas celebrare dicuntur, quoties vel suis eleemosynis eas curant celebrari, vel se ad eas audiendas præsentes constituunt, suas cum Celebrante, seu Sacerdotis Celebrantis intentione, conjungendo intentiones ac attentiones. Assertio hæc, quæ aliquibus forsan paradoxum videri poterit, est plurium Sanctorum Patrum, & præcipue Divi Gregorii Turonensis Libro de Gloria Confessorum cap. 45., ubi de quadam Mulier Deo devota, ac de suffragiis Defuncti viri sui promovendis solicita sermonem instituens, nulla absque hæsitatione hoc ei elogium attexere existimavit: *per annum integrum ad hoc templum degens orationi vacabat, & Celebrans quotidie missarum solemnia, & offerens oblationem pro memoria viri sui* &c. De facto Sacerdos Celebrans missam postquam adstantes ad orandum admonuit dicendo, *Orate Fratres*, prosequitur, *ut meum, ac vestrum Sacrificium acceptabile fiat*, non alia æquidem nisi supradicta ratione; quia scilicet missam uti par est auscultantes concelebrantes, ac Sacrificium ipsum Deo offerentes censentur; alias mendacium proferret Celebrans dicendo *ut meum ac vestrum Sacrificium acceptabile fiat*, quod debet intelligi etiam quoad expianda delicta.

VI. Missæ enim Sacrificium profecto non solum est laudis, & gratiarum actionis pro acceptis beneficiis, sed etiam Sacrificium est propitiatorium pro delictis expiandis. Hinc Divus Parens noster Augustinus qu. 57. in Leviticum docet fieri in hoc Sacrificio: *veram remissionem peccatorum*; & non solum quoad pœnam, sed etiam quoad culpam sentiunt communiter Doctores, non quidem immediate, itaut sit ipsius culpæ deletivum, ad modum Baptismatis, ac Pœnitentiæ, per infusionem gratiæ Sanctificantis, sed solum mediate, & impetratorie, quatenus intuitu hujus Sacrificii Deus fit nobis mire propitius ad largiendum peculiaris alicujus prævenientis gratiæ adjutorium, quo ad culparum excitemur sinceram detestationem, pro digne in foro pœnitentiali suscipienda delictorum nostrorum valida absolutione; sic cum Divo Parente sentit Angelicus Doctor in 4. Sententiarum dist. 12. quæst. 2. art. 2. ad quartum, ubi sic definit, *Dicendum quod Eucharistia non solum est Sacramentum, sed etiam est Sacrificium. In quantum autem est Sacramentum habet effectum in omni vivente, in quo requirit vitam præexistere*, intellige vitam spiritualem gratiæ sanctificantis; *sed inquantum est Sacrificium, habet effectum, etiam pro aliis, pro quibus offertur, in quibus non præexigit vitam spiritualem in actu, sed in potentia tantum; & ideo si eos dispositos inveniat, eis gratiam obtinet virtute illius veri Sacrificii, a quo omnis gratia in nos influxit, & per consequens peccata mortalia in eis delet, non sicut causa proxima, sed inquantum gratiam contritionis eis impetrat.*

VII. Facile ex his inferre possumus cum Bellarmino, & omnium consensu fidelium, missæ incruentum Sacrificium, adhuc esse impetratorium, nobisque a Deo spiritualia, & temporalia, bona obtinere, ac multum ad pellendas calamitates valere, *si oblatio Eucharistiæ*, sic arguit Bellarminus tit. 3. Contr. Lib. 6. de missa cap. 3. *pro peccatis dimittendis valet, certe etiam pro aliis necessitatibus, quæ ex peccato sunt, valere debet. Etsi Deus hoc Sacrificio placatus, in gratiam cum inimicis suis redit, quanto facilius ob idem Sacrificium adducetur, ut amicis, & reconciliatis bona temporalia tribuat, si id eis utile fuerit?* Magis etiam hoc eruitur ex Concilio Tridentino, Sess. 22. Can. 3. ubi sic habet expresse: *Si quis dixerit missæ Sacrificium tantum esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in cruce peracti; non autem propitiatorium, neque pro vivis, & Defunctis, pro peccatis pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerre debere. Anathema sit.*

VIII. Modo de fructu seu valore Sacrificii aliquid dicendum nobis se offert, pro cujus exacta expositione, advertendum est cum communi Doctorum, seu Theologorum sententia, quod triplex hujus incruenti Sacrificii fructus enumeratur; generalis, scilicet, medius, seu specialis, & personalis seu specialissimus. Fructus generalis talis inscribitur, quia ex Ecclesiæ instituto ad omnes pertinet fideles, atque extenditur; seu pro omnibus fidelibus, excepto nemine, applicatur, demptis tantum excommunicatis, qui tales dicuntur præcipue, quia a participatione hujusmodi generalis Sacramentorum fructus sejuncti sunt. Fructus medius, seu specialis, talis nuncupatur, quia illi tantum specialiter prodest, pro quo Celebrans missæ applicat Sacrificium, sive ex charitate, & gratificatione, sive ex officio, & justitia, seu ex titulo acceptæ eleemosynæ hoc faciat. Personalis tandem, seu specialissimus missæ fructus talis dicitur propter ordinem, quem importat, seu dicit unice, & individualiter ad ipsiusmet Celebrantis personam, absque cujuscumque alterius consortio; & propterea alteri prorsus inapplicabilis; unde Sacerdos titulo applicandi in missa hunc fructum, eleemosynam non potest accipere, nec pluribus eleemosynis unica celebratione satisfacere, ut infra dicemus.

IX. Subdividitur adhuc missæ Sacrificii fructus in fructum ex opere operato, & in fructum ex opere operantis: fructus ex opere operato, qui & internus dicitur, ille est, qui a meritis desumitur Christi, qui Cruci affixus, sui pretiosissimi Sanguinis effusione nostram est operatus salutem, seu Redemptionem. Et hic numquam aut minuitur, aut augetur, ex Celebrantis bonitate, aut pravitate, & cuicumque applicetur, dummodo ex parte subjecti hujus præstantissimi fructus applicationem suscipientis nullum habeatur impedimentum, semper operatur; provenit igitur immediate ex virtute ipsius Christi Domini, qui in hoc Sacrificio incruento quoque principalis Sacerdos est, & victima, de quo in Tridentino Concilio sess. 22. cap. 1. *Et hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest.* Fructus ex opere operantis ille est, qui ex merito, bonitate, ac fervore, seu devotione Celebrantis oritur. Hinc ab illis Sacerdotibus, qui divino obtemperantes mandato: *Sanctificentur Sacerdotes, ne percutiam eos, dicit Dominus.* Exod. 19. 22. Sanctitatis, & cœlestis vitæ specimen præbentes ad Altare accedunt; uberrimus utique ex eorum missis fructus consequi potest. Zelo namque sacrarum precum, quæ desiderantur, a Deo facilius impetrantur. Quanto enim digniores fuerint Sacerdotes, tanto citius, pro necessitatibus, pro quibus clamant, exaudiuntur; uti videre est in eo, quod scripsit Divus Petrus Damianus Sac. R. Ecclesiæ Cardinalis Ostiensis in vita Sancti Odilonis Cluniacensis Abbatis, de B. Benedicto VIII. Summo Pontifice. Hic enim postquam humanis rebus exemptus, non parvi temporis evoluto curriculo, germano suo Joanni in Apostolica dignitate successori suo per speciem nocturnæ visionis, Deo permittente, apparuit, obtestans, & humiliter flagitans, ut quantocius Veredarium ad Beatum Odilonem, unicæ pietatis Virum, dirigat, cujus venerabilibus meritis a gravissimis, in quibus se constitutum affirmabat, tormentis liberari posset. Protinus igitur Joannes mandatum exequitur, certioremque eum conspectæ a se visionis datis litteris reddit. Præcepit itaque Venerabilis Pater, Psalmodias, & Orationes ab omnibus publice, & privatim fieri; Sacrificium Deo Mysterii salutaris ipse obtulit, & a suis Religiosis commisit offerri, & ecce parvo post tempore, quidam sanctæ conversationis Monachus per soporem vidit quemdam sereno aspectu, solemnique nitore conspicuum, Monasterii Claustrum magno candidatorum agmine constipatum, ingredientem, & caput ad Beati Odilonis genua in capitulo humiliter flectentem, ac demisso corporis habitu, gratias agentem. Fratri autem reverentiam Beato Odiloni a viro tantæ tamque eximiæ pulchritudinis habitam admiranti, responsum est: illum esse Benedictum summæ sedis Episcopum, qui piis Sancti Odilonis precibus, pœnalibus Purgatorii ereptus cruciatibus, supernæ Jerusalem meruisset ingressum. Hæc ex laudato Petro Damiano. Ex quibus siquidem deprehendi valet, quanti faciendus sit fructus ex opere operantis in missæ Sacrificio. Addit etiam, quod Venerabilis hic Pater Abbas Odilon primus fuerit, qui generali per omnia sua Monasteria Decreto ordinavit, ut postridie Omnium Sanctorum solemnitatis, omnium in Christo quiescentium memoria celebraretur Defunctorum.

X. Ex his patet, quod ab iis Sacerdotibus, qui nefariæ vitæ suæ conscii, ad Altare præsumunt accedere, nihil hujusce fructus expectari potest, neque pro se ipsis, cum gravioribus adhuc criminibus se miseri potius adstringant; neque pro aliis pro quibus rogant, quia longe est Dominus ab impiis, & orationes impiorum, & præcipue Sacerdotum indigne celebrantium, non exaudit. Ad rem profecto dignum est, quod hic colloquium Christi recenseatur cum Beata Birgitta. Precabatur enim hæc pro uno Presbytero, cui, uti sæpe solebat, apparens Jesus Christus, eam horum tenore verborum alloqui cœpit: (Iste Presbyter, pro quo tu oras, cum accedit ad Altare, tunc faciem meam averto ab eo, & adstant ad latera ejus Dæmones, cujus & animam inhabitant, quia ipsa jam est mortua ante me. Cum imponit sibi amictum, Dæmones animam ejus obumbrant, ut non cogitet, & multo minus intelligat, quam terribile sit ad Altare meum accedere, & quam mundus, ac a sordibus expers esse debeat, qui mihi mundissimo adstare debet. Cum induit se Alba, duritia cordis, & indevotione induitur, quia cogitat peccatum suum grave non esse, supplicium æternum futurum non magnum, & quale gaudium est æternum, numquam venit ei in mentem. Cum cingit se cingulo, tunc ligatur voluntas ejus cum Diabolo, ita quod velit, & proponat in peccato morari, & tunc charitas mea ab eo dissolvitur, quia voluntas ejus est ad id omne accommodata, quod Diabolus ei inspirat in mentem. Cum imponit sibi manipulum, omnia opera ad Deum sibi gravia fiunt, onerosa, & erubescibilia, terrena autem levia. Cum sibi stolam imponit, Diabolus quoque collo ejus grave jugum imponit, & sic animam ejus onerat, quod ingemiscere eum non sinit, aut peccatum suum considerare. Cum induit se Casulam, tunc perfidia quoque eum induit Diabolus, & quando *Confiteor* legit, respondent Dæmones, mentitus es; nos testes sumus, quod confessio est similis Judæ, quia aliud ore dicit, dum aliud

habet

habet in corde. Quando vero Corpus meum consecrat, tunc fugiunt Dæmones ab eo, & corpus ejus remanet quasi truncus; quia anima ejus mortua est ante me, seu ante oculos meos. Cum autem meum ad os suum applicat Corpus, ex præsumptione illa, omnis Dæmonum turba ad eum revertitur, quia nullam habet ad me Charitatem. Ecce, Birgitta, tales Sacerdotes non sunt mei Sacerdotes, sed potius veri Proditores: Ipsi enim & me vendunt quasi Judas, & produnt. Ego conspicio Paganos, & Judæos, sed nullos video eis deteriores, quia ipsi Sacerdotes in eodem peccato sunt, quo cecidit Lucifer. Maledictus itaque sit cibus, ac potus eorum, &c. Prosequitur hic omnes terræ fructus maledicendo, qui ad eorum conservationem producuntur; sensusque maledicit, visum, gustum, auditum, odoratum, & tactum) ex Revelationibus B. Birgittæ lib. 1. c. 47. Quis igitur talia horribilia meditans poterit non cum omni circumspectione ad Altare celebraturus accedere?

XI. Ad valorem Sacrificii hujus quod attinet, an finitus, aut infinitus sit, nos cum Divo Thoma sentimus, quod esto penes præteritas Christi satisfactiones, quas habet annexas, & ratione quarum satisfactorium, ac meritorium dicitur, & reapse est, infiniti valoris incrementum hoc Sacrificium potuerit esse; adhuc tamen, quia ex ipsius Christi institutione, modo finito, ac limitato ei fuerunt annexæ, dicendum venit, quod infiniti valoris non sit, sed finiti, & limitati. Tolleretur enim de medio, ait supra laudatus Angelicus Doctor 3. part. quæst. 79. art. 5. in hoc Sacrificio fructus ex opere operantis, si ex opere operato esset infiniti valoris, nec insuper locus daretur amplius, ut sæpius frequentaretur seu iteraretur, uti Christum præcepisse colligitur ex verbis illis: *Hæc quotiescumque feceritis, in mei commemorationem facietis*. Siquidem si infiniti, ac illimitati esset valoris, tam abunde votis nostris ex se, & per se una Missa corresponderet, ut per unius tantum Sacrificii celebrationem, pro centum, ac mille stipendiis poterimus satisfacere, quod damnatum fuit ab Urbano VIII. 21. Julii 1625., & ab aliis Pontificibus. Hora est procedamus ad Decretorum expositionem ad sacrum Canonem pertinentium.

DECRETUM PRIMUM.

XII. *In Canone omnino facienda est Commemoratio de Episcopo, etiam ab exemptis*. S. R. C. 25. Sept. 1694. *in Tornacen.* Postquam oravit Sacerdos pro Ecclesia Sancta Dei, mox pergit orare pro summo Pontifice, qui ejusdem Catholicæ Ecclesiæ Caput est. Unde Concilium Vasense anno 529. *Nobis justum visum est, ut nomen Domini Papæ, quicunque Apostolicæ Sedi præfuerit, in nostris Ecclesiis recitetur*. In Ecclesia ipsa Orientali de summo Pontifice olim mentionem fieri consuevisse, testis est Nicephorus, qui lib. 6. cap. 17. refert, primum, qui ausus est summi Pontificis nomen e Sacris Diptychis expugnere, fuisse Acacium Constantinopolitanum Episcopum, quinto Sæculo Felice II. summo Pontifice. Id confirmat Constantinus Pogonatus Imperator, qui in Epistola ad summum Pontificem, quæ præposita est Concilio generali sexto, declarat se Patriarchæ e sacris Diptychis ejus nomen delere volenti vehementer restitisse. Eapropter in Liturgiis, quæ posteriori tempore scriptæ sunt, summi Pontificis nomen reperitur, nec umquam actum de conciliandis utraque Ecclesia, quin simul conventum fuerit de ejusdem Pontificis nomine restituendo in Canone.

XIII. Quæ summi Pontificis mentio nedum fieri debet sub generali *Papæ* vocabulo, sed etiam ejusdem individualiter expresso nomine, non quidem, quod ei in Baptismatis lavacro inditum extitit, sed quod ipse assumpsit, dum ad Petri Cathedram evectus fuit. Hinc Ennodius Papiensis in apologia pro Synodo, rite probat Symmachum verum, legitimumque, Laurentium vero spurium fuisse Pontificem ex eo, quod semper Symmachi nomen recitatum fuerit in Canone, non vero Laurentii. Absimilis non est dispositio Rubricæ 8. num. 2. quæ ait: *Ubi dicit cum famulo tuo Papa nostro N. exprimit nomen Papæ*. Non sufficit itaque summi meminisse Pontificis sub generali *Papæ* vocabulo, sed insuper exprimendum est nomen personæ, seu quo Papa vocatur. Olim ad designandum, quod ibi exprimi deberet nomen Personæ, seu rei, de qua agebatur, hac nota ILL. utebantur veteres. Nos utimur hac N., vel N. N. si plures fuerint exprimendi, uti videre est apud omnes modernos scriptores. Lucas Holstenius in Præfatione ad librum Romanorum Pontificum hæc ad rem habet: *Id unum censui non prætermittendum, quod, cum in manuscripto Codice frequenter habeatur hæc nota ILL. quo, ut eruditis obvium est, utebantur veteres ad indicandum proprii nominis locum, uti nunc* N. N. *poni solitum est*, consequens inde, in nostro casu, in quo post Papam ponitur littera N. ejusdem Papæ nomen exprimi debere.

XIV. *Sede autem vacante verba prædicta omittuntur*, Rubrica prosequitur, quæ Rubrica cum signaverit verba hæc omnia, *una cum famulo tuo Papa nostro* N. in primis indubium fit, quod non solum exprimi non debet nomen Papæ, sed & omitti debent præcedentia verba, *Papa nostro*. Neque enim amplius ullus Papa est, ut ejusdem memoria expresso nomine, vel sub generali *Papæ* fieri possit, & quatenus de veteri, donec Ecclesia provideatur de novo, deberet fieri, inter mortuos, & non inter vivos facienda foret. Ajes, sed cur non substituitur oratio pro Ecclesia, quam alias etiam dedimus? Responsio in promptu est, videlicet, quia jam pro Ecclesia deprecatio præcessit iis in verbis *pro Ecclesia tua sancta Catholica &c.*

XV. Quod *si verba prædicta omittuntur*, secundo in consequentiam venire videtur, quod nedum omitti debeant ea verba *Papa nostro N.*, sed insuper etiam præcedentia, *Una cum famulo tuo*. Etiam enim hæc Rubrica non minus notata reperitur, & to *Prædicto*, & consequenter ita relativa præcedentium, ut importet, ac si omnia præcedentia nominatim, & specifice essent expressa; quare Apostolica Sede vacante post to, *Toto orbe terrarum*, statim subdi deberet, *& Antistite nostro &c.* Verum cum to *Famulo tuo*, æque conveniat Episcopis relate ad Deum; qui propterea, dum ipsi celebrant, dicunt, *& me indigno servo tuo*, quod idem sonat, ac *famulo tuo*, esto utantur *servo tuo*, pro varietate terminorum, quia Rubrica præsupponit eos dixisse pro Papa, *una cum famulo tuo*; idcirco non caret probabilitate, quod retineri possit to *una cum famulo tuo*, & in casu Apostolicæ Sedis vacantis dici *una cum famulo tuo Antistite nostro N.*, & maxime, quia sic dicendo magis sustinetur rectitudo sermonis; unde to *prædicto* non importare omnia præcedentia verba in hoc casu tenet Cardinalis Tusch. practic. Concil. tom. 2. litt. D. concl. 336. nu. 15. & 16. quod si Episcopus sit, qui celebret, Rubrica quidem edocet, quod dicere debet, *& me indigno servo tuo*: sed uti modo dicebamus, Rubrica procedit in suppositione, in qua non vacet Apostolica sedes, quæ si vacet, non dubitamus satius ab eo dici *una cum me indigno servo tuo*; quemadmodum de mandato ejusdem Rubricæ, quando celebrat summus Pontifex, non dicit *& me indigno famulo tuo*; *sed una cum me indigno famulo tuo*.

XVI. Postea Sacerdos pro Episcopo orare præcipitur, *& Antistite nostro N.* cujus propterea nomen debet quoque exprimere, unde Rubrica generalis, ubi dicitur *Antistite nostro N. specificatur nomen Patriarchæ, Archiepiscopi, vel Episcopi ordinarii in propria Diœcesi*; dubium itaque esse non potest, quod sicuti apponi debet nomen Episcopi ordinarii illius Diœcesis, in qua celebratur, Patriarcha postea iste sit, Archiepiscopus, aut Episcopus simplex, ita mutatio nulla attentari potest, sed nihilominus dici debet, *& Antistite nostro*, cujus vocabulum præfatis omnibus æque quadrat, quocumque nomine vocitentur. At, quid si Celebrans sit sub alterius Episcopi jurisdictione? seu si Celebrans missam faciat extra propriam Diœcesim? *Etiamsi Celebrans sit sub alterius Episcopi jurisdictione*, habet Rubrica; & ideo nihilominus proprium Episcopum nominare non potest, sed nominare debet Episcopum Diœcesis, in qua missam facit. Sacerdos namque offert nomine totius populi adstantis; unde mentiretur si pro Episcopo loci, suum nominaret Prælatum, qui vere non est adstantium Episcopus: ad rem ea ratio itidem facit, quod Celebrans debet se conformare Sacerdotibus aliis ejusdem loci in publicis precationibus.

XVII. *Et non alterius superioris, etiamsi Celebrans sit omnino exemptus*, sunt ejusdem Rubricæ verba, per quæ edocemur, quod etiam ab exemptis, cujusmodi sunt Regulares, nominari debet Episcopus Diœcesis, in qua celebrant, non vero suos superiores, puta Generales, vel Provinciales, uti evincunt duæ mox adductæ rationes; & ex eo evidens fit, quod ipsi non sunt *Antistites Diœcesis*, sicuti exposcit Rubrica, ut in Canone valeant nominari. Hinc expositum manet Decretum sequens.

DECRETUM II.

XVIII. *Non debent Regulares in Canone nominare superiores suos ut Antistites*. S. R. C. 14. Novemb. 1615. Hoc Decretum Merato teste non reperitur in Regestis Sacræ Rituum Congregationis; quia tamen a Gavanto refertur in suo indice, quoque Meratus exarandum esse existimavit: quæ superius diximus, etiam pro hujus explanatione Decreti sufficiunt; solum superest quid dicendum de exemptis, quando celebrant in locis alicujus Prælati non Episcopi, puta in locis Abbatum exemptorum, vel Prælatorum nullius Diœcesis, quem debeant nominare in Canone loco Episcopi. De hoc casu non excogitavit Rubrica: Concordant tamen Auctores, Prælatos hujusmodi nominari non posse loco Episcopi, quia esto veniant sub nomine ordinariorum, non tamen sub nomine continentur Episcoporum, unde & eorum jurisdictio non dicitur Episcopalis; Rubrica autem utrumque exigit, & quod nempe ordinarii sint, & Episcopi, ut in Canone nominari valeant; subdit enim continuo, dispositionem faciens pro casu mortis ipsius Episcopi: *Si vero Episcopus ordinarius illius loci, in quo missa celebratur*, &c. non obscure his verbis indicans, quod Antistes, cujus nomen in Canone apponendum esse dixerat, nedum *ordinarius loci*, sed etiam Episcopus esse debet. At quid si Abbas Episcopus item sit, sed in partibus infidelium, ut non semel evenit? Adhuc Episcopus loci illius non est, in quo celebratur, adeoque talis Episcopus non est, qui juxta Rubricæ dispositionem in Canone debeat, aut valeat nominari; cum enim, ut supra diximus, debeant verificari illa verba *pro Antistite nostro Episcopo*, relate ad adstantes missæ, nomine quorum Sacerdos ipse Sacrificium offert, & Episcopus in Infidelium partibus utique non sit Episcopus noster; ideo perperam recenseretur, &c.

XIX. Potior difficultas est, an quis, & qui nominari debeat in hujusmodi locis immunibus, & exemptis; Gavantus part. 2. tit. 8. num. 2. litt. N. nominandum esse censet Episcopum viciniorem, ad quem itur pro Ordinibus suscipiendis; cum enim juxta præscriptum Rubricæ orandum sit pro Antistite, & ejus nomen sit exprimendum in Canone, utique nullus, qui congruentius nominari possit iis in casibus, occurrit, quam Episcopus vicinior, ad quem pro ordinibus itur suscipiendis. In oppositum tamen stat communior opinio, quam præter morem magistrum suum deserens Mereatus ipse tuetur. Ut enim observat Quarti, juxta Rubricæ dispositionem, nominari debet in Canone

none *Episcopus Ordinarius loci, vel Diœcesis, in qua celebratur*, alias prædicta verba omitti præscribit, ut expresse cautum est pro casu mortis, sed vicinior Episcopus non est ordinarius loci illius, nec locus ille est de sua Diœcesi; alias locus talis non dici posset locus nullius Diœcesis; ergo nominari juxta Rubricæ dispositionem non potest vincinior Episcopus, esto ad ipsum ordinandi mittantur. Hinc ad Gavanti argumentum reponit Quarti supra citatus, Rubricam non præcipere, ut absolute, & pro semper nominetur Episcopus, sed solum, quando locus, in quo fit missa, vere suum habet Episcopum; unde Ecclesia, quæ Episcopo caret, cum ea æquiparanda videtur, cujus Episcopus vita functus est, & sic non minus in una, quam in alia, seu in utraque si celebretur, ea Canonis verba *& Antistite nostro* esse prorsus omittenda.

XX. Verum ejusmodi loca adhuc distingui posse videntur, & ea, quæ intra fines alicujus Diœcesis sita sunt; etiamsi nullius Diœcesis, & exempta dicantur, esto eorum ordinatio Clericorum, & litteræ dimissoriales privative spectant ad Episcopum, intra cujus Diœcesis fines sunt constituta, juxta Tridentinum Concilium sess. 23. cap. 10.: & de locis istis loquendo, congruum videtur, quod id honoris & vicis Episcopi nominandi in Canone missæ tribuatur eidem Episcopo, intra cujus Diœcesis fines sunt constituta, quia hic aliqualiter, & secundum aliquam partem eorumdem locorum Episcopus, & ordinarius pro rei veritate dici potest. Idipsum est de illis locis, quæ juxta Diœcesim dumtaxat, & non intra fines illius sunt constituta, seu posita, & exempta sunt, atque nullius Diœcesis cum obligatione comparandi ordinationes coram Episcopo viciniori, & non aliter; rationes enim supra memoratæ æque militant etiam pro istis locis, ideoque nomen Episcopi vicinioris videtur, quod recenseri possit in Canone, secus forsan de iis locis, ubi receptum est viciniorem, quoad ordinationes suscipiendas, non adire, sed litteras dimissoriales pro libito facere ad quemcumque Catholicum Episcopum, seu Antistitem, pro quibus adhuc ea ratio facit, quod cum hujusmodi loca exempta, & nullius Diœcesis, sint obvia, & admodum frequentia, ac cognita, Rubricarum Auctor peculiarem dispositionem utique non omisisset, si ea loca ad Episcopum respective, vel viciniorem, vel intra cujus Diœcesis fines sunt constituta ex se spectare non credidisset.

XXI. Antequam ad ulteriora progrediamur, juvat hic quoddam dubium excitare, videlicet, quid præstare possit, & debeat Sacerdos, qui in aliena celebrans Diœcesi, ignorat, vel non meminit Episcopi Diœcesis illius nominis, in qua celebrat. Ad hoc dubium pluribus adductis Auctoribus Classicis reponit Pasqualigus, de Sacrif. to. 1. tract. 1. qu. 27. nu. 26. quod nihilominus proprium non potest in Canone Episcopum nominare, sed magis debet simpliciter dicere, *& Antistite nostro*, absque ulla nominis expressione, mentaliter intelligendo Episcopum sic nominare loci, in quo celebrat.

XXII. Quod si Episcopus ordinarius loci, in quo celebratur, sit vita functus, prædicta verba, scilicet, *& Antistite nostro* omittuntur, ait Rubrica; quare locus amplius non est substituendi Vicarii Capitularis, aut Archiepiscopi, vel Patriarchæ Provinciæ nomen in Canone. Non Vicarii capitularis, quia esto pro nunc evadat illius loci, seu Diœcesis veluti ordinarius per accidens, ac transeunter, non per se, ac permanenter; non tamen est, aut censeri potest illius Diœcesis Episcopus consecratus; quod a Rubrica exigitur, ut rite recenseri ejus nomen possit in Canone missæ; neque item Archiepiscopi nomen exprimi potest in Canone, aut Patriarchæ Provinciæ in casu memorato, quia esto bi in tali loco aliquam jurisdictionem habeant, non tamen sunt in suffraganeorum Diœcesibus ordinarii, sicuti rite observat Quarti. Dicendum itaque, quod in casu mortis Episcopi Diœcesis, pro toto tempore vacantis illius sedis, verba illa, *& Antistite nostro* penitus omitti, seu sileri debent in Canone ab omnibus, qui intra fines illius Diœcesis missam celebrant, neque loco Episcopi vita functi subrogari potest ab iis, aut inseri nomen cujuscumque alterius. Quæ verba, *& Antistite nostro*, etiam omittuntur ab iis, qui Romæ celebrant, eadem addit Rubrica, quæ valida ea ratione utitur, quod ordinarius Romæ Episcopus est summus Pontifex, de quo jam præcedente mentio facta fuit in Canone. Hinc, qui Sede Apostolica vacante Romæ celebrant, post to: *toto orbe terrarum*, continuo debent subdere, *& omnibus orthodoxis &c.* quod quoque necesse est item præstent, quotquot celebrant extra Romam, dato quod Sedes Apostolica vacet, & Sedes simul Episcopalis loci, in quo celebrat.

XXIII. Monet Cardinalis Bona cap. 11. num. 3. quod in Orientali Ecclesia Presbyter orat pro Episcopo; Episcopus pro Archiepiscopo; Archiepiscopus pro Patriarcha; & videtur ordo satis congruus. Non sic tamen est in Ecclesia Occidentali, in qua juxta Rubricam, sive Episcopus, vel Archiepiscopus, aut Patriarcha sit, qui Missam celebrat, semper omittit prædicta verba *& Antistite nostro*, & eorum loco post Papam statim subrogat, *& me indigno servo tuo*, orans pro seipso in quocumque loco celebret; quod & præstant Cardinales propter dignitatis eminentiam. Quando vero celebrat summus Pontifex omissis verbis *una cum famulo tuo Papa nostro N., & Antistite nostro N.* Simpliciter dicit, *una cum me indigno famulo tuo, quem gregi tuo præesse voluisti*. Neque enim Romanus Pontifex superiorem aliquem habet in terris, pro quo debeat orare; nec Episcopus in sua Diœcesi, nisi Romanum Pontificem sibi superiorem recognoscit, pro quo consequenter solummodo orat in Canone, & pro se. Et hic nollem inferas relate ad Celebrantem superioritatem esse necessariam in personis, pro quibus preces ab ipso funduntur, seu pro quibus a Celebrante oratur in missæ Sacrificio, quod utique esset absurdum. Pontifex enim, qui omnium superior est, & caput Ecclesiæ, pro Ecclesia profecto orat in Canone, antequam pro seipso oret; nec aliter relate ad Celebrantem superioritas requiritur in eo, cujus nomen debet exprimi, nisi quia in Canone reverentiæ causa nomina tantum eorum, qui in Ecclesiæ Regimine jurisdictione præcedunt Episcopali, recenseri valent, juxta Rubricæ dispositionem. Olim enuntiabantur in Canone etiam Prælati, qui dignitate non præcedebant Episcopali, a Celebrantibus sibi subditis, ut constat ex veteribus Missalibus; in vetusto enim Missali Cassinensi apud Angelum de Nuce in notis ad Cassinense Chronicum pag. 106. post *Papa nostro N.* omisso prorsus Episcopi nomine, ac Antistitis, additur immediate *& Abbate nostro N.* Modo provisum est, ut tantum Episcopus illius loci, in quo celebratur, possit in Canone, post Papam, recenseri.

XXIV. Sunt, qui post Episcopum, orant etiam pro Rege, expresso in Canone ipso ejusdem nomine, ad normam ritus antiqui disponentis pro Regibus, ac Imperatoribus, eorum commemorationem in Canone, ut colligitur ex costanti Ecclesiæ traditione ab Apostolis accepta, & testatur Nicolaus Papa I. Epistola 8. ad Michaelem Imperatorem, ubi sic scribit: *Constantini, & Constantis, Theodosii quoque majoris, & Valentiniani, & cæterorum Imperatorum nomen, inter Sacra Mysteria impratermisse commemorari.* Modo autem nulli de propria auctoritate potest licitum esse nomina exprimere in Canone Principum, Regum, atque Imperatorum, obstante Bulla Pii V. districte inhibente additionem omnem vel minimam, aut variationem in Missa. Solum privilegium, aut inveterata, ac legitima consuetudo tueri valent præfatam orationem pro Rege, præcipue in Canone Missæ. Pro legitima consuetudine inveterata, illam intelligimus, quæ ante præfatam Canonicam inhibitionem cujuscumque additionis, aut variationis in Canone, incepit, ac perseveravit, qua supposita, aut Apostolico privilegio obtento, adhuc a tenore verborum Privilegii, & ab observantia inveteratæ legitimæque consuetudinis nec minimum quidem potest declinari; unde consuetudinem, quæ in uno loco militat, suffragari pro aliis locis adhuc vicinioribus non posse putamus, præsertim noviter acquisitis, quamvis eidem pareant Principi, atque subdantur, si eamdem, aut similem inveteratam non habeant consuetudinem.

XXV. Verba, *& omnibus Orthodoxis atque Catholicæ, & Apostolicæ fidei Cultoribus* desiderantur in antiquo Ordine Romano, in nonnullis Codicibus libri Sacramentorum Sancti Gregorii, & in vetusto quodam Missali Vaticano; hinc Micrologus Observ. Eccl. cap. 23. ea verba prætermittit, & cap. 13. ait esse supervacanea, quia mox Sacerdos pergit orare pro famulis, & famulabus Dei, quod idem est ac pro omnibus Catholicæ Ecclesiæ fidelibus; alii vero ex eo redundare asserunt, quod idem Sacerdos paulo ante dixerit *pro Ecclesia tua sancta Catholica*. Verum hujuscemodi momenta nimis levia sunt, ut inde rite corripi valeat Ecclesiæ praxis, quæ quidem in illis verbis *pro Ecclesia tua sancta Catholica*, pro omnibus Catholicis, sed generatim orat, unde locus semper remanet orandi pro iisdem singillatim, uti reapse præstat pro Papa, pro Episcopo, & in quibusdam locis, ut supra dicebamus, pro Rege etiam. Quoniam vero fideles reliquos hoc pacto non decebat negligi, & aliunde præ multitudine sigillatim nominari non poterant, præfata verba Canoni inserenda esse existimavit, ut eosdem, seu privati, seu viri Principes sint, etiam commemoraret, quod sicuti intelligitur cum exceptione eorum, scillicet Papæ, Episcopi, & in aliquibus locis, etiam Regis, pro quibus jam singillatim deprecatus est, ita intelligas cum exceptione illorum, pro quibus Sacerdos speciatim in memento oraturus est, nec non illorum, qui vel offerunt, vel adsunt Missæ sacrificio, pro quibus Ecclesia in sequenti ejusdem orationis parte, quæ dicitur *memento*, reservat orare, & hoc ipso corruit tota ratio Micrologi, cui ceteroquin ultro concedimus, idem omnino esse *ortohodoxos, & fidei Catholicæ, & Apostolicæ Cultores*, sed statim addimus, synonima ejusmodi adhiberi ad animi affectum plenius exprimendum, ac significandum, nec incongruum in orationibus esse non semel, sed sæpius ac iterum commendatos recensere, & jam postulata repetere.

DECRETUM III.

XXVI. *Nomen Episcopi deputati administratoris Ecclesiæ vacantis non debet in Canone memorari per Sacerdotes Celebrantes.* S. R. C. 22. Augusti 1722. *In Sarcinaten.* Hanc semper rem, de qua satis egimus in superiori Decreto, opus non est immoremur plurimum, ex ibi enim dictis, in Canone memorari debet nomen Episcopi, & ordinarii illius loci, in quo celebratur. Administrator autem amovibilis Ecclesiæ vacantis, etsi aliunde Episcopus sit, & in prædicto loco, donec Ecclesia de novo Pastore provideatur, vices gerat Episcopi, & munere Ordinarii fungatur, vere tamen ejusdem loci nec Episcopus, nec ordinarius est, quare sicuti propterea non gaudet omnibus illis præeminentiis, & prærogativis, quibus fruuntur, & gaudent omnes alii Episcopi in propriis Diœcesibus, ita utique neque ea, de qua nunc agimus, quæ una est ex potioribus.

XXVII. Unde digressi sumus continuo revertentes examinare sumimus eam ejusdem orationis partem, quæ incipit *memento*; quæ in nonnullis Missalibus *Oratio super Diptycha* reperitur inscripta, eo quod hic ex Diptychis olim legerentur offeren-

rentium nomina; *nunc commemoratio pro vivis*, communiter inscribitur, eo quod de solis vivis commemoratio, seu precatio fieri debeat, nullatenus vero de Defunctis, quos Ecclesia post Consecrationem distinctim, seu separatim a vivis, commemorare reservat. Hoc igitur in loco Celebrans orat pro iis, quibus Sacrificii fructum applicare intendit, pro se, aliisque, pro quibus orare voluerit, ac postea pergit orare pro iis, qui Sacrificio intersunt dicens, *& omnium circumstantium*, & post pauca addit ea verba, *pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*, quæ diversas admodum apud Auctores sortiuntur interpretationes.

XXVIII. Micrologus cap. 23. ab hac Canonis oratione olim abfuisse tradit ea verba, *pro quibus tibi offerimus*, atque ea tantum legi, *qui tibi offerunt*, & reapse verba illa desunt in antiquo ordine Romano, & in pluribus vetustis Missalibus. Sunt, qui putant pro varietate lectionis diversorum Missalium, quorum quædam haberent, *qui tibi offerunt*, alia *pro quibus tibi offerimus*, utramque lectionem esse invectam, addita particula *vel*; ut Sacerdos pro libito, quæ sibi magis arrideret, eam sequeretur, præsertim quia particula *vel* in nonnullis Missalibus scripta reperiatur Rubrica. Pouget hujusmodi rejicit Sacerdotis optionem, & consuetudinem damnat scribendi rubrica particulam *vel*, quæ Sacerdotem inducere possit, ut utrovis modo legat. Et sane si solummodo dicas, *pro quibus tibi offerimus*, & sileas, *vel qui tibi offerunt*, quæ sequuntur verba jam omni sensu destituuntur, quare libertas adesse utique non potest alterutrum pro libito omittendi, sed saltem necesse est dicatur, *qui tibi offerunt*, ut prædicta verba legitimum sensum sortiantur.

XXIX. Georgius Major Heterodoxus apud Bellarminum cap. 21. in iis verbis: *pro quibus tibi offerimus vel qui tibi offerunt* correctionem quamdam contineri arbitratur. Sed Benedictus XIV. lib. 2. cap. 13. num. 13. Orationis expeditum tradit esse sensum. Videlicet in ea non solum Deo commendari peculiares personas, sed eos etiam, pro quibus offertur Sacrificium, ac reliquos omnes, quibus quoquomodo convenit nomen offerentium, ac perinde particulam *vel*, non disjunctive, sed copulative esse accipiendam; sicuti apposite eam explicat Menardus in notis ad Sacramentarium Sancti Gregorii. *Particula disjunctiva* vel *usurpatur pro copulativa, quod sæpe contingit.*

XXX. Innocentius III. libro 3. cap. 5. ut supra dicebamus, non modo Sacerdotes, sed reliquos etiam fideles, docet offerre, cum a Sacerdote Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebratur. *Non solum offerunt Sacerdotes, sed & universi fideles, nam quod specialiter adimpletur ministerio Sacerdotum, hoc universaliter agitur voto fidelium.* Ad rem facit admodum illud Orationis secundæ Canonis, ubi dicitur *hanc oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus Domine, ut placatus accipias.* In Oratione quæ ad consecrationem subsequitur. *Unde & memores, Domine, nos servi tui, sed & plebs tua Sancta .... offerimus præclaræ Majestati tuæ:* & vix aliquam ex orationibus, quæ *Secreta* dicuntur, reperiri est, in qua non solum Sacerdotem, sed etiam totum populum offerre simul cum Celebrante non colligatur. Hinc belle Sanctus Petrus Damianus Ver. Dominus vobiscum cap. 8. *A cunctis fidelibus non solum, sed & Mulieribus*, ut jam vidimus supra, *Sacrificium illud laudis offertur, licet ab uno specialiter offerri Sacerdote videatur, quia quod ille Deo offerendo manibus tractat, hoc multitudo fidelium intenta devotione commendat.* Dignus ad rem qui videatur est etiam Berlendus S. 8. num. 5. & 6., qui exemplis plurimis late ostendit, offerentis nomen etiam ei convenire, qui ad Sacrificium, quod fit a Sacerdote, quoquomodo concurrit; ac consequenter, *pro quibus offerimus*, ab Auctoribus adaptatur Sacerdotibus, *vel qui tibi offerunt* vero laicis, qui suam cum Sacerdotum intentione conjungunt, vel externum aliquid exhibent, missæ ministrando, assistendo, necessaria suppeditando, eleemosynam largiendo, &c.

XXXI. Macrus verbo Canon missæ sic habet: *verba illa*, vel qui tibi offerunt, *intelligentur non pro ipsis tantum offerentibus, sed etiam pro circumstantibus, ipsi enim eorum precibus cooperantur in partem Sacrificii. Tandem possunt intelligi pro illis, qui eorum eleemosynis celebrari curaverunt.* Azorius denique part. 1. lib. 10. cap. 34. litt. D. sentit quod cum dicitur *pro quibus tibi offerimus*, intelliguntur illi, qui nihil ad hoc Sacrificium contulerunt, nihilque de hoc Sarcificio cogitarunt, ac proinde pro illis offertur Sacrificium, non ipsi offerunt; nomine autem eorum, de quibus dicitur, *vel qui tibi offerunt*, veniunt ceteri omnes, qui aliquid ad Sacrificium peragendum attulerunt, seu qui aut eleemosynam erogarunt, aut Sacrificio præsentes sunt, aut tandem rem divinam faciendam aliquo modo curarunt.

D E C R E T U M IV.

XXXII. *An Celsitudinis Regalis Eminentissimæ Ludovici Domini Cardinalis Hispaniarum Toletanæ, Hispalensis Ecclesiæ administratoris, ac possessoris, licet sacris destituti ordinibus, nomen in Canone Missæ, collecta, & præconio, sit exprimendum, & responsum fuit affirmative.* Sac. R. C. 19. Januarii 1743. in Hispalen. Sanctio hæc iis, quæ superius diximus, limitationem adhibet, & declarationem. Limitationem quidem, quatenus cum nos Episcopi administratoris nomen in Canone Missæ universim, & generaliter tacendum esse diximus, definitur modo, quod secus est, si ille fuerit simul Ecclesiæ administrator, atque possessor: declarationem vero, dum subditur *licet sacris destituti ordinibus*. Unde lex generalis fit, nomen electi in Episcopum, esto nondum consecrati, quin immo nec in Sacris ordinibus constituti, exprimendum esse in Canone; quia hoc ipso exercere potest omnia, quæ ad jurisdictionem pertinent, quemadmodum agendo de nuptiis, nos ipsi de Parochis similiter elocuti fuimus.

XXXIII. *Communicantes, & memoriam venerantes.* Verba sunt, quæ pariter ad ejusdem primam Canonis orationem pertinent, & cum illis verbis sensum prosequuntur, in quibus antea dicebatur: *supplices rogamus, & offerimus*; illisque veluti conjunguntur, significantque unionem Sanctorum, qui in cælo sunt, cum fidelibus, qui degunt in terris, hoc est conformitatem triumphantis Ecclesiæ cum militante; & cum pro his preces fundat Ecclesia, propterea, ut Deum sibi faciat propitium, Sanctorum unitatem, merita, & gloriam commemorat, quemadmodum Hebræi Abrahami merita, aliorumque Patriarcharum commemorabant, ut si non per merita propria, eorum saltem intuitu meritorum, in sua tutela Deus quoque habere dignaretur populum, qui Viros honorabat ab ipso tantopere dilectos, eisque strictissime in perfecta, & consummata Charitate conjunctos. Nos igitur probe conscii Deum propter Sanctos multa nobis largiri, quæ per nosmetipsos, neque postulare, & quod etiam majus est, ne quidem sperare auderemus, in hac orationis parte Sanctorum auxilium, & opem petimus, & jure merito primum Beatæ Virginis Mariæ, deinde duodecim Apostolorum, & totidem tandem Martyrum; nullorum vero Confessorum, vel quia ut nos alias diximus, priscis illis temporibus Ecclesia non solebat Confessores venerari, vel quia cum in Missa repræsentetur cruentum Christi sacrificium, eos ex Sanctis solummodo memorare visum est, qui proprii sanguinis effusione Christi passionem sunt imitati. Hic monendum censeo, quod in *Communicantes* proprio Pentecostes legi debet *in igneis linguis*, non vero *innumeris*, juxta Missale Rom. impressionis Vaticanæ 1735., & 1742., & Rationale Rubei par. 48.

XXXIV. Cur inter Apostolos Sancti Matthiæ mentio nulla hic habeatur, quærunt Auctores, & uno ore reponunt, quia Passionis Christi tempore nondum erat Apostolus, nec in Evangeliis ejus nomen legitur inter Apostolos; quare sicuti post Christi mortem inter Apostolorum societatem fuit connumeratus, ita ejusdem mentio post consecrationem fuit instituta. Ab hac tamen lege abit Paulus, qui etsi noonisi post Christi mortem creatus fuerit Apostolus, adhuc ejus nomen recensetur, quia, ut ait Bellarminus lib. 2. de Missa cap. 26. illum a Beato Petro nunquam Ecclesia Romana sejungit. Qui recensentur ex Martyribus sunt satis noti, habent namque sub respectivo nomine in Romano ipso Breviario etiam officium, uno dempto Xisto, de quo Auctores dubitant, an sit hujus nominis primus, vel secundus. Si ex officio res decidenda foret, in favorem secundi, de quo in Breviario Romano die 6. Augusti mentio fit, seu commemoratio simul cum SS. Felicissimo, & Agapito, pronunciandum esset, sed nobis arridet ordo litteræ, quæ cum prius Xistum nominet, quam Cornelium, insimul nos edocere videtur primum esse, qui Cornelium in passione præcessit, non secundum, qui post eumdem Cornelium in Petri Cathedra sedit.

XXXV. Hæc oratio, sicut & reliquæ omnes, eam in clausulam desinit *per Christum Dominum nostrum*, & per eam nobis datur intelligi Sanctorum omnium, quorum opem imploravimus, intercessionem alicujus non esse momenti, nisi per merita Passionis Christi Domini nostri, ut magis dicebamus exponentes instructionem pro expositione quadraginta horarum §. 14. Quæ Canonis pars ex sententia Rodulphi, & Durandi, a Siricio Papa composita dicitur anno 389. Alii tamen Lino Pontifici eamdem attribuunt. Quomodocumque sit, hoc certum est, quod hæc Canonis pars est antiquissima, reperitur enim commemoratio Sanctorum, quæ fit in Canone, apud Augustinum, Hieronymum, aliosque priscos Sanctos Patres. Nunc ex superius dictis meminisse juvat, quod Canon a nonnullis nominatur *actio*, ut inde innotescat titulus *infra actionem*, qui huic orationi in Missali præponitur, dicitur enim *infra actionem*, quia infra Canonem recitatur, ut scite exponit Benedictus XIV. to *infra* accepto pro *intra*, non quidem juxta Grammaticos, sed juxta Idiotismum, quem adoptarunt quidam Ecclesiasticorum librorum scriptores, qui propterea dicunt *infra octavam*, loco dicendi *intra octavam*.

XXXVI. Supra diximus, quod in nonnullis Missalibus hæc oratio super *Diptycha* inscribitur, unde ad pleniorem habendam instructionem, quid nomine *Diptycha* intelligatur, remanet videndum. Quia tamen immoraremur plurimum, si quæ de antiquis Diptychis referunt Auctores diffuse hic enarrare vellemus, ideo brevitatis gratia, quæ de iisdem Benedictus XIV. scribit de Sacrif. missæ lib. 2. cap. 13. num. 26. summatim contenti sumus adducere. Diptychæ igitur nihil aliud erant, nisi asseres quidam divisi in tres partes, ita sibi juncti, ut complicari possent, in quorum primo quorundam Sanctorum, & præsertim B. Virginis, Apostolorum, & Martyrum, in altero fidelium nomina referebantur, qui viverent, & dignitate essent illustres, vel de Ecclesia optime meriti, offerentes quoque, non tamen omnes, ne quam par est diutius sacræ protraherentur functiones, sed eorumdem offerentium præcipui, & eximii; minus præcipuis ne quidem omissis, sed sub generali fidelium omnium nomine, comprehensis. Tertius asser habebat nomina defunctorum, qui in fidelium Communione mortui essent. In missis privatis Sacerdos, in solemnibus Diaconus, aut Subdiaconus ea nomina recitabat. Unde Martene de Antiquis Ecclesiæ ritibus lib. 1. cap. 14. art. 8. num. 14. *Nomina recensebat ipse Sacerdos, maxime in missis privatis, in quibus non ministrabat Diaconus,*

ubi

aut Subdiaconus. Juxta Ritum Romanum, principio Canonis vivorum, ac præcipue Summi Pontificis, & Episcopi nomina pronunciabantur, cujusmodi est doctrina, qua nunc utimur in prima oratione *Te igitur*. Deinde ad *memento Domine*, vivorum, qui vel eximii essent Offerentes, vel magna in Ecclesia Beneficia contulissent, nomina in Diptycha relata recitabantur, propterea nunc pausatur aliquantisper, ut eorum præcipua fiat Commemoratio, quos Sacerdos tacitus Deo commendat. Post ea verba *communicantes*, *& memoriam venerantes*, Index, seu Catalogus pronunciabatur, in quem relata erant Sanctorum nomina. Consuetudo ejusmodi dicitur, quod viguerit usque ad sæculum undecimum, & in duodecimo obsolevisse, cum ea disciplina introducta fuit, ut Sacerdos submissa voce, vel mentali oratione offerentes Deo commendet; verum, qui prædictæ disciplinæ varietatem, vicissitudines, finem, & cessationis caussam scire exoptat, Berlendum consulat tractatu de oblationibus part. 1. tit. 9.

D E C R E T U M V.

XXXVII. *Cum in Missali ultra primam in principio detur & altera Rubrica in ordine, & Canone missæ, & inter has videatur aliqua discrepantia, præcipue in inclinationibus, & manuum junctionibus, quæritur, quænam sequendæ? Responsum fuit pari forma servandas esse, tum Rubricas generales, tum particulares Missalis Romani, ad Cæremonias inclinationibus, & manuum junctione rite peragendas*. Sacra Rituum Congregat. 21. Martii 1744. *In Bergom.* Inter Rubricistas celebris agitatur quæstio, num prima illa verba Canonis *Te igitur &c.* debeant proferri simul cum gestibus elevationis manuum, & oculorum, aliisque, an vero e contra omnes actus sint præstandi prius, & postea proferendum *Te igitur*. Gavantus part. 2. tit. 8. n. 1. tenet, quod ad primum gestum, prima quoque Canonis verba sunt proferenda, quia non debet dari gestus sine voce, ne sit inconcinnus, nisi præscribatur expresse; & Gavanti sententiam amplectuntur Bauldryus part. 3. tit. 8. Rub. 1. n. 1. Tonellius lib. 2. tit. 8. Rub. 1. n. 1. Cabrinus c. 8. *statim*, Baldassarius c. 3. Arnaud. part. 2. tit. 8. n. 1. & ultra plures alios, A portu tit. 8. ubi vult, quod dum celebrans elevat manus, & oculos, pronuntiare teneatur, *Te igitur*, dum demittit oculos, & conjungit manus, dicat *Clementissime Pater*, & dum ponit manus junctas super Altare, & inclinatur profunde, pronunciet *per Jesum Christum*.

XXXVIII. Castaldus lib. 2. sect. 8. cap. 6. n. 1. Quarti part. 2. tit. 8. sect. 1. dub. 1. aliique plurimi e contra sentiunt, prima Canonis verba non incipienda esse, nisi peractis gestibus præscriptis, manuum, oculorum &c. adeoque nonnisi manibus super Altare positis, & Celebrante jam inclinato; & huic opinioni Gavantum deserens novissime adhæsit Meratus ibidem n. 1. validis, ut ipse ait, adductus rationum momentis, quæ petit tum ex Rubrica in ordine missæ posita, quæ habet: *extendens*, *elevans*, *jungens &c. Inclinatus dicit &c.* tum ex Rubrica generali, quæ sic habet: *elevans manus*, *oculisque elevatis*, *& manibus junctis*, *& super Altare positis*, *profunde inclinatus dicit*; ut enim advertit ipse ex utriusque Rubricæ præscripto, prima illa verba Canonis *Te igitur* dicenda sunt a Sacerdote jam inclinato, adeoque post omnes prædictos actus. Ulterius progreditur, & productis plurium Rubricarum textibus, probare nititur, posse Sacerdotis gestum præcedere ejusdem verba, & confirmat pluribus exemplis, quibus utitur in idipsum Quarti.

XXXIX. Verum, ut bene advertit A portu, utique dari possunt gestus sine voce, cujusmodi sunt exempla, quæ adducuntur; id tamen tantummodo verum est de illis actibus, qui non important, aut non associantur, aut non concomitantur ex Rubricæ præcepto vocem ipsam, uti evenit in casu nostro, actiones enim hujusmodi, vel important, vel associantur, vel concomitantur profecto, ex Rubricæ dispositione, vocem, seu verborum prolationem; cum Participia, scilicet *extendens*, *jungens*, *elevans*, &c. quibus Rubrica utitur in his gestibus præscribendis, sive sint præsentis, sive sint præteriti temporis, reguntur omnia a verbo principali, *Dicit*, quod verbum refertur, non minus ad prima, quam ad subsequentia vocabula, unde sensus fit, *extendens manus dicit*, *jungens dicit &c.* qui dicendi modus quis unquam dubitare potest, quin importet gestus simultatem cum verborum prolatione.

XL. Quæ cum ita se habeant, & Rubrica specialis semper prævaleat contra generalem, cujus sensum illa aperit, idcirco, ut prælatæ concordentur Rubricæ, & omnes pari forma serventur, sicuti præsens mandat Decretum, necesse est generalis Rubrica trahatur ad intellectum Rubricæ specialis. Et sane dispositio Cæremon. Episcoporum lib. 2. c. 28. §. 68., scilicet *manibus super Altare positis*, *devote inclinatus extollit ad crucem oculos*, *& eos statim demittit*, *& incipit*, *ac prosequitur secrete totum Canonem*, qua idem utitur Meratus ad probandum, quod Celebrans non debet proferre prima Canonis verba, nisi postquam posuerit manus super Altare, & inclinatus fuerit, quatenus, inquam, prædicta dispositio, ut præsile sonat, esset accipienda, & non trahenda ad sensum prædictæ specialis Rubricæ, quisquis videt facile, quod Sacerdos non deberet tollere ad crucem oculos, nisi postquam posuerit manus super Altare, & fuerit inclinatus, quo quid absurdius? Nonne prælatæ Rubricæ generalis, & specialis in eo conveniunt, quod Sacerdos primum attollat, & demittat oculos, & postea super Altare manus ponat, & se inclinet?

XLI. Magis alicujus difficultatis specimen præseferre videtur id, quod ex Trimatchio præfatus subdit Meratus, videlicet, quod non bene oculi, ac manus, & respective elevari, & demitti, & conjungi, & supra Altare poni possunt, eodem momento, quo verba Canonis leguntur; cum enim totus Canon legi debeat, & non memoriter recitari, quomodo potest ad Crucem oculos tollere, & simul eos tenere super missale, ex quo legit? *Difficultatis specimen* consulto diximus. Hæc enim levis admodum ponderis sunt, neque digna, quæ a tanto Auctore proferantur: Quod namque ipse reponet ad Rubricam alteram tit. 8. n. 4. quæ diserte mandat, quod Sacerdos elevans ad cælum oculos, & statim demittens dicat, *& elevatis oculis in cælum ad te Deum &c.*, etiam nos reponemus ad id, quod in præsentiarum nobis objicit. Quando enim dicitur, quod *totus Canon ex libro legi debet*, *& non memoriter recitari*, non debet ita rigide intelligi, ut aliqua pauca ejusdem verba, maxime quæ cum gestibus conjuncta sunt, non possint memoriter recitari, dummodo probe sciantur, aut ex præcedenti obtutu bene recenterque fuerint memoriæ tradita; unde, & quando Sacerdos efformat Cruces super oblata, satius est, quod concomitantia verba, ut supra memoriter recitet, quam ea ex libro legat cum periculo versandi Calicem; & hac de causa Canonem Missæ memoriter a Presbyteris teneri jubet Riculfus Suessionensis Episcopus in sua Constitutione 5., quia etsi ex libro legi debeat juxta &c. adhuc tamen expedit, quod memoriæ mandetur, ut expeditius, absque omissionis periculo, ea verba proferantur, quæ cum actionibus ipsis sunt conjungenda, nec simultanee legi possunt: non enim alia ratione totus Canon legi mandatur, quam ad præcavendum periculum, quod certe abest in nostro casu, omissionis nonnullorum ejusdem Canonis verborum. Cum igitur prædicta Rubrica specialis, non aliam, nisi violentam admodum, apta sit suscipere expositionem, & aliunde attollentiæ manuum, & oculorum apprime congruant prima verba Canonis *Te igitur Clementissime Pater*, e partibus Gavanti nos magis standum esse in hac parte credimus.

R I T U A L I A.

XLII. Completa itaque ex toto Præfatione, & facto sibi signo Crucis ad ultimum ipsius verbum *Benedictus qui venit &c.* Sacerdos erectus, & corpore, & capite, stans ante medium Altaris, ut prius stabat, aliquantulum extendit, & elevat manus, & simul attollens oculos ad Crucifixi Imaginem dicit *Te igitur*; mox demittens oculos & jungens manus, subdit *Clementissime Pater*; quo dicto ponit manus junctas super Altare, & inclinatur profunde inclinatione medii corporis, pronuntians *per Jesum Christum &c.* dicto *Rogamus ac petimus*, extensis hinc inde manibus super Altare extra Corporale osculatur Altare in medio, mox erigit se, & manibus junctis ante pectus dicit, *uti accepta habeas*, *& benedicas*, & continuo deposita sinistra manu super Altare extra Corporale dicit, *hæc dona*, *hæc munera*, *hæc sancta Sacrificia illibata*, & dum profert hæc verba, dextera manu signat ter communiter super Hostiam & Calicem, unaquaque vice post verbum, *hæc*, ut in Missali notatur; deinde extensis manibus ante pectus, sicuti tenentur ad collectas, prosequitur: *In primis*, *quæ tibi offerimus*, & dum exprimit nomen Papæ inclinat caput versus librum, in reverentiæ signum, non tamen dum postea Antistitem, vel Episcopum nominat; nullibi namque Rubrica, ad nomen Episcopi, reverentiam assignat, bene vero ad nomen Papæ, quare, etsi modo sileat, rationis identitas, similiter faciendum esse demonstrat.

XLIII. Cum dicit *memento Domine* elevat manus usque ad mentum circiter, easque jungit, & manibus sic junctis, & capite aliquantulum demisso, paulliper stat in quiete, commemorationem vivorum faciens saltem per spatium unius *Pater noster*, *capite aliqualiter inclinato*: ergo oculi elevari versus crucem non debent. An autem oculi claudi debeant, non conveniunt Auctores; negat tamen Gavantus, nisi forte claudantur ad majorem animi compositionem, addit Meratus; nondum enim sub Hostia est Corpus Christi, sicut evenit ad *memento* pro Defunctis, ut propterea ad eamdem oculi intenti teneri debeant, & non clausi ad evitandam distractionem. Sacerdotis arbitrio plane commissum est pro quibus maluerit, secreto orare, submissa voce eorumdem expressis nominibus, vel sola mente retentis; quamvis enim nefas sit in Canone alias Personas nominare præter Pontificem, & Episcopum, & Regem in iis locis in quibus inveterata, ac legitima consuetudo &c. sine dispensatione Apostolica, &c. hic tamen remissum est arbitrio Celebrantis; quia ubi Sacerdos facit Orationem pro Papa, & Episcopo procedit nomine Ecclesiæ publico, ubi autem hanc facit commemorationem, hanc facit nomine suo privato. En Missalis Rubricam: *faciens commemorationem vivorum Christi fidelium*, *ad suam voluntatem*, *quorum nomina*, *si vult secreta commemoret*, *non tamen necesse est ea exprimere*.

XLIV. *Ad suam voluntatem*. Est igitur in Celebrantis arbitrio quorumcumque vivorum (quippe de Defunctis post consecrationem fieri præscripta est) commemorationem habere, seu facere. An autem expressis eorum nominibus, vel potius sola mente retentis dubium non est, quod quoque Sacerdotis arbitrio commissum est, illorum nomina voce secreta exprimere, vel sola mente recensere, unde Rubrica habet: *quorum nomina*, *si vult secreto commemoret*, *non tamen necesse est ea exprimere*, *&c.* Restringitur itaque difficultas, an satius sit eorumdem nomina exprimere, an sola mente recolere; qua in parte Doctores fere omnes stant pro commemoratione mentali, quinimmo testantur

de usu communi, qui iis Rubricæ verbis, *sed mente tantum eorum memoriam habeat*, inniti posse videtur. Nos tamen in capite de collectis Defunctorum, *susceptorum suorum* (sic eos appellat Divus Parens noster Augustinus, Epist. 59. q. 5. pro quibus specialiter offerre Sacerdos decrevit) nomina submissa voce exprimere satius esse judicavimus, & Rubricis ipsis conformius, quæ cum teneant litteras NN., ex usitato more, expressionem nominum importare videntur. Accedit, quod antiquitus eorumdem nomina ex Diptychis alta voce legebantur, qui mos ob fidelium scandala, qui furta rapinasque committere non formidabant, ut haberent unde large offerrent, ad effectum, ut eorum etiam nomina in Ecclesia legerentur, etsi modo rite desierit, nemo negare potest, quin in commemorationem submissa voce bene commutetur, qua & scandala tolluntur, & moris, quantum fieri licet, tenetur antiquitas. Ad Rubricam vero quod attinet, facilis est responsio; non enim commemorationem mentalem illa præcipit aut laudat; quæ jam Celebrantis fecit arbitrium, sed præcise declarat, quod sacerdos, si vult, potest nomina sola mente recurrere; unde to *si vult*, in sequenti dispositione non minus subintelligitur, quam si ipsa diceret, *sed mente tantum, si vult, eorum memoriam habeat*.

XLV. *Virorum Christi fidelium*, ait memorata Rubrica, quæ per ea verba videtur innuere dumtaxat Christi fidelium commemorationem fieri esse concessum; non hæreticorum, aut infidelium. In oppositum tamen stat communis Doctorum sententia, qui ea ratione ducuntur, quia hæc oratio privata est, & non fit nomine publico; unde ab ea nequidem excluduntur excommunicati vitandi, qui solum communibus, non privatis expoliantur suffragiis. Quare ad Rubricam dicere cogimur, quod de Christi fidelibus quidem affirmat, sed ne quidem minimum verbum habet, quo infideles, aliique supra recensiti excludantur.

XLVI. Quod si pro pluribus Celebrans intendat orare, Rubrica suggerit modum, ut videlicet commemorationem eorum, pro quibus orare intendit, missæ præmittat, aut eosdem omnes sibi animo proponat, & hic communiter unico contextu commemorationem faciat. Sic ex uno capite Sacerdos non erit in missa circumstantibus molestus, ut observat Rubrica, & ex alio capite oratio illa, esto confusa, & generalis, ejusdem erit valoris, ac si expressa esset de singulis in particulari, propter moralem connexionem, quæ intercedit inter particularem habitam ante missam, & confusam, seu generalem commemorationem, quæ a Celebrante in missa fit, quemadmodum rite advertit, & valide probat Quarti part. 2. tit. 8. dub. 4. quam agendi rationem laudat quoque Divus Bonaventura, dum de *præparatione ad missam* cap. 12. monet Sacerdotem, ut in memento missæ sub compendio referat intentionem ad omnes, pro quibus antea oravit, sive orare statuit, atque promisit.

XLVII. Marcellus Cavalieri Episcopus Gravinensis, cujus sumus ex Fratre Nepotes, in sua statera Sacra pagina 300. refert, quod Pater Vincentius Ferre se Sacerdotio vix initiatum a commemoratione hoc loco debita sic docuit expedire: *intelligo orare pro iis, pro quibus teneor justitia, obedientia, & charitate*, mente ad eos directa, pro quibus ante Missam distincte orare proposuerat. Hanc agendi methodum comprobare videtur, dum prosequitur dicere, quod sic brevi sane mora, ac veluti in momento *memento* persolvatur, a tædio opportune eximuntur adstantes, tota quæcumque censeatur, tribus illis contenta verbis solvitur obligatio, & quod Oratio hujusmodi, licet generalis, dummodo ei non desit moralis continuatio, & connexio cum præcedenti expressa commemoratione de singulis in particulari jam ante accessum ad Altare peracta, eumdem valorem sortitur, & efficaciam, quam consequitur Oratio expressa & actualis distincta pro singulis, & facta censetur in ipso actu Sacrificii, cujus Orationes longe eis præstant, quæ extra Sacrificium fiunt. Quod documentum ita ad praxim reduxisse fatetur, ut sui ipsius, nec non eorum, pro quibus specialissime offerre proposuerat, prius meminisse numquam defierit.

XLVIII. Quinque Christi plagas, ut memoriam juvent, sibi proponunt aliqui, & in prima manus dextræ Deo commendant Papam, Prælatos Ecclesiæ, ac totum Statum Ecclesiasticum: in secunda sinistræ manus Regem, & Principes Sæculares, eorumque ministros: in tertia pedis dextri omnes Religiones, & præcipue suam quisque propriam: in quarta pedis sinistri suos consanguineos, amicos, & benefactores, omnesque, qui se suis commendaverunt orationibus, & speciatim eum, pro quo tenetur Sacrificium offerre: Tandem plagam lateris pro se ipso reservat, & pro Patre, Matre, fratribus ac sororibus; sic enim orat, & offert Sacerdos probe conscius, juxta monitum Apostoli Hebr. 7. *se habere necessitatem prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi*, & quo in altiori gradu est, in majori se necessitate esse constitutum; quia *cui multum datum est, multum quæretur ab eo*, uti dicitur Lucæ 12. 45.

XLIX. Dixerunt alii per casus Grammaticæ, ita quod *Nominativus* se ipsum memoriæ ingerat, *Genitivus* parentes, fratres, &c. Ecclesiæ Prælatos, tum Sacerdotes, & Principes sæculares. *Dativus* Amicos, & benefactores, eos præsertim, qui eleemosynam tribuerint. *Accusativus* Inimicos, & persecutores. *Vocativus* eos, quos ad se continuo vocat Ecclesia, hæreticos, schismaticos, Judæos &c. aliosque hujusmodi sectarios, ut convertantur. *Ablativus* tandem in afflictionibus positos, nec non eos, quos verbis, vel operibus, aut exemplo a Deo abstraxit, illis occasio peccandi, seu scandalum existens, aut quibus vel eleemosynis spiritualibus, vel corporalibus, correctione fraterna, aliisque misericordiæ operibus, cum posset illis juvare, præstu non fuit.

L. Consimilis, & concinnior forsitan est formula, quam ex Seranno 2. parte missæ n. 28. affert Meratus part. 2. tit. 8. n. 8. videlicet *memento, Domine, famulorum, famularumque tuarum*, hoc est mei, & eorum, pro quo, vel pro quibus in particulari sacrificare debeo, parentum, fratrum, sororum, consanguineorum, & amicorum meorum omnium; quibus fui gravamen, scandalum, & occasio peccandi; omnium benefactorum meorum in genere, & in specie; omnium Episcoporum, Sacerdotum, & Ministrorum Ecclesiæ Catholicæ; omnium Principum temporalium, cum suis Ministris; omnium inimicorum, & persecutorum meorum, ac omnium fidelium universorum, ad dimissionem culpæ, & largitionem gratiæ, & donorum Spiritus Sancti; omnium hæreticorum, schismaticorum, excommunicatorum, & Infidelium, ad conversionem; & tandem omnium eorum, pro quibus, & vis Domine, & scis me debere orare, & illo gradu, & pro illis rebus, in quo, & pro quibus teneor offerre, & pro omnibus circumstantibus &c.

LI. Adsunt & aliæ formulæ, quibus alii utuntur, sed nobis, quam modo produximus, arridet admodum, quia hoc modo Sacerdos, *quasi communis quidam*, ut ait Chrysostomus Hom. 6. in 1. Tim., *totius Pater, omnium curam agit, omnibusque providet, sicut & Deus, cujus ministerio fervit, & fungitur vice*; uti tamen certum est, quod orandi formula est in Celebrantis arbitrio, ita & orare pro quibus magis voluerit. An autem itidem orare simpliciter sit æque in Celebrantis arbitrio, ita ut aliquos possit excludere a suis in missa precibus, aut orationem omittere? Videtur, quod Quarti affirmet, & conetur probare ex illis Rubricæ verbis, *Faciens commemorationem vivorum ad suam voluntatem*. Verum nos credere maluimus, quod totum Celebrantis arbitrium sistat in orare pro uno magis, & ferventius, quam pro alio, & orare simpliciter pro omnibus cadat sub præcepto; habet enim Rubrica: *Sic junctis manibus, stat paulisper in quiete faciens commemorationem vivorum Christi fidelium ad suam voluntatem*. Quibus prioribus verbis præceptum importari videtur, & Celebrantis arbitrium se dumtaxat tenere ex parte eorum, pro quibus ex vi ipsius Rubricæ orare debet. Ad rem item apprime faciunt ea verba Rubricæ particularis, *jungit manus, orat aliquantulum pro quibus orare intendit*. In quibus diserte demandatur oratio pro iis, pro quibus Celebrans orare maluerit; to enim *pro quibus orare intendit*, debet accipi juxta Rubricæ mandatum, hoc est pro vivis Christi fidelibus, pro omnibus vivis fidelibus utique generaliter; relicta tantum in arbitrio Celebrantis commemoratione particulari fidelium eorum, pro quibus speciatim, seu ferventius ei orare placuerit. Hinc S. Clemens I. Const. Apost. cap. 12. sic habet: *adhuc precamur pro Ecclesia tua sancta a finibus, usque ad fines propagata*.

LII. Supra traditæ formulæ conformes non videntur mandato Rubricæ, *stat paulisper in quiete, orat aliquantulum*. Nam juxta illas Celebrans non potest a Commemoratione præfata ita sollicite se expediri, sicuti Rubrica mandat. Dicendum itaque, quod præfatæ formulæ non exhibentur reducendæ ad praxim, dum Celebrans ad Altare sistit, sed præmittendæ sacrificio Missæ, ut cum ad orationem *memento* pervenerit Sacerdos, juxta monitum Divi Bonaventuræ de præparatione Missæ loco supracitato, possit sub compendio intentionem referre ad omnes, pro quibus antea oravit, seu orare promisit, & sic sollicite uti par est, vivorum commemorationem rite absolvere.

LIII. Vivorum commemoratione, ut supra, absoluta, Sacerdos demittit manus, quæ jam fuerant elevatæ usque ad mentum, & iisdem extensis, ut ad orationem, prosequitur, *& omnium circumstantium*; Odo Cameracensis Episcopus, qui floruit anno 1108. in sua sacri Canonis expositione, hujusmodi verba, *& omnium circumstantium*, *&c.* uti sonant pro iis præcipue, si non tantum, dicta esse censet, qui missæ sacrificio personaliter intersunt, ac missam audiunt, & ut ipse loquitur fiunt *Sanctorum cooperatores Mysteriorum*, uti sentiunt Innocentius III. & Alexander de Ales, qui animadvertentes quam sanctum sit, ac salubre, Missæ Sacrificio personaliter interesse, hos in Missæ fructus participatione aliquo modo iis ipsis præponunt, qui absentes consuetam eleemosynam elargiuntur, pro ejusdem Missæ celebratione. Existimant alii ea verba, *& omnium circumstantium* extendi posse etiam ad omnes alios, qui alibi Missæ Sacrificio intersunt: cum enim omnium sacrificiorum eadem omnino victima, quæ immolatur, sit, omnes, qui Missæ intersunt, sive in una, sive in alia Ecclesia, huic Sacrificio circumstantes censentur, & consequenter pro omnibus, qui alibi etiam Missæ Sacrificio intersunt, fieri memoratis verbis commemorationem in omnibus missis non incongrue opinantur Doctores. Ex his evincitur quanti momenti sit Missæ Sacrificio interesse, & quantis bonis se privant, & expoliant animas suas, qui missas audire contemnunt.

LIV. Manibus, ut supra, extensis, quemadmodum ad orationes, recitat etiam *Communicantes*. Ad nomen Mariæ versus librum Celebrans caput inclinat inclinatione minimarum media, quæ fit notabili capitis inclinatione tantum, idest non corporis. Post hanc inclinationem non se erigit, sed paulatim adhuc caput profundius inclinat versus Crucem ad nomen *Jesu*; inclinatione item minimarum minima versus librum caput inclinat ad nomina Sanctorum, qui in hoc *Communicantes* recensentur, si eo die fiat missa, vel specialis commemoratio de illorum aliquo, vel aliquibus, quod & observatur per eorum octavas, si habeant. Si celebretur tamen missa de Requiem, hæc specialis inclinatio non videtur ad rem. In conclusione denique, cum dicit per *eumdem*, jungit de more manus ante pectus.

LV. Ad

LV. Ad missam solemnem quod attinet, Sacerdos omnia omnino præstat, quæ supra ab eo præstanda diximus in missa privata. Diaconus continuat in assistentia ad Librum, & quatenus alius Sacerdos ad Librum assistat, ille persistit ad dexteram Celebrantis, utroque caput inclinante ad ea verba, ad quæ Sacerdos caput inclinat. Subdiaconus autem retro Celebrantem, ut supra, stat Patenam sustentans. Non sic est de Acolythis, qui circa finem Præfationis, sumpto lumine de lampade, aut de cereis, qui sunt ad credentiam, aut de Altari, si aliter fieri non potest, duo saltem intortitia jubentur, ut diximus, accendere, quæ nempe existunt super candelabris, ad id destinatis. Dictio *Saltem*, contenta quidem est numero binario supra expresso, sed quoniam non excludit, imo potius majorem exoptat, ideo binarius numerus erit pro diebus minus solemnibus, & in solemnibus, præcipue in Ecclesiis majoribus, debent accendi quatuor, aut sex.

LVI. Quoties accenduntur hi cerei candelabrorum majorum, A portu non putat necessarium, quod ab Acolythis ad Altare portentur intortitia, quorum delationem diebus solemnibus nos non arbitramur esse omittendam. Portabuntur autem quatuor, sex, adhuc & octo a totidem Acolythis præcedente Cæremoniario, deinde Thuriferario cum Thuribulo. Postquam omnes ingressi sunt Presbyterium, se constituunt in recta linea post Subdiaconum, & demissis in terram intorticiis genuflectunt, & ibi manent genuflexi, eadem intortitia elevantes, quando a Sacerdote SS. Sacramentum elevatur. Quod si facienda sit communio, iidem Acolythi, ne impedimento sint, ad latera ipsius Altaris binc inde se constituunt, & manent genuflexi facie ad invicem versa; quando autem debeant recedere, adhuc etsi a nobis alibi dictum fuerit, agendo de Defunctorum missis, non erit abs re etiam hic tanquam in proprio loco, ea recensere, pro complemento Ritualium ad missam solemnem spectantium.

LVII. Si non sit facienda communio, funalia, seu intortitia, quæ post præfationem deferuntur in Sanctorum missis, post elevationem Calicis mandantur extingui. In casu postea, quod sit facienda communio, accensa remanent usque ad eamdem peractam communionem. Et hujusce ritus ratio est, ut majori pompa, quam in privatis missis SS. Sacramenti fiat elevatio, & ad majorem devotionem, ac reverentiam excitentur fideles, dum eis ostenditur, & proponitur adorandum; cum autem quando facienda est communio, iterum ostendatur populo adoranda, atque sumenda Hostia consecrata, ob eamdem rationem, eumdemque finem præcipitur, quod etiam peracta Calicis elevatione funalia perseverent accensa usque ad factam communionem. Sic in Sanctorum missis, non autem in missis Vigiliarum, aut Defunctorum, de quibus Rubrica mandat, quod in hujusmodi missis funalia teneantur accensa, usque ad peractam Celebrantis communionem, etiam si non sit facienda populi communio. Hujus ordinationis ratio est apud Gavantum part. 2. tit. 8. lit. Q, ne in missis festivis portantes intortitia seu Acolythi maneant genuflexi cæteris stantibus; quod non sequitur in Vigiliarum missis, ac Mortuorum, in quibus jam genuflexi omnes manent in Choro, etiam post elevationem; cessante enim inconveniente, quod ex præfata varietate exurgeret, decens videtur, quod Acolythi cum funalibus accensis maneant genuflexi, usque ad absolutam communionem in obsequium, reverentiam, ac majorem venerationem SS. Sacramenti. In missis itaque festorum, quando facienda est communio, eadem ratione non discedunt, quia aliter redire deberent, cum communio facienda sit accensis luminibus. Sic de more sentit Meratus ibidem n. 29. ubi cum Gavanto ab hoc ritu excipit Vigilias Nativitatis, Paschatis, & Pentecostes, quibus cum Bauldrio, & a Portu addit ferias quintam in Cœna Domini, & quatuor temporum Pentecostes, quod in istis diebus non genuflectatur in choro. Verum futilis est ista ratio, & adeo frivola, ut miremur, quod a Gavanto produci potuerit, & ab aliis adoptari. Quando facienda est communio in missis Sanctorum, non reputatur absurdum, quod Cereorum Acolythi stent genuflexi ceteris stantibus; quare igitur inconveniens censeri debet quando non est facienda communio? Gavantus addit hoc permitti ne cogantur discedere, ut iterum revertantur; at quis non videt, quod sæpe Thuriferarius, Cæremoniarius, aliique Ministri recedunt iterum reversuri? Acolythi, Ceroferarii, & Cæremoniarius ad confessionem genuflectunt, stantibus Ministris Sacris, & etiam illis, qui sunt ad Lectorile. Quando cantatur Epistola, stant Ministri, & sedent ii de choro. Et Diaconus genuflexus petit benedictionem pro Evangelio, stantibus aliis, & adhuc idem Diaconus cum aliis genuflectit ad ea verba Evangelii, *& procidentes adoraverunt*, cum tamen Subdiaconus, & Ceroferarii minime genuflectant; prorsus itaque inepte dicitur, quod ita ordinatum fuerit causa supradictæ varietatis vitandæ, non deformitatem parientis, sed magis decorem, & majorem venerationem inducentis: memorata etenim varietas, potius quod indecens, profecto admodum conveniens est cujusque muneri, atque Ecclesiæ splendori, quæ circumamicta varietatibus a Propheta ipso describitur.

LIX. Hujus itaque ritus ratio aliunde profecto petenda est, quam a Gavanto adductis, & cum juxta Ecclesiæ praxim, fiat usus luminum, nedum in obsequium, ac reverentiam Sacramenti, sed etiam ad fidelium adstantium devotionem, attentionem, ac fervorem excitandum, fovendum, promovendumque erga Sacrosancta missæ Mysteria, in Jejuniorum, & Defunctorum missis, præ aliis festorum cerei accensi tenentur usque ad Sacerdotis communionem, etsi populi communio habenda non sit, ut in illis, qui dies sunt pœnitentiæ, & ad plangenda peccata præcipue destinati, repræsentantque nobis statum miserabilem animarum sub servitute peccati degentium, incitentur fideles ad validos pœnitentiæ actus, ferventioris contritionis, atque perseverantis orationis, pro venia obtinenda, quamdiu in Altari Sacramentum perseverat, & quodammodo efficaciores sint preces. Hinc, quia Defunctorum missæ repræsentant Purgatorii animas inter pœnas, & flammas, & suffragiorum nostrorum admodum indigentes, Ecclesia, quæ earumdem miseriis valde compatitur, prædicto ritu intendit excitare fideles ad tunc potissimum succurrendum abundantius, & ferventius iisdem animabus. Quo vero ad recensitos jejuniorum dies, credimus intortitia removeri posse, quia etsi in iisdem jejunetur, eorum tamen missa agitur, festivo more, & festorum instar, in quibus post Calicis elevationem removentur.

CAPUT XVII.

De secunda Canonis Oratione.

H*Anc igitur oblationem* incipit Secunda Canonis oratio, qua petitionem nostram concludimus, Deum rogantes, ut oblationem, de qua supra, placatus accipiat, quasi, ut quod peccatis nostris præpediti non valemus, communione saltem sanctæ Ecclesiæ, ac Sanctorum suorum meritis, & precibus, quorum memoriam in *Communicantes* fecimus, nobis impertiri ipse non dedignetur. Subsequentia ejusdem orationis verba, videlicet *diesque nostros in sua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum jubeas grege numerari*, Gregorii Magni additamenta esse concordes affirmant Auctores, & adjecta ferunt occasione pestis in Urbe grassantis, bellorumque suo tempore ingruentium, ut notat Lopez lib. 2. cap. 19. & Joannes Diaconus in Vita Sancti Gregorii lib. 2. cap. 17. De prioribus illis verbis *Hanc igitur &c.* dumtaxat remanet dubium, & Alcuinus ea tribuit Gelasio; Rudulphus Leoni Magno, sed iisdem esse antiquiora scribit Hugo lib. 2. de sacram. parte 8. cap. 14. ubi cum Soto Petrum Romanæ missæ auctorem faciens, subdit in initio fidei, tres illas orationes Canonis in usu fuisse, scilicet *Hanc igitur oblationem* cum sequentibus, quod & confirmat Gravina, qui asserit pervetusta esse Apostolicæque traditionis vestigia, & reapse in liturgia Sancti Petri græca, una cum *Communicantes* reperiri docet Marcellus Cavalieri. Insuper in pervetusto etiam Carcassonensi Codice descripta reperitur Oratio *Hanc igitur* his subsequentibus verbis: *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus Domine, ut placatus accipias, actionesque meas indignanter intendas, tribulationes cordis mei misericorditer auferas, placabiliter vota suscipias, libens desideria compleas, clemens peccata dimittas, crimina benignus abstergas, flagella propitiatus removeas, languores miseratus excludas, serenissimo vultu petitionibus aures tuæ pietatis accomodes, gratiam tuam multipliciter augeas, & misericordiam incessanter largiaris, & descendat super hunc Panem, & super hunc Calicem tua Divinitatis plenitudo; descendat etiam super me peccatorem Sancti Spiritus septiformis gratia, incomprehensibilisque majestas, sicut quondam in Patrum Hostias visibiliter descendebat; diesque nostros in tua pace disponas.*

II. *Communicantes, & Hanc igitur*, olim inscribebantur Orationes *in fractione*, ut colligitur ex duobus pervetustis Pontificalibus Anglicanis, & ex pluribus manuscriptis Missalibus Monasterii Gemmetensis. In Carnotensi autem Sacramentario Sancti Petri inscribuntur *in fractione Panis* ad designandam actionem consecrationis, quæ prædictas Orationes proxime sequitur, ac sub vocabulo *fractionis* frequenter in scripturis indicatur, ut videre est Actor. 2. *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum in communicatione, & fractione Panis .... perdurantes unanimiter in Templo, & frangentes circa domos Panem.* Modo autem inscribuntur infra actionem, ut supra jam diximus.

III. Pacem autem quidem petimus in præsenti Sæculo, non quamcumque, sed Domini; unde textus dicit, *in tua*, de qua Christus Jesus Joannis 14. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis; non quomodo Mundus dat, ego do vobis.* Uti namque advertit Odo, *Pacem constituit Mundus, ut libere liceat uti voluptatibus. Pacem dat Sanctis Deus, ut mandatis intenti securæ studeant virtutibus, per quas sibi iter sternant ad Cœlum.* Et juxta Petri monitum Epist. 2. cap. 1. certam suam vocationem faciant, & vitia eliminent, per quæ certus redditur descensus Averni; unde subditur, *& ab æterna damnatione nos eripi, & in Electorum tuorum jubeas grege numerari*, & hæc *per Christum Dominum nostrum*, bonum illum Pastorem, cujus Pascuæ sumus oves, quique animam suam posuit pro ovibus suis.

IV. Ex hac Oratione, quæ quatuor comprehendit petitiones, quarum prima est, ut Deus in electorum suorum grege jubeat nos numerari, aliqui nituntur colligere, quod electorum numerus augeri possit, ac minui. Hoc ipso enim ajunt ipsi, quod Ecclesia facit Sacerdotes orare, ut Deus dignetur in electorum grege numerare Filios suos; dubio procul præsertim hæc pro iis esse non potest, qui jam in grege suo enumerati sunt, uti sunt omnes electi, sed pro illis tantum, qui in grege ipso adhuc non sunt consignati, unde supervacanea esset petitio, si electorum numerus non esset augibilis. Ad quod dicendum cum D. Thoma, qui paucis verbis totam hanc permaximam diluit difficultatem, Secunda secundæ quæst. 83. art. 1. ad 2. ubi loquens de Oratione sic sapientissime suo more concludit: *Non enim oramus propter hoc, ut Divinam dispositionem immutemus, sed ut impetremus, quod Deus disposuit per Orationes Sancto-*

num esse adimplendum; hoc enim modo salvatur, nec aliter salvari potest essentialis summi Dei nostri immutabilitas cum precum nostrarum fructu, & opportunitate. Ecclesia itaque memoratis in Orationibus exequitur pro suis filiis Dei mandatum, uti dicitur: *petite, & accipietis: pulsate, & aperietur vobis*, uti jam agentes de orationibus fuse diximus.

V. In pervigiliis, & per integras solemnitatum Paschatis, & Pentecostes octavas, in secunda Canonis Oratione hæc verba adduntur, *quam tibi offerimus pro his quoque, quos regenerare dignatus es ex aqua & Spiritu Sancto tribuens eis remissionem omnium peccatorum*; cum enim juxta Veterem Ecclesiæ disciplinam, catechumeni lustralibus undis regenerarentur in supradictis pervigiliis, & albis induti vestibus adstarent omnes Missæ Sacrificio, & sacram Eucharistiam susciperent; pro ipsis specialiter oblatio hæc superaddebatur, *quam tibi offerimus &c.* iis festivitatibus, & pervigiliis. Cum autem etiam modo, si adsint Catechumeni baptizandi, memoratis præcipue pervigiliis abluendi serventur, ac fere semper aliquibus in locis talis functio celebretur; hinc additio prælata continuatur.

DECRETUM VI.

VI. *Manus Sacerdotis ad* Hanc igitur *debent ita extendi, ut palmæ sint apertæ, pollice dextero super sinistrum in modum Crucis super, non vero infra manus*. S. R. C. 4. August. 1663. *in una Dalmatiarum*. Mox ac Sacerdos ad finem orationis *Communicantes* dictæ ut supra, protert *Per eumdem Christum Dominum nostrum*, absque eo, quod disjungat pollices, manus adaperit ex parte inferiori, & pollice dextero posito super sinistrum in modum Crucis super manus, non infra manus, easdem ita expandit super oblata, ut digitorum extremitates perveniant ad medium circiter Pallæ, non tamen illam tangant; mox incipit *Hanc igitur*, eamque totam recitat manibus ut supra dispositis usque ad illa verba *Per Christum &c.* ad quæ jungit manus, ita eas claudens, ut non disjungat, sed solum claudat, & retrahat ad se ante pectus. Et hæc æque communia sunt missæ privatæ, atque solemni.

VII. Marcellus Cavalieri cæremoniam hanc non a longo tempore in usum universalem Ecclesiæ fuisse, ex eo suspicatur, quod Innocentius III. Durandus, Titelmanus, & antiqui plures alii Scriptores, etiam illi, qui minutiora quæque perpendunt, illius non meminerint; fatetur tamen plenam esse Mysteriis, quæ a Cornelio a Lapide adducuntur, in Levit. 1. ubi dicitur, *Ponetque manum super caput Hostiæ, & acceptabilis erit, atque in expiationem ejus proficiens*. Hanc adscribit Pouget Instit. Catech. Tom. 2. pag. 856. *Hujus ad ritus*, (de quo nempe Levitici c. 4. 8.) *intimationem in nova lege Sacerdos facturus jamjam mysticam immolationem Corporis Christi, tam suo, quam populi simul offerentis nomine, ponit manus super oblata in Corpus & Sanguinem Christi mox convertenda, eoque ritu offert Deo se, populumque Christianum, cum Christo jamjam mystice immolando, ut ejus virtute Sacrificii impetret a Deo remissionem peccatorum, vitæ præsentis pacem, & æternam gloriam*.

CAPUT XVIII.

De tertia Canonis Oratione.

AB iis verbis: *Quam oblationem tu Deus*, tertia incipit Canonis Oratio, quæ a nobis in verbis illis, *Hæc quotiescumque feceritis*, quæ post Calicis consecrationem dicuntur, desinere censetur. Variant admodum Scriptores in explicandis verbis, *Benedictam, adscriptam, ratam* &c. & ut plurimum probant expositionem, quæ affertur in Canone, *Verbum de* Consecrat. dis. 2. qui a Gratiano tribuitur D. Patri nostro Augustino, sed Azorio teste part. 1. lib. 10. cap. 25. communiter creditur Paschasii, cujus propterea verba, lib. de Corp. & Sanguin. Christ. cap. 12. hic transcribenda putamus: *Rogamus hanc oblationem Benedictam, per quam nos benedicamur, Adscriptam, per quam nos omnes in cælo conscribamur, Ratam, per quam in Visceribus Christi censeamur, Rationabilem, per quam a bestiali sensu exuamur, acceptabilemque facere digneris, quatenus & nos, per quod in nobis displicemus, acceptabiles in ejus unico Filio simus. Hinc intelligentia dimanat verborum, quæ continuo subduntur, ut nobis Corpus, & Sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi*. Ut enim observat D. Thomas quæst. 83. art. 5. ad 7. etsi inconveniens non sit, quod a Deo petamus, ut Panis, & Vini fiat transubstantiatio in Christi Corpus, & Sanguinem, quamvis id futurum esse sciamus certo; quemadmodum Christus ipse Joannis 17. Deum Patrem deprecatus est, ut se glorificaret; in nostro tamen casu, reapse *Sacerdos non petit ut impleatur consecratio, sed ut nobis fiat fructuosa, unde signanter dicit, ut nobis Corpus, & sanguis fiat*; quare notat hic in D. Thomam Porrecta *to nobis*, etiam secundum excellentes Grammaticos rite exponi ad nostram utilitatem. Simile est, quod nato Christo Pastoribus dictum fuit ab Angelo: *natus est vobis Salvator*, idest in rem, & vestram utilitatem, sicuti interpretatur Suarez 3. parte tom. 3. quæst. 83. art. 4. disput. 83. sect. 2.

II. Quinque sunt Crucis signa, quæ fiunt in hac Oratione; tria ad verba *Benedictam, adscriptam, ratam*, & hæc generaliter sumpta juxta D. Thomam hic art. 5. ad 3. significant, quod, quæ nunc petimus, ex virtute Crucis procedunt, particulariter vero accepta designant nefariam Judæ proditionem, qui Magistrum suum Sacerdotibus, Scribis, & Pharisæis vendidit, vel ostendunt pretium venditionis, scilicet triginta denarios; qui numerus a ternario multiplicationem suscipit. Addit vero Albertus Magnus, quod Cruces non fiunt, *ad rationabilem, acceptabilemque*, quia ex seipsa rationabilis, & acceptabilis est, ut ipse probat egregie. Duo alia Crucis signa, quæ fiunt ad verba, *ut nobis Corpus, & Sanguis*, juxta eumdem D. Thomam, ibidem, designant personam Judæ venditoris, & Christi venditi; vel ut opusc. 66. ponderat, gemmam charitatem, quam Christus Jesus habuit ad Patrem, & ad gregem, Patri obediendo, & pro grege moriendo. Vel geminam item charitatem, qua Corpus, & Animam posuit. Aliter exponit Beatus Albertus dicens: *fiunt iterum duæ Cruces, ut virtus incorporationis (unde dicitur ut nobis Corpus) & virtus vivificationis nostræ (unde dicitur & Sanguis), a Deo procedere notetur in Sacramentum*. Joann. 6. *qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem in me manet, (ut incorporatus mihi, & Spiritui meo sociatus) & Ego in eo, (ut caput in membris, & vita in viventibus)*. Subdunt alii, per posteriores duas Cruces significari duas naturas, Divinam, & Humanam, quas unione hypostatica Christus in se copulavit, vel Christum passum esse in Anima & Corpore; nec desunt, qui cum Titelmanno, per quinque dictas Cruces dies quinque a die Palmarum usque ad Parasceven computandos, quibus Mysteria omnia passionis consummata sunt; vel cum Micrologo quinque Christi vulnera, vel cum D. Bonaventura quinque illius sensus, suis quosque tormentis deditos, repræsentari, asserentes, piæ meditationi pabulum subministrant.

III. Subjungit Sacerdos *qui pridie quam pateretur*, & hujus Orationis duæ sunt partes, una, quæ consecrationi præliminaris est, modo narrativo procedens, altera, quæ essentiam consecrationis importat, quaque Sacerdos in Persona Christi Domini loquitur; procedit itaque prima pars modo historico, ea subjiciens, quæ per Christum Dominum in hujus institutione Sacramenti gesta sunt, & licet quædam enarrentur, quæ non extant in Evangeliis, puta quod Christus in Cœna oculos levaverit in Cœlum, ea tamen ex Apostolica traditione ad nos devenerunt, & D. Thomas hic art. 4. ad 2. sic interpretatur, quod scilicet, hæc sunt ex iis, quæ ut dicitur Joannis ultimo, a Domino quidem facta sunt, vel dicta, licet ab Evangelistis minime scripta, quæ tamen omnia suis non carent Mysteriis; unde prædicta elevatio oculorum, hujus Sacrificii præ cæteris Sacramentis sublimitatem designat, ut hinc, ait Chrysostomus hom. 68. in Joannem, admoneamur oculos, nedum Carnis, sed & Animæ, a rebus abducere terrenis, atque sursum attollere debere, reminiscentes Sacrosanctum hoc Mysterium Angelis tremendum, a Deo nos, Cælorum Domino, accepisse. Additur *ad Deum Patrem suum Omnipotentem*, quia ut notat B. Albertus, Dei Patris omnipotentia in transubstantiatione relucet potissimum; & hic Paternam Dei benignitatem magnificare, & gratiarum actione prosequi erudimur, pro tantis adeo beneficiis modo in Filios adoptionis effusam: *optima enim beneficii custos*, inquit Chrysostomus Hom. 26. in Matthæum, *est ipsa memoria beneficiorum, ac perpetua gratiarum actio*, ad quod ipsum Eucharistiæ nomen conducit, idem sonans ac gratiarum actio, ut idem inquit Chrysostomus loco citato.

IV. Ejusdem rationis est illa clausula *in sanctas, ac venerabiles manus &c.* quam quidem non ponunt Evangelistæ, sed scite addit Ecclesia, tum quia tales reapse erant Christi manus, propter unitam Deitatem, tum ut earumdem sanctitatis, & venerationis mentione attentiores Filios efficeret, & arctius ad cogitandum induceret, ut non modo quales sint eorum manus ex unctione, sed quales etiam esse debeant ex justitia, & operatione, & merito vitæ, quemadmodum ex Cardinali Puccio advertit Marcellus Cavalieri in sua statera Sacra tit. 20. numer. 95.

V. Sequitur verbum *Benedixit*, ad quod Sacerdos Crucis signum super materiam efformat, ait Scotus 4. sententiarum dist. 11. quæst. 1. art. 2. *non quia Christus illo signo usus sit, sed ut nonnulla ejus benedictionis* (Evangelistis non exprimentibus modum) *fiat imitatio*. Quod Christus benedicendo consecraverit, plurimorum sententia est, quam non reprobat D. Thomas tertia parte quæst. 78. art. 1. sed nostrum esse non potest, quæstionem, aliosque, quos fuse pertractant Theologi, in examen vocare; unde contenti sumus discere, quod verba, in quibus tota vis, & forma sita est consecrationis Panis, sunt: *Hoc est corpus meum*. An hæc verba sejuncta ab iis, *qui pridie quam pateretur* &c. sufficiant ad consecrationem, negat Scotus 4. sententiarum dist. 5. qu. 2. quia, sine præcedentibus prolata hæc verba: *Hoc est corpus meum*, potius Sacerdotis, quam Christi corpus videntur innuere, ubi quoties cum præcedentibus sunt associata, Sacerdos agere intelligitur ex Christi Persona. D. tamen Thomas 3. part. quæst. 78. art. 1. ad 4. argumentum hujusmodi rite resolvit; ait enim, quod sufficit, quod ea verba a Sacerdote proferantur cum intentione conficiendi Sacramentum, nam intentio abunde facit ea verba quasi, ut in Persona Christi prolata intelligantur, quod satis utique est ad Sacramenti validitatem, tametsi præcedentia verba non proferantur.

VI. Consecrationis Calicis communiter ponitur forma in illis verbis: *Hic est Calix Sanguinis mei*, quæ est locutio figurata per Methonimiam, qua ponitur continens pro re contenta, ut sit sensus, *Hic est sanguis meus* contentus in Calice. Non desunt tamen ex iis, qui etiam in sequentibus verbis formam consecrationis Calicis constituunt, usque ad illa verba *quotiescumque feceritis* exclusive, & inter hos enumeratur Divus Thomas, cujus nonnulli ex Discipulis ejus prædicta verba, non ad essentiam,

sed

sed ad integritatem consecrationis Calicis duntaxat pertinere putant: quomodocumque tamen ad formam pertineant, jubet advertere, quod dicitur *novi Testamenti*, quia Christi Sanguis, non per figuram, ut in veteri Testamento, sed revera effusus est. Additur vero, *& æterni* (& hoc in nullo ex Evangelistis habetur), *tam ratione æternæ Dei prædinationis, quam ratione æternæ hæreditatis, quæ per hoc Sacramentum disponitur, ipsa etiam Persona Christi, cujus Sanguine Testamentum disponitur, est æterna.* Ita idem Divus Thomas 3. part. quæst. 8. art. 3. ad 2. & 4. qui eadem part. 3. quæst. 78. art. 3. ad 6. verba illa *Mysterium fidei*, quæ itidem in Evangelistis non leguntur, sic explicat: scilicet, *quasi fidei objectum, quia, quod Sanguis Christi secundum veritatem sit in hoc sacramento, sola fide tenetur.* Verba hæc *Mysterium fidei* in ordine Romano non habentur; esto in antiquissimis Romanis Missalibus se legisse asserat Cardinalis Bona *hic*. In Missali Mozzarabo forma consecrationis Calicis sic legitur; *Hic est Calix novi Testamenti in meo Sanguine, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* In liturgia S. Jacobi verba consecrationis sic exprimuntur: *Hic est Sanguis meus novi Testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur, & datur in remissionem peccatorum.* In Constitutionibus Apostolorum sub nomine Clementis lib. 8. cap. 17. forma consecrationis Calicis sic ponitur apud Martene de antiq. Ecc. Rit. lib. 1. cap. 4. art. 8. num. 19. *Hic est Sanguis meus, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Ex varietate rituum, seu formalitatum consecrationis Calicis, qui ritus, seu formalitates ab Ecclesia toleratæ, utique approbatæ censentur, nonnulli scite inferunt, omnia verba quæ a nobis proferuntur in Calicis consecratione profecto non spectare ad essentiam, sed aliqua tantum ad integritatem etiam ejusdem consecrationis pertinere, & hanc sententiam esse juxta mentem Doctoris Angelici docent B. Albertus Magnus, Cajetanus, Sotus, Joannes a S. Thoma, aliique, qui Sanctum Doctorem loco citato exponentes, ajunt, *Hic est Calix Sanguinis mei*, vel *hic est Sanguis meus*, esse verba de essentia, reliqua de integritate tantummodo consecrationis Calicis; sicuti satisfactio pars est integralis, & non essentialis pœnitentiæ Sacramenti, & eo fere modo, quo tota vis, ac essentia consecrationis Hostiæ penes Angelicum Doctorem ipsum salvatur, ut supra diximus, in iis tantum verbis *Hoc est Corpus meum* reliquis ad integritatem tantum pertinentibus consecrationis panis.

VII. Quæ autem ad formam consecrationis sive panis, aut vini attinere noscuntur, certum est a Sacerdote formaliter, ac significative debere proferri; ea enim loquitur ex Persona Christi, quam in se exprimit, & repræsentat, ad differentiam illius, qui cum verba ab aliquo dicta enarrat, non opus est ei personam illius, qui ea dixit, in se exprimere, uti quando David impii verba referens habet, *dixit insipiens in corde suo non est Deus.* Quoniam vero nihil vetat, quo minus eadem verba recitative, historice, & materialiter proferantur, & insimul significative, formaliter, & assertive, ut si quis dicat, *Christus nos docuit ita orare: Pater noster, qui es in cælis, &c.*, & hæc verba proferat, nedum tamquam a Christo prolata, sed insuper animo simul orandi, & significandi mentem loquentis elevatam in Deum; orat, & proficue de facto Deum precatur; Ita consecrationis verba, utroque modo proferri posse, dum consecrat, a Celebrante, tuetur Divus Thomas 3. part. quæst. 78. art. 5. dummodo ea semper proferat animo, ac intentione conficiendi Sacramentum. Quod & statuunt plurimi de aliis verbis præliminaribus utriusque consecrationis, usque ad *hæc quotiescumque feceritis* inclusive.

VIII. *Benedixit, fregit, deditque Discipulis suis*, hæc verba inter præliminaria ad panis consecrationem enumerantur, quibus innuere videtur, quod Christus, quando hoc Sacrificium instituit, prius panem fregerit, quam consecraverit; hoc enim ipso, quod actiones significatæ per supra dicta verba peractæ sint eo ordine, qui ab Evangelistis describitur, cum fractio panis antecedat verborum Consecrationis prolationem, dicendum utique esset antecessisse etiam consecrationem ipsam, quæ nonnisi talium verborum proferitione absolvitur. Verum, quod actiones significatæ per ea verba *Benedixit, fregit, deditque* omnes peractæ non fuerint eo ordine, quo ab Evangelistis referuntur, ex eo evincitur, quod inde sequeretur absurdum, scilicet Christum quoque panem Discipulis suis dedisse, antequam consecrasset, & consequenter nondum consecratum. Dicendum itaque cum Tridentino sess. 13. cap. 3. quod Christus priusquam fregerit, ac Discipulis suis dederit, panem consecravit; Evangelistæ enim, ut scite ponderat Sylvius 3. part. d. 78. quæst. 2. res a Christo gestas narrarunt, non vero earum seriem, & ordinem; ut videre est in pluribus Evangeliorum locis, & maxime ex illo Marci 14. ubi Evangelista sic ait, *& biberunt ex illo omnes* cum nondum narrasset Christum dixisse: *Hic est Sanguis meus.* Quod vero Christus vinum consecraverit antequam Discipuli biberent, & panem, antequam ex eo manducarent, exploratissimum utique est. Hanc amplexatur sententiam Albertus Magnus his verbis: *Fregit postquam panem in Corpus suum transubstantiavit, & hæc fractio est in solis formis Sacramentalibus, & non in Corpore Christi. Hæc enim specialis est fractio, in qua virtus cognoscitur Deitatis, ut forma panis frangatur, & Corpus integrum permaneat.*

IX. Pro explanationis complemento hujus tertiæ Orationis Canonis, aliquid adhuc nobis dicendum remanet circa parvam illam aquæ portionem, quæ ut dicebamus post vinum in Calicem infunditur. Utrum ne in Sanguinem Christi transubstantietur; & an mediate, aut immediate. Hujus quæstionis prima pars olim excitata fuit apud Gallos sæculo XII. & Innocentius III. in capite *cum Marta*, de celebrat. Miss. duas refert sententias, quarum una est asserentium aquam vi verborum consecrationis Calicis non converti in Sanguinem Christi, sed in aquam illam, quæ de Christi latere lancea perforato simul exivit cum Sanguine, cui consequenter latriæ cultus debetur, sicuti proprio latriæ cultu modo veneraretur, si collecta fuisset, & miraculose in hodiernum usque diem conservata. Hæc tamen assertio a Divo Thoma potius censetur pia quædam meditatio, quam Theologica opinio. Altera est asserentium aquam illam nec in Sanguinem Christi converti, nec in aquam, quæ de Christi latere exivit, sed absque ulla sui prorsus transubstantiatione, unitam quidem, & veluti circumdatam speciebus vini, sub quibus substantia existit Sanguinis Christi; & hæc æque refellitur a Divo Thoma 3. part. quæst. 74. art. 8. definiente nihil aliud post consecrationem in Sacramento Altaris remanere præter Corpus, & Sanguinem Christi; unde dicendum, quod vi verborum consecrationis Calicis aqua simul cum vino transubstantietur in Christi Sanguinem, uti credidit semper, ac custodivit Sancta Mater Ecclesia Romana, venerans sub vini speciebus in Calice consecrato substantiam sacratissimi Sanguinis Christi.

X. Pro secunda parte quæstio est inter Scholasticos, & ii, qui aquam prius in vinum, & inde converti in Christi Sanguinem sustinent, argumentum conantur depromere ex ritualibus Dominicanorum, aliorumque ordinum disponentibus ante missæ initium infundendam esse aquam in Calicem, ut aliquod temporis spatium, ajunt ipsi, suppeditetur, quo aqua ante consecrationem in vinum convertatur. Ast quam frigidum, ac levissimi, imo nullius ponderis sit hoc argumentum, aperte colligitur ex ratione ipsa, propter quam iis in Ritualibus præinfusio aquæ in Calicem disponitur, quam scite Juveninus assignat dissert. 4. de Sacram. quæst. 2. de Eucharistia §. 3. *Respondeo ad secundum, Dominicanorum praxim non inniti eo Physicorum principio, quod adversarii supponunt; sed nonnullis liturgiis, quibus præscribitur, ut id totum, quod in sacrificio debet offerri, ante ipsummet Sacrificium præparetur* ... De facto etiam Græci, ut advertit idem Auctor juxta liturgias Sancti Basilii, & Chrysostomi, aquam & vinum infundunt in Calicem ante missam, cum tamen ipsis nunquam in mentem venerit, id esse faciendum, ut temporis copia detur, quo aqua convertatur in vinum, sed solummodo ut totum, quod in Sacrificio missæ debet offerri, ante sit præparatum. Tantum abest, quod Ecclesia existimaverit unquam tempore opus esse, ut aqua vino mixta convertatur in ipsum, quod Rubrica Missalis Romani sub titulo de defectu vini num. 7. sic habet, *si autem Celebrans ante consecrationem Calicis advertat non fuisse appositam aquam, statim ponat eam, & proferat verba consecrationis.* Dicendum igitur, quod vel tempore opus non sit, ut aqua vertatur in vinum, vel, ut verisimilius est, sufficiat aquam mixtam esse vino, ut cum ipso vi verborum consecrationis convertatur in Christi Sanguinem.

R I T U A L I A.

XI. Cum dicit *quam oblationem tu Deus in omnibus quæsumus*, jungit manus, & secreta voce prosequitur usque ad illa verba *Benedictam, adscriptam, ratam*, ubi deposita sinistra manu super Altare extra corporale, tria facit Crucis signa super oblata communiter, hoc est signo Crucis comprehendente Calicem, & Hostiam, cum dicit *Corpus*, separatim Crucis signum super Hostiam tantum efformat, & cum dicit *Sanguinem* aliud Crucis signum facit super Calicem tantum; quæ quinque Cruces faciendæ sunt continuatæ, non interruptæ, tres scilicet primum, & post brevem morulam aliæ duæ; neque debent interrumpi manuum junctione, aut alia ratione ad ea verba *acceptabilemque &c.* Ad nomen *Jesu* caput inclinat inclinatione minimarum maxima, extergit pollices ad majorem reverentiam, ac ad tollendam digitorum humiditatem; hanc autem abstersionem facit super Corporale, non in medio, sed ad latus, seu in ejus extremitatibus, quia in medio ponenda est Hostia consecrata; & dum extergit, dicit secreto *Qui pridie, quam pateretur*, inde pollice, & indice dexteræ manus accipiens Hostiam, oram ipsius Hostiæ leviter premit super Corporale indice sinistræ manus, ut manu dextra facilius apprehendere Hostiam possit; apprehendat autem eam in ejus parte inferiori dum dicit ea verba *accepit panem in sanctas, ac venerabiles manus suas*, accipiat inquam prius pollice, & indice dexteræ manus, deinde pollice etiam, & indice sinistræ manus. Caveat autem Celebrans, dum Hostiam consecrandam sic tenet, ne pectus percutiat, neque Hostiam consecrandam elevet, sed eam, ante consecrationem, teneat ambabus manibus, ut supra, non quasi jacentem, sed erectam super Corporale, neque a populo videatur. Ceteri digiti interim utriusque manus manere debent extensi, ac uniti. Ad illa verba *elevatis oculis in cælum*, ipse quoque oculos ad cælum elevat non elevando caput, quod tantum inclinat aliquantulum Cruci dum demittit oculos, & dicit *tibi gratias agens.*

XII. Christum ad cælum oculos elevasse, ad cujus imitationem Rubrica præcipit Celebrantem quoque hic oculos ad cælum attollere, non legitur, uti supra dicebamus, apud Evangelistas, sed de facto oculos ad cælum Christum Jesum elevasse, quando in ultima cœna hoc Sacramentum instituit, infert Divus Thomas hic art. 4. ad 2., ex eo quod de more ipsius erat oculos ad cælum levare, quoties magni strepitus patraturus esset miraculum, *Rationabile enim videtur, ut qui in suscitatione Lazari (ut habetur Joannis 11.) & in oratione, quam pro Discipulis fecit (Joannis 17.) oculos levavit ad Patrem, in hujus Sacra-*

menti institutione multa magis hoc fecerit tamquam in re potiori. Elevat itaque Celebrans oculos ad cælum, ac demittit modo supra dicto, & ad verbum *benedixit*, producit super Hostiam, quam tenet aliquantulum elevatam, Crucis signum: advertat autem, quod illæ Cruces, seu signa Crucis particularia, minoris longitudinis esse debent, quam Cruces generales, & communes, quæ fiunt super oblata; hoc est non debent excedere, immo esse intra unius palmi longitudinem.

XIII. Si vas adsit cum particulis consecrandis, Rubrica imponit, quod antequam accipiat Hostiam consecrandam, & consequenter etiam antequam super Corporale abstergat manuum digitos pollices, & indices, vas discooperiat, illudque ad latus retrahat Calicis a parte Epistolæ, ut commodius super ipsas quoque verba consecrationis proferat, ac propius. Si particulæ adsint extra vas super Corporale pariter consecrandæ, & positæ fuerint, uti decet, ad Calicis latus ad cornu Evangelii, ibi debent relinqui, & super eas verba consecrationis proferri absque eo, quod removeantur, uti docet Quartus part. 2. tit. 8. Rub. 5. num. 8. Cum autem finierit illa verba *fregit deditque discipulis suis* &c. ambo cubiti poni debent reverenter super Altare, ut essentiales sacrificii bujus partes consummentur, manibus minime Corporale tangentibus ob decentiam, cum ibi quam primum collocanda sit Hostia consecrata, post illius elevationem. Stans igitur sic capite, & humeris aliquantisper inclinatis; non enim cubiti super Altare collocari queunt cum sola Capitis inclinatione, caveat autem Celebrans, ne nimium se inclinet, dum distincte, reverenter, & secreto verba profert consecrationis. Caveat quoque, ne afflet, aut barba, vel ore contingat Hostiam, nullus etenim debet fieri motus capitis, aut oris, dum talia verba profert, absque magno conatu, & aspiratione, unico contextu, ac nulla interposita mora inter singula verba; itaque secreto ea proferre tenetur, ut neque a Ministro possint audiri. Pedes retineat pares dextro minime reflexo, aut ultra sinistrum remoto, reverentiæ causa. Minister autem profunde se inclinat, & manus quoque jungit si potest. Si Celebrans perspicillis utatur, iis non utatur, si potest, a Consecratione usque ad Communionem, quod si uti cogitur, ea capiat, & retineat inter indicem, & medium digitos, & numquam super Corporale deponat.

XIV. Cum profert verba consecrationis, ea devote, & attente debet proferre; tali tamen attentione, ut affectata non sit, quia hæc ut plurimum devotionem ipsam impedit, uti in quibusdam scrupulosis exprobrat Cajetanus in Divum Thomam 2. 2. quæst. 83. art. 17. ubi Angelicus Doctor sic habet: *Orationes sunt in ipsa consecratione, in qua mens maxime debet elevari in Deum.* Unde Cajetanus, *in consecratione Eucharistiæ, in qua Sacerdos Deum quodammodo ducit ad terras, ipsa elevatio maxime in Dei bonitatem, qua sic dignatur adesse nobis, ratio est attentionis ad verba in actu exercita, hoc est, quod Sacerdos distincte, & reverenter dicat verba. Quod autem a scrupulosis fit, quia scilicet occupant suam mentem ad hoc, ut velint esse intenti, & attenti, evagatio est, & non est attentio, sed habere potius attentionem pro objecto.* Terribilis sane est hora illa, in qua Sacramentum hoc conficitur, de quo Divus Bernardus serm. in cœna Domini, sic habet, *potes ne æstimare quale, vel quantum sit hoc Sanctum Sanctorum, Sacramentum Sacramentorum, amor amorum, dulcedo omnium dulcedinum!*

XV. Prolatis summa cum reverentia, attentione, ac devotione verbis consecrationis Hostiæ: *Hoc est Corpus meum*, oculos teneat Celebrans in Hostiam consecratam intentos, inde eam adoret unico genu genuflectendo, absque corporis curvatione, aut capitis inclinatione: est enim genuflexio, ut dicebamus, omnium reverentiarum maxima, quæ Corporis curvationem, aut capitis inclinationem non exigit; ut autem commodius genuflectat, debet omnino cubitos retrahere ex Altari, seu extra Altare, reductis ad extremitatem corporalis manibus usque ad pulsum, quibus super corporale positis Hostiam ipsam tenet. Genuflexio debet fieri usque ad suppedaneum, & cum aliqua brevi morula ob majorem reverentiam, & ut etiam facilius surgere possit. Tum erigens se quantum commode potest, elevat in altum, sed modeste Hostiam, hoc est nec lente nimis, nec admodum festinanter. Elevatur autem Hostia ad eam altitudinem tantum, qua videri, & adorari possit ab omnibus Sacrificio adstantibus, quæ elevatio facienda est per lineam perpendicularem super eam Corporalis partem, a qua Hostia ipsa fuit desumpta, & in qua, elevatione absoluta, est iterum reponenda. Oculi teneantur in Hostiam intenti elevato capite, ut eam commodius prosequi possit ascendentem, detinendo illam paulisper elevatam, ut interim adstantibus satisfiat, quibus proponitur adoranda.

XVI. Ritum elevandi Hostiam consecratam fuisse inductum, ut consecratio secreto facta populo manifestetur, exhibeaturque adoranda, indicavit Anastasius Sinaita de Sacra Synaxi his verbis: *Postquam Sacrificium tremendum illud sanctificavit, panem vitæ sustulit, eumque omnibus ostendit.* Non esse tamen antiquum valde in Romana Ecclesia Ritum hunc, ex eo infert Menardus *in notis ad Sacramentarium* pag. *mihi* 383., quod in antiquis liturgiis, dempta Mozaraba, sicut nec in veteribus Sacrorum Rituum Expositoribus, non reperiatur. Durantus ab opposito, ab ipsis Ecclesiæ exordiis hunc revocat l. 2. cap. 4., & hoc probat græcorum Patrum testimoniis, apud quos dubio procul mos fuit Corpus Dominicum, & Calicem elevandi paulo ante Communionem; ut manifeste colligitur ex liturgiis Sancti Jacobi, Basilii, & Chrysostomi, nec non ex Dionysio cap. 3. Eccl. Hier. loquendo tamen apud Ecclesiam latinam, cum Innocentius III. Ritum hunc non recenseat, centum circiter annis ante Innocentium ipsum viguisse affirmat Gulielmus Parisiensis. Hujusmodi elevationis exemplum habemus etiam in veteri Testamento Exod. 29. Lev. 23. & num. 5. 6. & 8. ubi passim legitur, quod victimæ pars a Sacerdotibus elevabatur coram Domino.

XVII. In Depositione Hostiæ, continetur hæc utraque manu, donec approximetur Corporali, ubi manus disjunguntur, & sinistra super Altare posita intra Corporale, sola dextera manu Hostiam deponit in eadem Corporalis parte, unde levaverat. Deinceps pollices, & indices non disjungit, nisi forte fragmenta quædam pollicibus, & indicibus adhæreant, in quo casu non debet digitos ad Calicis labrum admovere, sed tantum digitorum affrictu inter se, supra medium Calicis provocare, ut fragmenta in Calicem ipsum decidant. Reposita Hostia super Corporale, genuflexus adorat, ut supra dicebamus, immediate post consecrationem. Si vas adsit aliarum Hostiarum consecratarum, antequam procedat Celebrans ad consecrationem Calicis, debet patena, vel Palla illum cooperire, ad cautelam, ne Musca, aut quid simile intret ad species Sacramentales commaculandas.

XVIII. Dum Sacerdos Hostiam consecratam elevat, aut Calicem, minister inserviens Missæ elevat posteriorem Planetæ partem, in medio infimæ partis, profunde se inclinando, absque eo tamen quod illam osculetur, nec dum eam Planetæ partem apprehendit, nec cum eam relinquit. Pulsat eodem tempore ter campanulam, pro unaquaque elevatione, prima vice quando Celebrans genuflectit primum, secunda vice quando elevat Hostiam, aut Calicem, tertia vice quando Hostiam deponit, non vero quando post depositionem Hostiæ, aut Calicis, iterum Sacerdos genuflectit.

XIX. Erectus Celebrans a secunda genuflexione erga Hostiam super Altare depositam discooperit Calicem, neque enim antea debet hunc discooperire. Cum discooperit Calicem manu sinistra de more posita super Altare, intra Corporale, Pallam accipit digitis medio, & indice unito pollici dexteræ manus, eamque a Calice remotam ponit super extremitatem veli existentis prope Corporale in cornu Epistolæ. Discooperto Calice, si opus est, digitos extergit super ipsum Corporale nihil dicens; & cum dicit *simili modo accipiens, &c.* ambabus manibus Calicem accipit juxta nodum, illumque a Corporali elevat aliquantulum, hoc est non ultra quatuor digitos, & illico eum deponit eodem in loco, a quo fuit adsumptus. Cum dicit *item tibi gratias agens*, inclinat caput inclinatione minimarum maxima. Cum dicit *benedixit*, sinistra manu Calicem infra cuppam tenens, dextera manu de more Calicem benedicit, Crucis signum supra ipsum efformando: deinde cubitis super Altare pariter de more positis, ut dicebamus supra de proferenda consecratione super Hostiam, Calice aliquantulum elevato, & capite inclinato, attente, continuate, & secreto, ut ad Hostiæ consecrationem, verba profert consecrationis: *Hic est enim Calix &c.* quibus dictis Calicem reponit super Corporale, & genuflexus Sanguinem reverenter adorat, unico genu, & cum aliqua brevi morula, prout alias diximus. Præterea Calicem non retinet dum genuflectit, sicuti præ manibus Hostiam retinuit consecratam; & hoc ad præcavendum periculum effundendi Sanguinis per actum genuflexionis. Postea erigit se, & accipiens de more Calicem, eum elevat tantum, ut pes Calicis ad oculos ejus perveniat, & non ultra; advertat autem bene, ne manipuli fimbriæ in Calicis elevatione, vel depositione Hostiam tangant, & ut per lineam rectam a medio Corporalis circiter attollatur, absque deflexione in partem aliquam. In attollendo, & deponendo Calice, regat se, ut diximus, de elevatione, & depositione Hostiæ. Dum Calicem deponit profert illa verba secreto: *Hæc quotiescumque feceritis*, in quæ desinit tertia Canonis oratio. Deposito Calice manu dextera palla eum cooperit sinistra retenta super Altare intra Corporale. Dextera enim occupata in repositione, ac coperitione Calicis, aut aliis actionibus, sinistra nunquam in aere suspensa teneri debet, sed super Corporale posita, uti cum aliis Rubricistis docet Castaldus, & Quartus *in hac Rubrica*. Inde facit genuflexionem.

XX. Ad pleniorem eruditionem ritus elevationis faciendæ Hostiæ, & Calicis, iis, quæ supra diximus num. 16. lubet hic addere, quod in Ecclesia latina juxta opinionem doctissimorum Virorum originem traxit ab Hæresi Berengariana impugnante realem Corporis, & Sanguinis Christi præsentiam sub speciebus Eucharisticis; eo quod ante hanc Hæresim in ordinibus Romanis, & apud Amalarium, Valfridum, atque Micrologum, hujus elevationis nulla mentio fiat, uti advertit etiam eruditissimus Pater Meratus. Huic assertioni cum multis aliis eruditissimis Patribus suum præbet assensum le Brun Tom. 1. part. 1. pag. 554. ubi sic habet: *Placet nobis ejusdem Petri sententia, quæ statuit morem elevandi Eucharistiam in Ecclesia latina originem a Berengariana hæresi duxisse; cum enim Berengarius realem Christi in Eucharistia præsentiam impugnasset, plures viri Sanctitate præstantes varios Ritus invexerunt, ut fideles publice profiterentur Corporis Christi in Eucharistia præsentiam a Berengario impugnatam, cui rei mirum est, quantum elevatio Sacramenti conveniat.* Probabile tamen videtur in hoc ritu inducendo exemplum secutos fuisse Græcorum, apud quos, ut supra dicebamus, Eucharistiæ elevatio vetustissima est; sicut affirmat etiam Cardinalis Bona Rerum Liturgic. lib. 2. cap. 13. num. 2. ubi notat Græcos Hostiam & Calicem, non statim post consecrationem, sed solum paullo ante communionem, elevare, & ritum hunc apud illos vetustissimum esse. Et quidem, non alia de causa, nisi supra a nobis adducta, scilicet, ut Populo adorandum exhibeatur SS. Sacramentum prius, quam consumetur per

com-

communionem. Pater Mabillonius in Commentariis ad Ordinem Romanum num. 7. refert in Gallia Hostiæ consecratæ, & Calicis elevationem cœpisse fieri post sæculum decimum, seu circa dimidium undecimi sæculi, quo tempore postea præcise Ecclesia Romana hanc amplexa fuerit disciplinam incompertum esse subdit.

XXI Cœpisse tamen, ut diximus, Hostiam, & Calicem elevari tempore Berengarii, constans, & communis est Doctorum sententia, utrumque non quidem in omnibus Ecclesiis, sed in quibusdam Hostiam tantummodo, ut apud Carthusienses etiam nunc observat Pouget Tom. 2. Institut. Catholic. pag. 861. *Carthusiani peracta consecratione corpus quidem Domini statim ostendunt adorandum, ut facimus nos, sed non ostendunt Calicem, illum Ecclesiæ Romanæ morem sequuti, qui tum vigebat, cum eorum ordo institutus est.* Ratio autem cur apud aliquos Regularium ordines, & in quibusdam Ecclesiis mos fuerit Calicem non elevandi, ea præcipua est, quæ a Soto assignatur in 4. sententiarum dist. 13. quæst. 2. art. 5. dicente: *Quod ergo ad elevationem Calicis attinet, veritas est, quod mos ipsum elevandi non est antiquus ...., & ratio erat, quia cum in Hostia corpus, & sanguis existat, & in elevatione Calicis nonnihil periculi crearetur, satis Patres ducebant corpus elevandum adorare.* Disciplinam deinde elevandi & Hostiam, & Calicem post consecrationem omnes fere Ecclesiæ sunt amplexatæ; unde subdit Sotus loco citato: *Quin, & complures sunt Regularium ordines, in quibus non præcipitur elevari,* (scilicet Calix) *sed ne ab Ecclesiis Sæcularium dissideant, illum elevant.*

R I T U A L I A.

Pro Missa solemni.

XXII. Cum Celebrans dicit *quam oblationem*, Diaconus præmissa genuflexione in loco, a quo debet recedere, scilicet a sinistris Celebrantis, se trasfert ad ejus dextram, & cum ibi pervenit iterum genuflectit, & erigit se. Eodem tempore Cæremoniarius quoque præmissa in suppedaneo Altaris a cornu Evangelii, in quo est, genuflexione, accedit ad librum, ut inserviat Celebranti, ubi cum pervenit iterum genuflectit, & se erigit, ibique sistit usque ad verba consecrationis, ad quæ Librum derelinquit, descendit ad infimum Altaris gradum a cornu Evangelii, & ibi genuflectit, & genuflexus sistit. Bauldryus opinatur, quod debeat se transferre, & genuflectere ad cornu Epistolæ; sed nobis non videtur ita facile, quod tam cito a Cornu Evangelii, in quo sistebat apud librum, possit se transferre ad cornu Epistolæ, a quo quam primum debet recedere; unde ne accessus isti, & recessus importuni, quos Bauldryus ipse non approbat, multiplicentur sine necessitate, merito hanc opinionem rejicimus. Genuflectunt pariter in suis locis Thuriferarius, Navicularius, & Acolythi, quorum primus assumit campanulam, ab ipso pulsandam ad elevationem. Lohner existimat campanulam pulsandam esse a secundo Cæremoniario si adsit, sed cum munus secundi Cæremoniarii sit Clericos dirigere, non vero eorum vices supplere, hanc quoque sententiam non approbamus. Genuflectunt etiam in suis locis Ceroferarii, si non teneant intortitia.

XXIII. Prope tempus consecrationis Diaconus in superiori gradu ad dexteram Celebrantis aliquantulum post eum genuflexus stat, & cum elevatur Sacramentum, manu sinistra infimam posteriorem planetæ partem capit in medio, & aliquantulum elevat, eamque absque osculo, statim facta elevatione, & antequam Celebrans genuflectat, deponit. Rubricistæ non conveniunt in eo, quod Diaconus teneatur, an non, dextera Celebrantem circa brachium dextrum sustentare dum se erigit a genuflexione, & sic se gerere in posterum in pari casu. Nos tamen cum Castaldo lib. 1. sect. 7. cap. 5. nu. 10. amplexamur partem affirmativam, quia, ut jam vidimus, debet in aliis genuflexionibus Celebrans adjuvari, & per consequens a fortiori in hac, in qua utraque manus occupata remanet in retentione Hostiæ sacratissimæ. Cum elevatur Hostia Clerici elevant intortitia, absoluta elevatione Hostiæ cum Celebrante se erigit Diaconus, discooperit Calicem, & iterum deposita Palla de more supra velum, & Corporale genuflectit, donec peracta Calicis elevatione cum elevatione Planetæ, ut supra, surgit cum celebrante, & Calicem Palla cooperit iterum, &c.

XXIV. Ad illa verba, *Quam oblationem &c.* Subdiaconus genuflectit supra infimum Altaris gradum, & quidem in medio, quidquid alii teneant in contrarium, quia genuflectens in medio, neque populum impedit, ne videat elevatam Hostiam, neque irreverentiam committit, nec minorem exhibet Sacramento reverentiam.

XXV. Thuriferarius in cornu Epistolæ genuflexus, cum fit elevatio, ter incensat. Primo incensat unico ductu cum profunda capitis inclinatione ante & post, cum Celebrans Hostiam adorat in prima genuflexione; secundo incensat altero ductu, cum fit Hostiæ elevatio; tertio incensat altero ductu, cum Celebrans genuflectit, deposita Hostia. Pariter eodem fere modo Acolythus campanulam pulsat, & sic prosequitur dum fit elevatio Calicis: peracta Calicis elevatione, & reposito Calice, Diaconus præmissa genuflexione, a dextris Celebrantis se transfert ad sinistram, ubi genuflectit iterum, & se erigens assistit ad librum, ac Celebranti se conformat, cum se signat, percutit pectus &c. Subdiaconus surgit, & Clerici quoque, qui tamen Celebranti non se conformant cum genuflectit &c. Cæremoniarius vero surgit, genuflectit, & accedit ad laterale cornu Evangelii.

C A P U T XIX.

De quarta Canonis Oratione.

I. AB illis verbis: *Unde & memores Domine &c.* quarta incipit Canonis oratio, & in illa verba desinit: *Omni benedictione Cælesti, & gratia repleamur per Christum Dominum nostrum.* In hac oratione, in qua etiam nomine Populi Celebrans commemoratis Passione, Resurrectione, & Ascensione Domini Nostri Jesu Christi, Æterno Patri Corpus filii ejus, & Sanguinem sub speciebus panis, & vini ante se positis, offert; merito autem hic commemorat Sacerdos Passionem, Resurrectionem, & Ascensionem, ut per Passionem charitate, per Resurrectionem fide, & per Ascensionem spe omnes munire possimus, ac confortari. Quid enim magis charitatem in nobis accendit, quam memoria, quod ita Deus dilexit mundum, ut filium ejus unigenitum daret? Quid in nobis fidem firmat magis, quam memorari, quod Jesus resurrexit a mortuis, & mors illi ultra non dominabitur, sed mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparavit, ut sicut omnes in Adam moriuntur, ita in Christo omnes vivificentur? Quid magis tandem spem in nobis amplificat, quam memorari, quod Redemptor ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus, & ivit parare nobis locum in cælis, juxta illud Joannis 14. *Vado parare vobis locum?* Hæc commemoratio Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis Christi habetur etiam in Liturgiis S. Clementis, Basilii, & Joannis Chrysostomi, ac in ceteris omnibus, uti testatur Menardus *in notis* pag. 19. *De tuis donis, ac datis.* In Liturgiis SS. Basilii, & Chrysostomi prædicta aliter exprimuntur, & magis explicant, quod omne id, quod celebrans etiam nomine populi offert, est de suis donis, ac datis, *tua de tuis tibi offerimus.*

II. Ea, quæ præcipue hic se nobis exhibent explananda, in primis illa sunt verba: *Hostiam puram, Hostiam Sanctam, Hostiam immaculatam, panem Sanctum vitæ æternæ, & Calicem salutis perpetuæ.* Ad quæ verba Rubrica adnotat quinque crucesignationes esse faciendas, tres super oblata, & duas particulares, unam super Hostiam, seu super Corpus, alteram super Calicem, seu super Christi sanguinem. Hæc cum hæc omnia egregie, & satis congrue, luculenterque jam explanaverit Soto in 4. sententiarum dist. 13. quæst. 2. art. 5. non erit abs re hic ejusdem verba per extensum conscribere. *Ut ante Consecrationem petitur, ut materia fiat benedicta, adscripta, & rata, sic & consecrata Hostia, nempe Christus, offertur tamquam Hostia pura, ad differentiam sacrificiorum gentium, quæ impura erant, & corrupta. Sancta ad differentiam oblationum veteris legis, quæ non erant eatenus Sanctæ, ut animam sanctificarent, sicuti hæc nostra, quæ tollit peccata Mundi, quod est homines sanctificare. Est ergo Hostia pura, & purificans, sancta & sanctificans, immaculata, & maculas tergens. Quod vero demum adjungitur: Panem vitæ æternæ, & Calicem salutis perpetuæ; definitio, & explicatio est ejusdem Hostiæ; ut enim Sacerdotes veteris legis de Sacrificiis edebant, quibus vitam temporalem sustentabant, sic Christiani esu, & potu Sacrosancti Sacrificii, spiritualem, atque adeo æternam salutem sibi comparant.*

III. Ad quinque crucesignationes quod attinet, advertendum esse censeo, quod tradit D. Thomas hic art. 5. ad 4. prædictas quinque Cruces hic fieri, non ad benedicendam, ac veluti disponendam materiam consecrandam, uti ante consecrationem fit juxta explanationem Magistri Gonet; sed solum ad commemorandum virtutem Crucis, & modum passionis Jesu Christi: *Quinto,* inquit Angelicus Doctor ibi ad 3., *fuit ipsa Passio Christi, unde ad repræsentandum quinque plagas Christi, fit quarto quintuplex crucesignatio super illa verba: Hostiam puram, Hostiam sanctam, Hostiam immaculatam, Panem sanctum vitæ æternæ, & Calicem salutis perpetuæ.* Fere eadem expositio habetur etiam apud Stephanum (Eduen. *de Sacram. Alta.* cap. 17.) Apud vero Bossuetum Tract. de Missa cap. 41. sic explicantur, assignando scilicet discrimen inter crucesignationes, seu benedictiones, quæ ante consecrationem super Hostiam, & Calicem fiunt, & eas, quæ post consecrationem efformantur; eæ etenim, ait, quæ consecrationem antecedunt, relaxantur super panem, & vinum, & suum sortiuntur effectum, tum erga ipsum Sacramentum consecrandum, tum erga hominem, qui per Sacramentum vult sanctificari.

IV. Benedictiones vero, quæ subsequuntur, & quæ fiunt super panem jam consecratum, & similiter super vinum, non ad Corpus, aut Sanguinem Christi referuntur, sed ad eos diriguntur, qui Corpus, & Christi Sanguinem sunt sumpturi, ut digne, ac fructuose, & non in cassum suscipiant; nec alia ratione super Christi Corpus, & super ejus Sanguinem relaxantur Benedictiones, nisi ad significandas, & exprimendas benedictiones, & gratias, quibus Sacramentum hoc abundat, & large, ac, ut ita dicam, sine mensura in nos per ejus sumptionem effunderentur, si crimina non obstarent nostra.

V. Signa igitur Crucis, quæ consecrationem consequuntur efformata super Hostiam, & Calicem, non sunt benedictiones ipsius Christi Domini; Ipse enim cum sit omnium Cælestium benedictionum, atque terrestrium perennis fons indeficiens, non est profecto cur benedicatur a Celebrante, eo sensu, quo nos ab ipso benedicimur. Hoc modo itaque citra omne dubium est, nullum Crucis signum esse adhibendum peracta consecratione; uti notavit Stephanus Augustodunensis Tract. de Sacramento Altaris cap. 17. *Oblata non benedicit, ut cum, a quo est omnis*

san-

sanctificatio, & de cujus plenitudine nos accepimus, sanctificet; esset enim absurdum.

VI. Esto Crucis signum per se, & immediate institutum sit ad significandam Christi passionem, qua Cruci affixus, totum pro nobis suum profudit pretiosissimum Sanguinem, adhuc secundum numericam inspectionem, ordinatur ad aliquid aliud innuendum, ut scite advertit Micrologus cap. 14. *etiam numerica multiplicatio signorum crucis in missa repræsentativa in sua mensura est*. Hic ponderat, quod in hoc Sacrificio aut una tantum, aut tres, aut quinque fiunt crucesignationes, ut per unam essentiæ Divinæ unitas detur intelligi, per trinam, Divinarum Trinitas Personarum designetur, & per quintuplicem quinque Christi vulnera exprimantur.

VII. Non desunt, qui mysticas alias varias ponderationes super Crucis signum exhibent ad excitandum eo magis fervorem, venerationem, ac devotionem, quæ huic Sacrificio satis nunquam, & uti par est producuntur. Inter hos non inferiorem sibi vindicat locum Innocentius III. qui lib. 5. Myster. Missæ cap. 5. sermonem instituens de numero trium signorum Crucis, quæ ad illa verba efformantur, in quæ desinit hæc quarta Canonis oratio, videlicet *Corpus, & Sanguinem sumpserimus, omni benedictione cælesti, & gratia repleamur*; pia meditatione ponderat primum duci super Christi Corpus *propter sudorem Corporis, quo Christus in sua passione manavit*, secundum super Calicem *propter Sanguinis* guttas, quas in flagellatione, ac Crucifixione fudit, tertium, quo se signat Sacerdos, ad indicandum *quando procidit in faciem suam dum tertio oravit in Horto*. Sanctus Thomas 3. part. quæst. 83. art. 5. loquens de his signis, ait: *Repræsentatur extensio Corporis, & effusio Sanguinis, & fructus passionis per trinam crucesignationem, quæ fit super illis verbis, Corpus, & Sanguinem sumpserimus, omni benedictione* &c. Hanc explanationem amplexantur Natalis Alexander, Divus Bonaventura, aliique. Fructus itaque passionis Christi repræsentatur per tertiam crucesignationem, quam sibi efformat Sacerdos ad ea verba *omni benedictione cælesti &c.* ut detur intelligi, quod non solum in personam Celebrantis, qui Corpus, & Sanguinem sumit, sed in totum Ecclesiæ Corpus misticum, fructus passionis, eo mediante, dimanat. Fructus autem est benedictio, & ros gratiæ cælestis, quibus digne sumentes Corpus, & Sanguinem Domini replentur, & ad gloriam acceptantur, nonnisi *per eundem Dominum nostrum*, in quo Pater benedixit nos omni benedictione spirituali in cælestibus, ut ait Apostolus Ephes. 1.

VIII. Angelos huic Sacrificio interesse ad Deo repræsentandas Missæ adstantium orationes, ut fructus passionis Christi copiosius in eos dimanet eorum comprecationibus promoventibus, altissonis verbis, quæ terrorem incutiunt, tradunt Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 58. Chrysostomus hom. 3. in Epist. ad Eph. & pluribus aliis in locis, & Albertus Magnus in *Can.* quia suo tempore ad clausulam: *Per Christum Dominum nostrum* in Canone, omittebatur, *Amen*, sic habet, *Nemo respondet Amen, quia hoc, sicut in aliis Secretis, Angelis relinquitur, qui assistunt Sacramento*. Cyrillus Eremita *in vita Sancti Euthymii* enarrat se frequenter vidisse terribilem Angelorum multitudinem una secum Deo ministrantium, & Sacra contrectantium; quod & præstabant Divo Joanni Chrysostomo Sacrum facienti, uti refert Sanctus Nilus *in ejus vita*. *Contemplare ergo*, concludit D. ipse Joannes Chrysostomus loco supra citato, *obsecro, adstat mensa regia, adsunt Angeli mensæ hujus Ministri, adest Rex ipse, & tu oscitans adstas?*

R I T U A L I A.

IX. Reposito Calice, & adorato Sacramento, Sacerdos stans erecto corpore, & capite, extensis manibus ante pectus, more ordinario, ut ad Orationem, excepta pollicum, & indicum conjunctione, non in formam Crucis, uti solent Ambrosiani, dicit, *unde & memores Domine*. Hæc Oratio non incipitur ante genuflexionem, nec dum fit genuflexio, ut male aliqui faciunt, sed immediate, seu postquam se a genuflexione erexerit Sacerdos. Ad ea verba *de tuis donis ac datis*, jungit manus ante pectus, non ponendo pollicem dextrum super sinistrum in modum Crucis, quemadmodum ante consecrationem, sed manus jungendo pollicibus, & indicibus ante se junctis, ita ut pollex dexteræ manus conjungatur cum indice ejusdem, & sinistræ manus pollex cum ejusdem indice; in reliquis observetur methodus tradita Missæ initio.

X. Ad ea verba, *Hostiam puram, Hostiam Sanctam, Hostiam immaculatam*, manu sinistra posita super Altare intra Corporale, manu dextera tria efformat signa Crucis communiter super oblata, hoc est super Hostiam, & Calicem. Primum Crucis signum extenditur, seu efformatur inter vocem *Hostiam*, & inter aliam vocem *puram*; Secundum inter vocem *Hostiam*, & inter vocem *Sanctam*; Tertium inter vocem *Hostiam*, & vocem *immaculatam*, ita ut non confundantur Cruces cum vocibus. Ad sequentia verba *Panem sanctum vitæ æternæ, & Calicem salutis perpetuæ*, signat signo Crucis minori semel super Hostiam tantum, & semel super Calicem, absque ulla mora, & interpositione, faciendo primum signum Crucis postquam pronunciavit vocem *Panem*, & antequam pronuntiet vocem *Sanctum*, & secundum Crucis signum efformando postquam pronuntiavit vocem *& Calicem*, & antequam pronuntiet vocem *Salutis*; deinde stans extensis de more manibus, ut ad Orationem, voce submissa, seu secreto prosequitur, *supra quæ propitio ac sereno vultu* &c. Hic juxta D. Th. loco supra citato Sacerdos *petit hoc Sacrificium esse Deo acceptum*, non quidem ex parte rei oblatæ, nam Corpus, & Sanguis cum sint Divinitati conjuncta, utpote suppositi infinite grati, non possunt esse nisi summe acceptabilia, atque Deo accepta; neque petit, ut sit Deo acceptum hoc Sacrificium ex parte primi offerentis, quia cum hic sit Christus ipse, qui non solum Hostia, sed etiam Sacerdos est, de quo Pater, *hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*; penes hunc locum non habet profecto talis petitio. Petit igitur Sacerdos iis verbis, ut hoc Sacrificium sit Deo acceptum ex parte ipsius, aliorumque offerentium, quia evenire utique potest, ut hæc oblatio, quæ ex se Divinæ est summe placita Majestati, propter iniquitates, & scelera nostra, ac propter devotionis defectum, minus eidem placita efficiatur, sicque spirituali lucro, quod in nobis assurgere deberet, privemur.

XI. Cum incipit *supplices te rogamus*, se inclinat inclinatione profunda medii Corporis. Num postea in hac inclinatione, quæ fieri debet pollicibus, & indicibus junctis inter se, parvi digiti, seu auriculares tangere debeant frontem Altaris, discrepant Doctores inter se. Bonamicus part. 2. n. 33. & part. 1. observ. 11. n. 6. stat pro parte negativa; Baldassarius, Tonellius, & Bauldryus part. 3. tit. 9. Rub. 1. n. 3. stant pro parte affirmativa; *Sic manuum junctio ... non fit pollice dextro super sinistrum posito, sed junctis pollicibus, & indicibus inter se, ac parvis digitis frontem Altaris tangentibus, quando se inclinat, quod in sequentibus observandum, ita ut Celebrans non teneat manus totaliter super Corporale*. Cum quibus etiam nos sentimus, quia reapse non videtur assignabilis ratio hujusce diversæ manuum positionis in hac inclinatione super Altare, ab aliis positionibus manuum super idem Altare, cum potius positivum Rubrica ipsa exhibeat fundamentum servandi semper eandem methodum. Rubrica enim loquens de tali manuum positione super Altare, inter alia præscribit, quod digiti auriculares in frontem Altaris impingant; & addit, *quæ omnia semper observantur*; igitur digiti auriculares frontem Altaris debent tangere semper, sive ante, sive post consecrationem fiat, seu facienda sit inclinatio, ac ponendæ sint manus junctæ super Altare, hoc enim imponitur illis verbis, *quæ omnia semper observantur, cum manus junctæ super Altare ponuntur*. Rubric. tit. 4. n. 1. Præterea ideo contraria sententia sustinet annulares, & auriculares digitos superimponi Altari cum aliis digitis, quia evitandum est periculum dispendendi extra Corporale, & Altare fragmenta Hostiæ consecratæ, si quæ forte pollicibus, & indicibus adhæreant; ast inanitas hujus rationis manifestatur ex eo, quod periculum versandi fragmenta, si quæ adhæreant pollicibus, & indicibus, sufficienter cavetur per junctionem digitorum pollicum, & indicum, ut videre est cum manus tota transfertur extra Altare ad vertenda folia Missalis, aut ambæ ante pectus Celebrantis junctæ tenentur, ut pluries evenit in Canonis decursu; in quibus casibus sufficienter provisum esse existimant Doctores per junctionem pollicum, & indicum.

XII. Ad ea verba *ex hac Altaris participatione*, inclinans se recta Altare osculatur in medio; & cum dicit *Sacrosanctum filii tui &c.* jungit ante pectus manus, & dextera signans semel super Hostiam tantum, & semel super Calicem, signo minori, tam super Hostiam, quam super Calicem, sinistra super Corporale posita, manu dextera primum signum facit dum dicit *Corpus*, secundum vero facit dum dicit *Sanguinem*. Cum postea subdit *omni benedictione cælesti*, seipsum signat advertendo, ne digiti pollices, & indices uniti inter se utriusque manus, dum signat se, planetam tangant, ut advertunt Bonamicus parte 2. n. 33. Tonellius lib. 3. n. 3. aliique. In formatione Crucis debet Sacerdos tangere frontem dum profert *omni benedictione*, pectus dum profert *cælesti*, humerum dextrum dum profert *& gratia*, humerum sinistrum dum profert *repleamur*. Ita Bauldryus part. 3. cap. 3. n. 3. Tandem cum dicit *per eundem Christum* &c. jungit manus ante pectus.

R I T U A L I A.

XIII. Pro missa solemni cum Sacerdos dicit *per quem hæc omnia*, Diaconus antequam discedat a sinistris Sacerdotis facit ibi genuflexionem, absque positione manuum, aut etiam solius manus super Altare in facienda genuflexione; genuflectit autem unico genu; inde accedit ad dexteram sacerdotis, ita opportune, ut postquam Celebrans signaverit Calicem dicens *Sanctificas &c.* ipse præsto sit ad discooperiendum Calicem, & cum ipso genuflectendum; aliter si prius accedit, se solo ad Celebrantis dexteram genuflectere tenetur, & iterum adhuc cum eo genuflectere; debet enim Diaconus quoties Celebrans genuflectit, & ipse cum eo genuflectere. Cæremoniarius genuflexione utroque genu præmissa in suppedaneo Altaris ad Librum accedit, ubi perveniens genuflectit unico genu, & ibi Celebranti inservit, folia invertendo, si opus sit, ac librum ipsum sustinendo, ut Celebrans commodius legere possit, quæ legenda occurrunt; & hoc ne cogatur Diaconus importune accedere, & recedere ab uno latere ad aliud. Ibi itaque sistit Cæremoniarius, donec supervenit Subdiaconus dicturus simul cum Celebrante *Agnus Dei*. Cum Diaconus discooperit Calicem, deponit Pallam super Corporale, juxta Bauldryum; sed ad commodius eam recipiendam pro cooperatione nos sentimus esse deponendam super velum prope Corporale, ita ut media sit super Corporale, & circiter media super velum, &c.

C A P U T XX.

De quinta Canonis Oratione.

I. AB his verbis, *Memento etiam Domine famulorum famularumque tuarum*, exordium sumit quinta Canonis Ora-

Oratio, ad hoc principaliter instituta, ut in ipsa pro animabus Defunctorum in Purgatorio degentium precetur, eo fere modo, & ordine, quo ante consecrationem in *Memento* pro vivis oratur. Cum enim juxta Tridentinum sess. 22. cap. 2. *Hoc Sacrificium non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed & pro Defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, rite juxta Apostolorum traditionem offertur*; Sicuti pro vivis, ita & pro Defunctis in Missæ Sacrificio orandum esse decernit Ecclesia. Hinc scite Divus Thomas loco supra citato: *Secundo petit hujus Sacrificii effectum quantum ad mortuos, qui jam sumere non possunt, cum dicit*: Memento etiam Domine, &c. Hinc ratio colligitur, quare vivorum *Memento* seu commemoratio ante consecrationem fuerit instituta; illa vero Defunctorum nonnisi peracta jam consecratione fuerit demandata; Viatores enim possunt de Sacrificio hoc profiteri, Eucharisticum panem sumendo; & reapse prioribus Ecclesiæ temporibus, quia, ut dicebamus, omnes Missæ adstantes sumebant, vivorum memoria, seu memento pro vivis omittebatur, uti Sanctus Maximus *in Schol.* ex eo infert, quod ille divinæ Liturgiæ Mysteria edisserens, vivorum commemorationem non recenseat. Qui vero jam sunt in termino, cum non valeant de hoc participare Sacrificio per se, eorum nunquam in hoc Sacrificio commemoratio fuit prætermissa; ut videre est in omnibus Divinis Liturgiis, in quibus perpetuo recensetur Defunctorum commemoratio. Verum quidem est, quod olim mortuorum *Memento* ante consecrationem absolvebatur, præcipue iis temporibus, quibus vivorum *Memento* non habebatur; invecta postea in Missam memoria quoque vivorum, illa Defunctorum protracta fuit post consecrationem, tamquam potior locus pro iis, qui jam sumere Eucharisticum panem non valent. Hanc postpositionem sancitam fuisse aliqui existimant a Sixto I., nonnulli a Pelagio II.; Quod tamen pro certo habemus de hac re, id est, quod cum quædam Ecclesiæ, temporibus Innocentii, primævæ adhæsissent consuetudini, illas Innocentius ipse redarguit *de cons. dist.* 1. *cap. de Nominibus*; ex quo infertur vivorum memoriam Pontificis hujus tempore nondum in Missam fuisse invectam, bene vero illam Defunctorum post consecrationem statutam.

II. Quod Defunctorum commemoratio in Missæ Sacrificio fuerit perpetuus universæ Ecclesiæ ritus, recolitur tum ex Augustino lib. de cura pro mortuis gerenda cap. 1. his verbis: *In Machabæorum libris legitur oblatum pro mortuis Sacrificium, sed, etsi nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ ad Altare Domino Deo funduntur, locum suum habet & commendatio mortuorum.* Tum ex praxi Liturgiarum Sancti Jacobi, Marci, aliorumque, nunquam intermissa. Tum ex testimoniis SS. Patrum Clementis, Cyrilli, Tertulliani, Cypriani, Ambrosii, & præcipue Chrysostomi, hom. in Epistola ad Philippum, ubi sic loquitur: *Non frustra instituerunt Apostoli, ut cum tremenda Mysteria celebrantur, fieret eorum commemoratio, qui ex hac vita decesserunt; sciebant enim magnum inde lucrum, multamque utilitatem eis provenire. Cum adsit populus universus, & collegium Sacerdotale manus attollat, & coram posita sit tremenda Hostia, quomodo iram Dei non placabimus?* In hac igitur oratione Sacerdos & animo, & mente eos mortuos debet habere præsentes, seu recensere, pro quibus præcipue, atque ferventius precari intendit; beneplacito quippe ejus relinquitur selectio Defunctorum eorum, pro quibus enixius placet orare, uti notavit Innocentius III. lib. 5. cap. 7. his verbis: *In hoc loco Sacerdos, quorum maluerit Defunctorum, debet agere memoriam specialem*; pergit postea Sacerdos orare generatim pro omnibus etiam animabus in Purgatorio detentis, ut indicant verba illa *ipsis Domine*, hoc est pro quibus præcipue oravit; *& omnibus in Christo quiescentibus*, iis scilicet omnibus, nemine excepto, qui actualiter detinentur adhuc in loco Purgatorii, & flammis expiantur ultricibus. Neque enim animabus damnatorum prodesse queunt Sacrificia, aut preces; illi enim non *dormiunt in somno pacis*, sed de numero eorum sunt, de quibus hic loquitur Albertus Magnus cap. 16. dum dicit: *de quibus nullam vult Deus habere memoriam, & nullam notitiam, juxta illud psal. nomina eorum non recordabor per labia mea; memento Domine famulorum famularumque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei: qui scilicet*, sequitur Albertus, *tibi in obedientia mandatorum in hac vita famulati de familia, & domo tua adhuc sunt*, hoc est qui cursum consummarunt, fidem servarunt operibus comprobantes eam, quam in Baptismo susceperunt, & usque ad finem in eadem perseverantes; unde dicitur *qui nos præcesserunt cum signo fidei*. Quia tamen inter eos, qui nos præcedunt cum signo fidei, adhuc permulti non dormiunt in somno pacis, sed ad inferos detruduntur, quid dicendum si pro istis in Missæ Sacrificio precetur, aut Sacrificium ipsum offeratur? In hoc, & similibus casibus, docent Doctores in Ecclesiæ Thesauro fructum horum Sacrificiorum, aut precum servari, donec Deus pro justa mensura, & compensatione, animabus illis eum applicet, quæ eo frui possunt ad levamen aliquod consequendum. Diximus *pro justa mensura, ac compensatione*, quia Deus justus dispensator, omnia, attento saltem modo suæ providentiæ ordinario, distribuit juxta normam Evangelicæ illius legis, Lucæ 6. *eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.* Dari potest etiam casus, quod pro aliquibus animabus, adhuc in somno pacis dormientibus, seu in Purgatorio degentibus, sacrificia, & Orationes per accidens non prosint, hoc est, quia in hac vita sibi talia sacrificia, & Orationes posse proficere demeruerint; aut sibi oblationes defunctorum retinendo, aut in aliud tempus protrahendo sacrificia, quibus tenebantur, ut docet Divus Pater Augustinus in Enchiridio. *Neque negandum est Defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cum pro illis Sacrificium mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt; sed eis hæc prosunt, qui cum viverent, ut hæc sibi postea possent prodesse, meruerunt.* Per hoc tamen, quod nobis non constet, animas, pro quibus Sacrificia, orationes, aut alia pietatis opera præstare tenemur, esse de facto in eo statu, ut ipsis indubitanter proficere valeant, licitum erit nunquam, ea non adimplere, aut minus diligenter, & accurate persolvere. His itaque in casibus, oblationum fructus aut precum, quæ pro iis animabus fiunt, quæ dum viverent sibi prodesse posse demeruerunt, pro justa mensura, & compensatione Deus fructus hos applicat animabus illis, quæ dum viverent ab opposito meruerunt quidem, ut sibi Sacrificia, & oblationes prodessent, nec habent pro se offerentes, aut Sacrificantes. Caveamus igitur, ne vita in corpore male gesta, tali misericordia judicemur indigni. Ad ea verba quod attinet, *& dormiunt in somno pacis*, quæ accomodari non posse videntur animabus Purgatorii, quæ tali igne actualiter cruciantur, ut teste Augustino *durior sit, quam quidquid potest in hoc sæculo pœnarum videri, aut sentiri, aut cogitari*, Serm. 42. de Sanct. dicendum, quod adhuc merito in somno pacis dormire dicuntur, quia exeuntes de corpore æternæ vitæ securitatem jam consecutæ sunt, a qua perfecta illa animi quies derivatur, qua nos caremus in hac militia super terram; ubi nescientes an amore, vel odio digni simus, animi perturbationibus indesinenter vexamur.

RITUALIA.

III. Sacerdos cum dicit *Memento etiam Domine famulorum, famularumque &c.* extensis, & junctis manibus ante pectus, secreto Defunctorum commemorationem prosequitur. Bis in hoc loco manus conjunguntur; primo cum dicitur clausula, *Per eundem Christum &c.* Secundo ad ea verba, *Memento &c.* itaque peracta manuum conjunctione, quæ debet fieri immediate ante ad clausulam, *Per eundem Christum &c.* iterum manus extenduntur more solito, sed ita lente elevantur, ut possint conjungi ad illa verba, *in somno pacis*. Cavere autem debet Celebrans, ne post manuum disjunctionem, easdem super Corporale deponat, ut inde illas elevet, ut conjungantur; conjunctis manibus eas elevat usque ad faciem, sed taliter infra oculos, ut horum intensio in Sacramentum non impediatur; & aliquantulum quoque caput inclinat.

IV. Si in Altari, ubi celebrat missam, expositum sit Sacramentum, oculi in ipsum elevari non debent, sed intenti tenentur in Hostiam consecratam. Elevatis manibus usque ad faciem, ut supra, junctis, facit supradictam fidelium Defunctorum commemorationem, prius in individuo, uti designant litteræ N. N., & postea in genere; seu postquam dixerit secreto, *qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis*. Hæc autem verba pronuntiantur peracta Defunctorum memoria in individuo, de quibus sibi videtur. Absoluta etiam Defunctorum commemoratione in genere, stans, ut prius, manibus de more iterum extensis, prosequitur: *Ipsis Domine & omnibus in Christo quiescentibus &c.* capite erecto, quod inclinat inclinatione minimarum minima, & simul manus jungit ad clausulam, *per eundem Christum &c.*, & sic etiam pro missa solemni.

CAPUT XXI.

De Sexta Canonis Oratione.

I. AB iis verbis, *Nobis quoque peccatoribus*, sexta & ultima incipit Canonis Oratio, quæ desinit in clausulam illam proxime Orationem Dominicalem præcedentē, *Per omnia sæcula sæculorum*. In hac Oratione Sacerdos, Defunctorum fidelium peracta commemoratione, pro semetipso quoque, & pro omni Ecclesia militante simul, Deum resumit orandum; cum enim sit, testante Apostolo ad Hebr. 5. *pro hominibus constitutus in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & Sacrificia pro peccatis, quemadmodum pro populo, ita & pro semetipso offerre debet*: quod exequitur dum hic subdit, *nobis quoque peccatoribus*: offert enim his verbis Sacrificium præcipue pro seipso, & pro omnibus Sacerdotibus, uti asserit Bellarminus de Missa lib. 2. cap. 26. cum D. Toma: *Tertio eundem petit quantum ad ipsos Sacerdotes offerentes, cum dicit, nobis quoque peccatoribus &c.* Hæc Oratio habetur etiam in Liturgia S. Petri, & juxta Innocentium, & Durandum *hic* indicat contritionem, ac confessionem Latronis, in articulo Dominicæ passionis factam, quando dixit increpans alterum, *nos digna factis recipimus*; nec non ejus ad Jesum petitionem dum dixit: *Domine memento mei dum veneris in Regnum tuum*; unde Celebrans prædicta verba *nobis quoque &c.* paululum expressa voce proferens, percutit sibi pectus; qua percussione veluti contritio exprimitur, quam Celebrans tenetur intra se excitare, dum pro se, & aliis postulat Domini nostri Jesu Christi misericordiam. Hinc ad rem S. Pater Augustinus serm. 5. de verbis Domini secundum Matthæum: *Tundere pectus quid est, nisi arguere, quod latet in pectore, & evidenti pulsu occultum castigare peccatum*: & tractatu de Doctrina Christi cap. 20. sic monet nos: *Erubescimus saltem, confiteamur, & pectora tundamus, non ut super peccata nostra pavimentum solidemus; nam qui tundit pectus, & non corrigitur, solidat peccata, non tollit. Tundamus pectus, & cædamus nos, & corrigamur a nobis.*

II. Postulat itaque hic Sacerdos pro se, & pro Sacerdotibus omnibus, ac fidelibus viventibus, ut Deus partem aliquam, & societatem donare dignetur cum Sanctis Apostolis, & Martyribus, aliisque Sanctis omnibus, eo fere modo, quo ante consecrationem Sanctorum suffragia enixe præcaverat; qua ratione antecedens commemoratio Sanctorum inscribitur ad *Suffragium*, subsequens vero consecrationem dicitur *ad Consortium*; unde subdit, *intra quorum nos consortium, non æstimator meriti, sed veniæ quæsumus largitor admitte*. Sanctorum hic consortium potius, quam suffragia memoramus, ac petimus; quia modo, ad differentiam antecedentis commemorationis, jam mediator ipse Jesus Christus Sacramentaliter præsens est, cujus suffragium omnia illa Sanctorum in infinitum excedit.

III. Sancti qui in hac oratione enunciantur quindecim sunt ex pervetusta traditione, & ideo quindecim juxta D. Thomam opusculo 66. *ut per virtutem Sacramenti, quod tractamus, & offerimus, eorum adjuti precibus, & meritis, quindecim charitatis gradus ascendamus, & invicti ad Sanctorum consortium transeamus*. Ex his non sine suo mysterio octo enumerantur Mares, & septem Mulieres; quia in octo Maribus, octo beatitudines, & in septem Mulieribus, septem gratiarum Charismata præfigurantur juxta Durandum *in Gemma animæ* lib. 4. cap. 46. his verbis: *Septem charismata gratiarum, & octo beatitudines junguntur in nobis*. Mares igitur sunt, Joannes, Stephanus, Marcellus, Petrus &c: Joannem esse Evangelistam cum Durando *hic* nonnulli censent, asserentes bis in Canone nominari ratione duplicis prærogativæ, quibus gaudet, Apostolatus scilicet, & Virginitatis, ratione quarum præ cæteris magis dilectus, & supra pectus Domini in cœna recubuit, & sibi Matrem Virginem a Christo e Cruce pendente Virgini commendari meruit. Beatus tamen Albertus, cui assentit communis Liturgicorum opinio, vult, quod in antecedenti commemoratione sit Joannes Evangelista, in hac vero sit Joannes Præcursor; quia reapse in Liturgiis SS. Basilii, & Chrysostomi, in hac secunda commemoratione Baptista expresse nominatur; & merito huic post Hostiæ consecrationem locus assignatur, quando jam præsens est agnus Dei, cujus ipse præcursor fuit, ac demonstrator dicens: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*.

IV. Quinam sit Sanctus Petrus, qui in hoc secundo Catalogo commemoratur, pariter inquiri solet; & ratio dubitandi est, quia plures sunt hujus nominis Martyres, uti ponderat Septala Derothensis Episcopus tractatu de Mysteriis missæ cap. 33. pag. 243. unde non ita facile posse definiri videtur, quis ille præcise Petrus sit. Verisimile tamen est, ut optime ponderat Pouget Tom. 2. Instit. Cath. pag. 687. hunc esse Sanctum Petrum Exorcistam, qui sub Diocletiano cum Marcellino Presbytero Martyrium subiit, unde ut immediate post Marcellinum hac in commemoratione recensetur. Horum Sanctorum Marcellini scilicet, & Petri Exorcistæ festum, ut videre est in Martyrologio Romano, celebratur postridie Kalendas Junii. Opinioni huic assentiri videtur etiam Cardinalis Bona Rerum Liturgicarum lib. 2. cap. 14. num. 5. ubi adnotat, Sanctum Petrum hunc esse e minorum ordinum Clericis, seu Exorcistam.

V. Peracta Sanctorum, & Sanctarum enunciatione, subdit Sacerdos, *intra quorum nos consortium, non æstimator meriti* &c. In hac Oratione illa verba *non æstimator meriti*, non debent sumi in hoc sensu, scilicet, quod Deus bonorum meritorum non sit æstimator; est enim non tantum æstimator, sed ultra mensuram quoque generosus remunerator: usurpatur itaque ibi meritum relate ad id, quod peccata nostra merentur; habent enim & peccata meritum suum, sed malum, quod pœnis retribuitur, & adversitatibus, juxta illud *propter peccata veniunt adversa*. Hinc D. Parens Augustinus lib. de cura pro mortuis gerenda cap. 5. sic habet: *Quorum tam mala sunt merita*; ut itaque per Jesu Christi bona, ac infinita merita, venia tribuatur meritis malis nostris, & cum adstantibus præcipue admittatur in Cælo, Sacerdos prosequitur: *Per quem hæc omnia Domine semper bona creas*.

VI. Intermiscitur orationi huic solita clausula: *Per Christum Dominum nostrum*, quam Celebrans profert immediate ante illa verba, *Per quem hæc omnia* &c. quia Christus ipse dixit, *nemo vadit ad Patrem nisi per me*; ipse enim, ut habetur Joannis 10. *est Pastor ovium, & ovilis Ostium*. Post clausulam *Per Christum Dominum nostrum*, ex Rubrica non præcipitur dici *Amen*, ut detur intelligi, quod clausula hæc connectitur seu connexionem servat cum his *Per quem &c.* ut advertit Biel. cap. 60. & Gavantus hic; & consequenter orationem omnino adhuc continuari, & ad eandem Canonis partem spectare.

VII. Mos erat olim fruges ad Altare benedicere, uti ex veteribus Missalibus, & liturgiis comprobat Cardinalis Bona lib. 2. cap. 14. num. 5. *Finita*, inquit, *hac oratione, post illa verba*, largitor admitte, *si novæ fruges, aut quælibet alia, humanis usibus inservientia, benedicenda erant, ante Altare olim collocari solebant, & hic a Sacerdote benedici, & terminata benedictione solita clausula*, Per Christum Dominum nostrum, *sequentem addebant orationem*, Per quem hæc omnia Domine semper bona creas; *quæ, ut notat Lucas Dacherius, non solum referuntur ad oblata, sed etiam ad res tunc benedictas, quas Deus creat, sive producit, easque petimus ejus benedictione sanctificari nostris usibus profuturas*. Ex quibus infertur, quod preces illæ *per quem hæc omnia Domine semper bona creas* &c. non solum ad Christi Corpus, & Sanguinem referebantur, sed etiam ad novas fruges benedictas: modo autem cum in hac missæ parte non amplius frugum benedictio fiat, seu fieri soleat, & eadem verba retineantur in qualibet missa super Christi Corpus & Sanguinem cum crucesignationibus; congruentias optimas, & altissima Mysteria, quæ sub ipsis verbis continentur, modo exponemus.

VIII. *Semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis, & præstas nobis*. His verbis utique epilogantur omnia Dei magnalia, quæ usque huc in missa sunt astricta, scilicet creatio Panis, & Vini, tamquam remota hujus Sacrificii materia: per ly *Creas*, sanctificatio ejusdem per oblationem Deo factam in Offertorio; per ly *Sanctificas*, transubstantiatio in Corpus, & Sanguinem Christi supradictæ materiæ sanctificatæ; per ly *vivificas*, cælestem in nos benedictionem causantia secundum se; per ly *benedicis* tandem, actualis cælestium benedictionum; atque gratiarum consecutio per ly, *& præstas nobis*. Item ex D. Thoma opusculo 66. per verba illa commendatur Persona Filii per multiplicem potestatem, ostendendo eum esse primo Deum naturæ, secundo Deum veniæ, tertio fontem vitæ, quarto Regem gloriæ. Prima potestas est, quia potest omnia ex nihilo creare; secunda, quia potest peccata dimittere; tertia, quia potest gratiam, & virtutem dare, & augere; quarta, quia potest emendatos, & perseverantes in bono gloria, & beatitudine coronare; *& per quem Domine hæc omnia semper bona creas*, ecce Deus naturæ, *sanctificas*, ecce Deus veniæ, *vivificas*, ecce Deus fons vitæ, & plenitudo virtutis, & gratiæ, *benedicis*, ecce Rex æternæ gloriæ.

IX. Verba illa ex mandato Rubricæ proferuntur a Celebrante cum Crucis signis tribus super oblata; de quibus agendo D. Thomas 2. part. quæst. 83. art. 5. ad 3. docet, tribus Crucis signationibus, quæ ad illa verba efformantur, *Sanctificas, vivificas, benedicis &c.* significari tres Orationes ad Patrem, quibus e Cruce pendens Jesus sic præcabatur, 1. *Pater ignosce illis, non enim sciunt, quid faciunt*. 2. *Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me*. 3. *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*. Prima oratio est pro persecutoribus. Secunda pro liberatione a morte. Tertia pertinet ad gloriæ adoptionem, *& ad hoc significandum*, prosequitur D. Thomas, *fit trina Crucesignatio super illa verba*: Sanctificas, vivificas, benedicis.

X. Absolutis his tribus Crucis signis, accipit Celebrans Hostiam consecratam aliquantulum infra medium, & ad ea verba *per ipsum, & cum ipso, & in ipso* tres efformat Cruces super Calicem. Hujusmodi verba extant etiam apud Sanctum Ambrosium lib. de Sacramentis cap. 5. nec non in græca Liturgia S. Petri. Verba hæc per D. Thomam opusculo 66. sic exponuntur: *Per ipsum*, intelligitur creatio; in eo, quod dicitur *cum ipso*, intelligitur operatio; in eo, quod dicitur *in ipso*, intelligitur conservatio, ... tres autem memoratas Cruces, quæ ad hæc verba *per ipsum &c.* fiunt super Calicem, fieri asserit ad recensendas tres illas horas, quibus Jesus, a sexta usque ad nonam pependit in Cruce.

XI. Ad illa verba, quæ sequuntur: *Est tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus sancti*, duo alia Crucis signa efformat Celebrans extra Calicem, & hæc signa indicare affirmat Angelicus Doctor supra citatus, separationem Animæ a Corpore Christi, quando inclinato capite emisit spiritum; alias quoque horum signorum Crucis congruentes mysticas tradit Sanctus Doctor, loco supracitato, significationes, ubi videri possunt. Nobis sufficit hic Celebranti exhibuisse potissima horum signorum Mysteria, quæ si animo præsentia tenere curaverit, dum Sacrosanctum hoc peragit Sacrificium, mire in se fervorem excitari sentiet, ac pietatem promoveri ad exequendas, uti decet, sui muneris partes; & sic majori semper ac majori, frequentatione Sacramenti hujus, gratia potitus, summa cum animi sui voluptate Altari deserviet.

R I T U A L I A.

XII. Cum dicit *nobis quoque peccatoribus*, aliquantulum elevat vocem, absque tamen Capitis inclinatione, sed stans erectus, dextra manu, tribus inferioribus digitis semiextensis, & clausis, leviter sibi percutit pectus, taliter, ut pollex, & index conjuncti Planetam non tangant, sinistra posita super Corporale. Minister pariter sinistra manu infra pectus reposita, manu dextra leviter sibi percutit pectus, dum Celebrans supradicta verba *Nobis quoque peccatoribus* profert; caveant autem, ne sibi post percussionem pectoris manum osculentur. Post prolationem verborum *nobis quoque &c.* prosequitur secreto, *famulis tuis &c.* manibus extensis de more, ut ad Collectas; & cum dicit *Per Christum Dominum nostrum*, jungit manus ante pectus, & deinde dextra manu ter signat communiter super Calicem, & Hostiam, ita ut primum Crucis signum efformet dum dicit *Sanctificas*; Secundum dum dicit, *Vivificans*; Tertium dum dicit, *Benedicis*. Inde Calicem discooperit manu dextra, sinistra de more posita super Corporale, accipiendo Pallam inter digitos medium, & indicem unitum Pollici, quam deponit ex una parte super Corporale, & ex alia super Velum; postea genuflectens de more unico genu adorat Sacramentum, & se erigit reverenter accipiendo Hostiam, quam sic elevat premendo ipsam indice sinistræ manus aliquantulum ex una parte inferiori, dextera interim accipiente, non omnino a parte inferiori, sed aliquantulum infra medium oræ ipsius Hostiæ, ita quod per rectam lineam, absque ulla prorsus ipsius Hostiæ inclinatione, signum Crucis efformari possit cum ea super Calicem, quem manu sinistra tenet circa nodum infra cuppam, a labio ad labium; cavendo ne Hostia, dum signum Crucis efformat cum ipsa, tangat Calicis labia, ad hoc ut non fiant fragmenta.

XIII. Tres Cruces cum Hostia efformat Celebrans super Calicem, modo dicto, æquales; quarum primam designat inter vocem,

cem, *Per ipsum*. Secundam inter vocem, *& cum ipso*. Tertiam inter vocem, *& in*, & vocem *ipso*, post quas signationes cum Hostia similiter bis signat extra Calicem, inter hunc scilicet, & suum pectus, incipiendo signum a labio Calicis exteriori, absque eo quod Hostia hoc tangat, & producendo ad pectus per lineam rectam, non excedentem ipsius Calicis altitudinem, nec extra Corporale, sed intra se continentem. Brachium sinistrum debet aliquantulum incurvare, dum has efformat Cruces, ne Hostia consecrata super ipsum pertranseat. Efformat autem primam dum profert *Patris*. Secundam vero facit inter vocem *Spiritus*, & vocem *Sancti*; deinde recta linea Hostiam deferent super Calicem, hunc elevat aliquantulum simul cum Hostia dicens, *omnis honor, & gloria*, elevat autem Calicem cum Hostia, ut supra, non excedendo altitudinem quatuor digitorum, nec moram faciendo, sed statim utrumque deponendo. Calicem collocat suo loco, scilicet super mediam plicaturam Corporalis posteriorem, & Hostiam pariter super plicaturam anteriorem, mediam ejusdem Corporalis, ut alibi descripsimus; postea, si opus est, digitos extergit super medium Calicis, illos suaviter fricando, quo facto pollices, & indices iterum jungent, Palla cooperit Calicem, sinistra, modo supradicto, retinente Calicis nodum. Cooperto Calice facit unico genu de more genuflexionem, & se erigit ad Orationem.

R I T U A L I A.

Pro Missa solemni.

XIV. Cum Celebrans dicit *per quem hæc omnia Domine*, Diaconus facta Sacramento genuflexione unico genu antequam discedat a sinistris Celebrantis, accedit ad dextram ipsius, ita opportune si possibile est, ut postquam Celebrans signaverit Calicem dicendo *Sanctificans &c.* ipse detegat Calicem, & genuflectat cum ipso, aliter si prius accedat, se solo debet, cum pervenit ad dextram Celebrantis, genuflectere, & iterum genuflectere cum ipso. Quo facto Cæremoniarius faciens genuflexionem utroque genu in suppedaneo Altaris, accedit ad Librum, ut inserviat Celebranti vertendo folia &c. ne Diaconus cogatur importune accedere, & recedere ab uno latere ad aliud, & assistit illic Cæremoniarius donec superveniat Subdiaconus dicturus cum Celebrante *agnus Dei*, ut dicebamus.

XV. Cum Celebrant dixit *& præstas nobis*, Diaconus discooperit Calicem deponendo Pallam super Corporale & genuflectit cum Celebrante. Cum Celebrans stans ter cum Hostia Calicem signat dicendo *Per ipsum, & cum ipso, & in ipso*, ipse quoque Diaconus stat, & duobus dexteræ manus digitis tenet Calicis pedem. Hinc dum Sacerdos Hostiam super Corporale deponit, Palla cooperit Calicem absque prævia genuflexione; & deinde cum Celebrante ipse quoque genuflectit.

C A P U T XXII.

De Oratione Præceptis &c. usque ad infractionem Hostiæ.

I. MIssæ Canonem sexta Oratione concludi docet Bellarminus Tom. 3. Controver. lib. 6. de Sacrificio Missæ cap. 27. unde & nos hanc amplexantes sententiam profitemur Orationem Dominicam ad Canonem non pertinere, & consequenter Canonis partem dici non posse. Sacerdos itaque propius ad Sacrosanctam communionem accedens, se ad hanc devote disponit Orationem illam recitando, quam Salvator ipse Discipulis suis dicendam tradidit, atque composuit, ac proinde Dominicam nuncupatam a SS. Patribus. Neque enim melius potest Celebrans, aut efficacius se ad Eucharistiam sumendam præparare, quam ea intercedente Oratione, quæ a Tertulliano *legitima, & Doctrinæ Cælestis compendium*, ab Augustino *cælestis omnium plena virtutum, omnes species orationis comprehendens*, a Cypriano *Breviarium totius Evangelii nuncupatur*, & ex communi SS. Patrum sensu deletiva quoque levium peccatorum, ut videre est apud Sanctum Patrem Augustinum in Enchirid. ad Laurent. cap. 7. *De quotidianis levibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana Oratio satisfaciet . . . . Delet omnino hæc Oratio minima, & quotidiana peccata, delet & illa, a quibus vita fidelium, scelerate etiam gesta, sed pœnitendo in melius mutata discedit.*

II. Dominicæ Orationi anteponit Sacerdos verba illa vetustissima: *Oremus Præceptis salutaribus moniti*, quæ indicant *sic Christum docuisse Apostolos suos, ut quotidie in Corporis illius Sacrificio credentes, audeant loqui Pater noster*; uti legitur apud Hieronymum lib. 3. adversus Pelagianos. Hinc eruitur Apostolos ipsos recitare cœpisse Orationem Dominicalem in missa; quod etiam tradit Honorius in gemma animæ cap. 86. *Missam Dominus Jesus instituit, quando ex Pane, & Vino Corpus & Sanguinem suum fecit, & memoriam sui suis celebrari præcepit. Hanc Apostoli auxerunt, dum super Panem, & vinum, verba, quæ Dominus dixit, & Dominicam Orationem dixerunt . . . . . .* Hinc erravere nonnulli existimantes Gregorium Magnum instituisse Orationem Dominicam recitari in Missa, inter quos enumerantur Hugo Victorinus, & Rupertus; cum ex omnibus vetustioribus Liturgiis & ex Patribus Gregorio antiquioribus ejusdem Dominicæ Orationis usus in Sacrosancto missæ Sacrificio, ad evidentiam demonstretur, ut videre est apud Augustinum Epistola 59. jam supra citata ad Paulinum, loco pariter supra laudato apud Hieronymum, apud Ambrosium lib. 5. de Sacrament. lib. 4. apud Anastasium Sinaitam serm. de Synaxi, apud Cæsarium Arelat. hom. 12. & alios ex Menardo in lib. Sacrament. D. Gregorii. Dicendum itaque supradictos Doctores Hugonem, & Rupertum, ideo Gregorium hujus ritus Auctorem asseruisse, aut quia in nonnullis Ecclesiis omissum restituerit, aut quia in missæ Sacrificio locum, in quo modo Oratio Dominica recitatur, ipse præfixerit, aut tandem, quia a solo Celebrante dici jusserit, cum olim ab omnibus missæ adstantibus recitaretur.

III. Rationem, cur in missa a Celebrante elata voce, a Rubrica dicenda præcipiatur Oratio Dominicalis, cum in officio secreto inscribatur recitanda, Benedictus XIV. de Sacrosancto missæ Sacrificio lib. 2. cap. 19. num. 4. docet eam præcipue esse desumendam ex arcani disciplina, qua vetitum erat, tum Orationem Dominicalem, tum Symbolum in publicis conventibus alta voce recitari, ne Infidelis quis, aut Catechumenus ea addiscerent; quibus tantum antequam Baptismum sumerent immediate, ac cum satis instructi, seu probati in classem commigrassent *Competentium*, Orationem Dominicalem, & Symbolum addiscere, aut recitare concessum erat. Infideles enim, & Catechumeni publicis cœtibus, in quibus officia, seu Horæ Canonicæ recitabantur, adesse poterant. Huic autem missæ parti nemo eorum admittebatur; cum peracta Evangelii explicatione, omnes tum infideles, tum Catechumeni Ecclesia pellerentur; unde locus dabatur elata voce recitandi orationem Dominicam, ac Symbolum, absque periculo detegendi ea Catechumenis, & infidelibus, quæ nunc, pro tunc, sub arcano detineri expedire existimabatur.

IV. Cum Celebrans pervenit ad illa verba, *& ne nos inducas in tentationem*, Minister elata voce respondet; *sed libera nos a malo*, Hic contra Rubricam, & contra Mysterium agere Sacerdotem, si & ipse secreto prosequatur verba illa, *sed libera nos a malo*, monet Angelus Tonto de Mysteriis missæ, quem sequitur Gavantus, ea ratione ductus, quia videretur Sacerdotem in tali casu postulare a Deo, ut se a malo culpæ præsentis liberaret, ac proinde ad Altare accessisse celebraturum peccato mortali obnoxium; putant enim Doctores illi, quod Rubrica Missalis, ideo non sinat Celebrantem elata voce prosequi, *sed libera nos a malo*, ne se detegat peccato mortali gravatum; ast quam levis sit, ac prorsus nullius subsistentiæ hæc ponderatio, ex eo facile dignosci potest, quod in sequenti Oratione Celebrans ipse a præsentibus malis liberari exposcit, eo fere ipsissimo sensu, quo per illa verba, *sed libera nos a malo*, fit. Quis enim unquam scit, utrum amore, vel odio dignus sit? Nos itaque potius dicimus, quod Rubrica merito verba illa *sed libera nos a malo*, a Ministro elata voce dicenda, seu respondenda decernit, ut locus detur exercitio mutuæ charitatis, quæ admodum relucet in orationibus, quæ pro invicem fiunt ad salutem obtinendam, juxta illud Salvatoris nostri præceptum Epist. Cath. c. 5. *Orate pro invicem ut salvemini*. Hinc Celebrans quoque pro mutua charitate, majori adhuc efficacia, & pro se, & præcipue pro populo expresse, & fusius precatur in Oratione sequenti, quam dicit secreto: *libera nos &c.*

V. Ministro itaque respondente *sed libera nos a malo*, Sacerdos submissa voce dicit *Amen*, & sic prosequitur secreto, *libera nos quæsumus Domine &c.* Sacerdos hic juxta expositionem Soti, tertio ad silentium revertitur, ut numerum silentiorum Christi compleat, quando in Horto, ut dicitur Matth. 26. *iterum abiit, & oravit tertio*, qua Oratione, ut Deus virtute Sacramenti nos liberare dignetur *ab omnibus malis præteritis*, scilicet a peccatis jam commissis; non tam quod ad maculam culpæ, qua carere credimus, cum ad Altare Eucharistiam sumpturi accedimus, quam quoad pœnæ reatum, non tantum æternæ, sed etiam satisfactoriæ, seu temporalis; *Præsentibus*, scilicet non solum a tentationibus, quæ incessanter ad patranda peccata impellunt, in vita hac, quæ, ut dicitur Tob. 7. militia est, seu tentatio super terram; sed etiam a pœnis, seu adversitatibus insurgentibus, quæ nobis adveniunt propter peccata; a quibus omnibus ut evadamus immunes, ejus hic pro omnibus auxilium implorat Sacerdos, qui solus sua pietate, & animas salvare potest, & corpora. Subditur tandem, *& futuris*, hoc est ab omnibus malis, quæ nobis accidere possunt in posterum, & præcipue cum in tentatione proventum. Tria hæc postulata, *præteritis, præsentibus, & futuris* correspondent tribus petitionibus, quæ in Dominica fiunt oratione, scilicet: *Dimitte nobis debita nostra*, hæc enim sunt præterita, *& ne nos inducas in tentationem*, hoc ad præsens attinet, *sed libera nos a malo*, & hoc ad futurum pertinet. Ex quibus omnibus recolitur id, de quo in Psalm. 118. serm. 8. nos monet Ambrosius, scilicet quod: *non solum de præteritis veniam debemus postulare, sed etiam præsentia declinare, & a futuris cavere*; quæ omnia ut consequamur, invocat Celebrans, omnium nomine, intercessionem Beatæ Mariæ semper Virginis, Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, atque Andreæ, aliorumque omnium Sanctorum. Congrue hic intercessio B. M. Virginis invocatur, quæ Alberto Magno teste, *Domina Mundi est, figura Ecclesiæ, & mater castis visceribus filios Ecclesiæ concipiens, in charitate formans, & per adoptionem eosdem filii sui fratres perficiens*. Revocantur quoque in adjutorium nostrum Sancti Apostoli Petrus, & Paulus; quia præcipue fuerunt a Christo in Apostolicæ confessionis petra solidati, & in Ecclesia veluti principatum obtinent. Superadditur etiam expresso nomine Sanctus Andreas; quia adducens Petrum ipsum ad Christum, ut dicitur Joann. 1. veluti ipsiusmet Principis Apostolorum censetur Apostolus. Ipse etenim, uti advertit Benedictus XIV. loco supracitato num. 7. ideo hic solus Post Petrum, & Paulum inter Apostolos nominatur, quod primus ad Apostolatum vocatus fuit, ut constat ex

Evangelio Sancti Joannis &c. Ternarius etiam numerus horum Signorum suo non vacat Mysterio; in ipso enim tres recoluntur Dominicæ sepulturæ dies, ut memoria mortis Redemptoris nostri intercedente, a malis omnibus præteritis, præsentibus, ac futuris liberati, pacem assequamur; hoc est præcepta legis exacte pro viribus adimplentes illis associemur, quibus per Psalmistam pacis abundantia promittitur, *pax multa diligentibus legem tuam.*

VI. Oratio *libera nos quæsumus Domine &c.* vetustissima est. Habetur enim in Liturgia Sancti Petri, absque nominibus tamen Petri, & Pauli, quæ post obitum eorundem fuerunt adjecta; nomen autem Sancti Andreæ huic orationi additum fuisse a Papa Gregorio permulti opinantur, ob singularem devotionem erga ipsum perpetuo exhibitam. In pervetustis Sacramentariis aliorum quoque Sanctorum nomina hac in Oratione habebantur; eo quia olim unusquisque post hæc verba *atque Andrea*, pro sua devotione quos volebat Sanctos poterat recensere; ut constat ex Mycrologo cap. 23. modo autem cum vetitum sit minimum quodque addere, abstinendum est, ac devotioni parcendum; alioquin non devotioni, sed præsumptioni potius, ut ait Hilarius, adscriberetur.

R I T U A L I A.

VII. Cooperto Calice, methodo eadem prorsus, qua Præfationem incepit, voce elata, & intelligibili dicit: *Per omnia secula seculorum*; Ministro nomine populi respondente *Amen*. Cum dicit *Oremus* alta ordinaria voce, manus jungit ante pectus, & inclinato capite inclinatione minimarum maxima, illud erigit, cum dicit: *Præceptis salutaribus moniti*, & junctis, ut supra manibus, alta voce prosequitur, usque ad principium Orationis Dominicæ; ad quam, cum incipit dicere *Pater noster*, manus extendit, ut ad Orationem, & sic extensas eas tenet usque ad finem, stans semper oculis intentis ad Sacramentum. Cum ad illam vocem pervenerit, *in tentationem*, ministro respondente alta ordinaria voce *sed libera nos a malo*, Celebrans submissa voce dicit *Amen*, post cujus prolationem, & non antea, Patenam accipit, digito medio dexteræ manus applicato concavitati ipsius Patenæ, in illam impingit, ut paululum recedat extra Corporale versus partem Epistolæ, nullatenus adhibita manu sinistra, quantum fieri potest, quæ si adhiberi debet, illam super hostiam non transferat, dum eam ad Patenam, aut Purificatorium ducit.

VIII. Patena, D. Alberto Magno teste, a patendo sic dicta, latitudinis charitatis exhibet specimen, unde Celebrans manu dextera pollice, & indice non disjunctis Patenam aliquantulum Purificatorio extergit; qua extersione indicatur charitatem, qua Celebrans se disponit ad sumendum Corpus, & Christi Sanguinem, debere esse mundam. Extersione Patenæ expleta, Purificatorium collocat in ea distantia a Corporali, ut inter Corporale, & Purificatorium Calix collocari possit, post digitorum ablutionem; inde inter indicem, & medium digitos Patenam accipit, & erectam tenet super Altare extra Corporale, (quidquid aliter sentiat Anonymus Italus,) sinistra super Corporale posita a parte Evangelii, quam ad pectus admovens, antequam dicat *da propitius pacem*, dextera manu Patenam elevat ab Altari; & dum dicit *cum Beatis Apostolis tuis*, signat se cum ipsa, frontem tangens cum dicit *Petro*, pectus cum dicit *Paulo*, sinistrum humerum cum dicit *atque Andrea*, & tandem humerum dextrum dum dicit, *& omnibus Sanctis*; postea defert Patenam ad os, ipsamque osculatur in parte anteriori, & superiori, nunquam in illo spatio, per quod transitura mox est Hostia, quando super Patenam colligitur, quæ amplius abstergenda non est Purificatorio, & multo minus Planeta.

IX. Hujus ritus, quo Celebrans Patena sibi signum Crucis efformat, ac eam osculatur, morose aliquantulum proferendo supradicta verba, ut inter eorum prolationem cum Patena ipsa motu gravi munire se signo Crucis possit, & eam osculari, ratio est; quia virtute Crucis veram pacem, quam osculum præsignat, a Domino petimus. Aliam rationem huic consimilem affert etiam Benedictus XIV. loco citato num. 11. sic: *Jam vero Sacerdos Patena sibi crucis signum ducit, eamque osculatur, quia Patena instrumentum est pacis, & vas ubi sacra ponitur Eucharistia, quæ Christianorum est pax*; Unde ad rem Celebrans prosequitur, *da propitius pacem* &c. submittendo Patenam Hostiæ.

R I T U A L I A.

Pro Missa Solemni.

X. Cum Sacerdos incipit *Per omnia secula*, hoc est Præfationem ad Orationem Dominicalem, Diaconus per totum tempus, quo Celebrans canit dictam Præfationem, stat, ut prius, ad dexteram Celebrantis, ut cum incipit Orationem Dominicalem illis verbis *Pater noster &c.* tunc, & non prius genuflectit, & se transfert post Celebrantem, quidquid in contrarium sentiat Lohner, quia inutiliter profecto a Rubrica præscriberetur duplex illa genuflexio, si statim sine mora deberet Diaconus descendere post Celebrantem. Descendit itaque ad principium Orationis Dominicæ, præmissa genuflexione ad dexteram Celebrantis in suppedaneo, & unico genu, ut alias documus, & ibi stat post Celebrantem ad secundum Altaris gradum usque ad illa verba, *& dimitte nobis debita nostra*, ad quæ facta ibidem genuflexione, vadit ad dexteram Celebrantis, ubi cum pervenit pariter genuflectit, & ibi inservit Celebranti tergendo, & porrigendo Patenam, ac Calicem suo tempore discooperiendo &c.

XI. Subdiaconus quoque circa finem Orationis Dominicæ, dum Celebrans dicit, *& dimitte nobis debita nostra*, genuflectens in suo loco, seu in medio infimi Altaris gradus, accedit per viam breviorem ad cornu Epistolæ simul cum Diacono, cui, stans ad ejus dexteram, Patenam porrigit coopertam Velo humerali, & ipse Diaconus eam Veli partem removens, qua cooperitur, discooperit, & a Subdiacono exhibente eam capit, inde extergens Purificatorio Patenam ipsam, Celebranti eam porrigit, dum incipit *libera nos quæsumus*.

XII. An Diaconus, vel Subdiaconus, de istis unus respondere debeat ad finem Orationis Dominicæ, *sed libera nos a malo*, Doctores non conveniunt; nos cum Bauldryo sequimur sententiam negativam: Quia in iis, in quibus Chorus respondet, nec Diaconus, nec Subdiaconus debent respondere. Dum Diaconus Patenam porrigit Celebranti, Patenam prius, deinde manum ejus dexteram osculatur. Cum Celebrans dicit verba illa *ab omni perturbatione securi*, Diaconus discooperit Calicem deponendo de more Pallam super Corporalem, & Velum, genuflectit, surgit. Dum Celebrans frangit Hostiam super Calicem, Diaconus non tenet pedem Calicis, sed solum posita a Celebrante particula in Calicem, hunc iterum tegit Palla, & facta genuflexione surgit. Celebrans non dicit post *sed libera nos*, *Amen*, quin illud prius Chorus absolverit. Subdiaconus reddita Patena Velum deponit, & tradit Cæremoniario, aut Acolytho, qui facta genuflexione utroque genu, ambabus manibus illud deferens, reportat ad Credentiam, & super ipsam complicatum reponit. Deinde Subdiaconus ipse ad dexteram Diaconi genuflectit, & ad medium planum redit post Celebrantem.

C A P U T XXIII.

De infractione Hostiæ usque ad Communionem.

I. Oratio *libera nos quæsumus Domine* concluditur consueta clausula *Per eumdem Dominum nostrum, &c.* quam dum Celebrans profert, Hostiam frangit. Cæremonia hæc una ex præcipuis, quæ in Missæ Sacrificio fiunt, merito censetur, imo & esse Sacrificii hujus partem essentialem, cum aliquibus aliis contendit Melchior Canus lib. de loco Theol. In hac enim fractione, veluti a Celebrante exequitur id, quod Dominus ipse Jesus Christus fecit, quando Eucharistiam instituit, ubi accipiens panem in Sanctas, ac Venerabiles manus suas, benedixit, fregit, deditque Discipulis suis &c. & Apostolos id quoque facere jussit in sui memoriam. Hinc Cæremoniæ hujus tanquam in Ecclesia Sancta Dei, absque ulla temporis intermissione, semper, & ubique usitatæ mentionem faciunt Sancti Patres, aliique Ecclesiastici Scriptores. Fit igitur fractio Hostiæ ex ipsa Eucharistiæ institutione, quando Christus Corpus suum sub panis specie Discipulis suis distribuit manducandum; Panis enim frangi debuit, ut pluribus dispensaretur. Varietas in modo hostiam frangendi ex eo orta fuit, quod Evangelistæ de forma, & modo quo Christo panem fregit mentionem non faciunt. Hinc Mozarabes Hostiam dividunt in novem partes; Græci, & reliqui orientales in quatuor; & nos Latini in tres. Olim ex his tribus partibus, unam Celebrans mittebat in Calicem, alteram sumebat, & tertiam adstantibus subdividebat in plures partes, ut posset distribui: & aliquæ partes servabantur pro infirmis communicandis. Panis, seu Hostia, quæ tunc consecrabatur in Sacrificio Missæ, ut omnibus sufficeret, usque grandior, majorque esse debuerat, quam ea, qua modo utimur nos, apud quos ritus subfrangendi tertiam partem pro adstantibus omnino cessavit; & modo perseverat aliqualiter tantum in Missa solemni Summi Pontificis, in qua tertia pars Hostiæ subdividitur in duas particulas pro communione Diaconi & Subdiaconi.

II. Fractionis Hostiæ in tres partes rationem tradit D. Thomas Opusculo 9. cap. 7. & huic conformatur illud, quod ex sententiis Sancti Patris Augustini a D. Prospero collectis, citatur a Gratiano capite *Cum frangitur*, de consec. Dist. 2. *Cum frangitur Hostia, quid aliud quam Domini Corporis in Cruce immolatio designatur?* Et clarius hic art. 5. ad 7. idem D. Thomas, significari scilicet per fractionem Hostiæ divisionem Corporis ipsius Christi, quæ facta est in ejus passione, in latere, manibus, & pedibus. Alia quoque plura Mysteria sub Hostiæ fractione nobis exhibent ponderanda Sacrorum Rituum Scriptores, cuique hujus tripartitionis parti mysticum suum tribuentes significatum. Innocentius III. lib. 5. Mysteriorum missæ cap. 3. sic de tribus his partibus loquitur: *Una pars est ipsum Caput, videlicet Christus, qui Caput est pars Corporis*, idest Corporis mystici; est enim Ecclesiæ caput: *altera pars sunt illi, quorum corpora requiescunt in Tumulis, & animæ regnant cum Christo... tertia pars in Calicem ponitur significans eos, qui adhuc in passione consistunt, donec ab hac vita migrantes, ad Caput suum transeant, ubi nec moriantur amplius, nec patiantur.*

III. Non absimilem explanationem tradit Angelicus Doctor harum trium partium 3. part. quæst. 83. artic. 5. ad 8. scilicet partem Hostiæ in Missa in Calicem significare Christum, Beatam Virginem cum Anima & Corpore in Cœlo esse, aliosque Sanctos si cum Corporibus sunt in gloria; secundam partem a Sacerdote sumendam, eos significare, qui ambulant in terra, & Sacramentis utuntur; tertiam tandem partem, quæ olim in Altari pro infirmis communicandis reservabatur, significare eos, quo-

rum

rum Corpora ad diem usque universalis Judicii jacebunt in Tumulis, animæ vero eorum, vel in Cælo, aut in Purgatorio sunt. Juxta triplicem hanc significationem, seu expositionem Doctoris Angelici, tria efformantur Crucis signa super Calicem cum particula in Sanguinem immittenda, quæ quoque suis non carent mysticis ponderationibus. Nam juxta eumdem Angelicum Doctorem loco supracitato ad 3. *Repræsentatur resurrectio tertia die facta per tres Cruces, quæ fiunt ad illa verba, pax Domini sit semper vobiscum.* Et apud Innocentium III. eodem fere conceptu tria illa Crucis signa interpretantur lib. 6. Mysteriorum missæ cap. 2. scilicet, *Ter signum Crucis producitur cum Hostia super Calicem, quia virtus Trinitatis Animam crucifixi reduxit ad Carnem ... & conjunctio Panis, & vini designat unionem Carnis, & Animæ, quæ in resurrectione Christi denuo sunt unitæ.*

IV. Sicut enim per mysticam separationem Carnis a Sanguine, quæ in missa fit per realem distinctam consecrationem Panis, & Vini, expresse Christi passio, & mors nobis repræsentatur, sic per mysticam conjunctionem Carnis Christi cum Sanguine, quæ fit per realem immissionem particulæ Hostiæ consecratæ in Calicem, nobis utique gloriosa Christi exprimitur resurrectio. Hinc ponderationi accedit Micrologus de Ecclesiasticis observationibus cap. 17. *Unam* (scilicet fractæ Hostiæ partem) *in Calicem faciendo Crucem mittere debet cum dicit, Pax Domini sit semper vobiscum, ad designandum Corporis, & Animæ conjunctionem in resurrectione Christi.*

V. Celebrans apud nos, dum particulam mittit in Calicem, secreto sic orat dicendo: *Hæc commixtio & consecratio Corporis, & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat accipientibus nobis in vitam æternam. Amen.* In quodam Missali Romanensi optimæ notæ ante annos 600. descripto, cum mittitur particula in Calicem, imponitur sic a Celebrante esse orandum: *Hæc commixtio, & consecratio Corporis, & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat omnibus sumentibus salus mentis, & Corporis, & ad vitam capescendam æternam præparatio salutaris. Per eumdem &c.* In vetusto Codice Autesiensis Ecclesiæ, annorum quoque circiter 600. in hac commixtione sic adnotatur esse a Celebrante orandum: *Hæc Sacrosancta commixtio Corporis, & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat mihi, & omnibus sumentibus salus mentis, & Corporis, & ad vitam capescendam æternam præparatio salutaris, te præstante, Rex Regum, qui in Trinitate perfecta vivis, & regnas. Fiat nobis omnibus sumentibus, quæsumus Domine, commixtio, & consecratio Corporis, & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi remissio omnium peccatorum, tutamentum quoque mentis, & Corporis, ad vitam capescendam æternam præparatio salutaris.* In his orationibus, quæ variant inter se tantummodo quoad modum exprimendi, illa vox *hæc commixtio* debet referri ad species Panis, & Vini, sub quibus Corpus, & Christi Sanguis continetur, quæ per immissionem particulæ Hostiæ consecratæ in Calicem ad invicem veluti mixtæ manent, uti advertit Innocentius III. loco supracitato. Difficilioris concordantiæ, seu expositionis videtur alia illa vox *& consecratio*; cum enim denotet veluti hic consecrationem iterari Corporis, & Sanguinis Christi, quæ iteratio in eodem Sacrificio profecto locum non habere omnibus constat; Nonnulli existimarunt in his orationibus supervacaneam fuisse, & consequenter omittendam esse existimarunt, & reapse Carthusiani eam silent, & in quibusdam etiam Galliæ Ecclesiis omittitur. Omnis tamen a nobis eliminatur difficultas referendo talem vocem ad consecrationem antea factam, juxta Cardinalis Bellarmini Doctrinam; ita ut fiat sensus, non quod in hac commixtione consecratio, seu transubstantiatio aliqua fiat Panis, & Vini in Corpus, & Sanguinem Christi, sed solum quod hic consecratio jam peracta, quæ perseverat, recenseatur, ut efficacior fiat per hanc iteratam memoriam nobis, ac salutaris ad vitam consequendam æternam.

VI. Hanc post Orationem; *Hæc commixtio, & consecratio,* dicit Celebrans *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi*, & hoc ad normam acclamationis, qua Præcursor Joannes Baptista plausit Christo, cum primum illum vidit, exclamans: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Et quidem satis apte plausus iste in missæ Sacrificio recolitur; in quo hujus Agni recensetur mactatio, quæ facta fuit in remissionem peccatorum. In missis tamen, quæ celebrabantur olim in Lateranensi Ecclesia, ut scribit Paulus Diaconus in lib. de Ecc. Later. cap. 6. non canebatur *Agnus Dei*, eo quia typum Ecclesiæ gerebat Cælestis: *In ea*, inquit, *non cantatur ad missam Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem; quoniam ibi summa pax justorum Christus est.* Hunc appositum fuisse in missa a Sergio I. qui circa annum 687. Pontificatum gessit, recolitur non obscure ex libro Pontificali, in quo hæc leguntur: *Hic statuit*, idest Sergius Papa I. *ut tempore confractionis Dominici Corporis, Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis, a clero, & populo decantetur.* Olim enim, ut constat ex omnibus fere antiquis Missalibus, immissio Hostiæ in Calicem facienda præscribebatur postquam Celebrans dixerat *Agnus Dei*, immediate facienda. Sanctus Bonaventura quoque affirmat Sergium I. apposuisse in missæ Sacrificio *Agnus Dei*, his verbis: *Sequitur Agnus Dei, quod Sergius Papa instituit.* De exposit. missæ c. 4. Opinantur aliqui, quod cum primum *Agnus Dei* in missa fuit appositum, semel tantum diceretur; nos autem sic non fuisse existimamus, eo quia Sergius ordinaverit, ut illud cantaretur a Clero, & populo, profecto non simul, sed prius a Clero, & postea a populo. Quod autem per tres, olim etiam, repeteretur vices, expresse supponit Concilium Salisburgense anno 1281. celebratum capite 16. ubi sic: *In singulis Cathedralibus, Conventualibus, & Parochialibus Ecclesiis, Psalmus, Domine, quid multiplicati, cum Oratione Dominica, & versu Fiat pax in virtute tua &c. ... quotidie* per anni decursum, *Clerus post tertium Agnus Dei semel dicet.*

VII. His peractis Celebrans submissa voce tres illas dicit Orationes, quibus fide, spe, & Charitate subnixus, a Deo postulat, ut sibi in Sacramento proxime sumendo fructus salutiferus detur gustandus, hoc est fructus pacificans, & vivificans, benedicens, & præstans, non ad judicium, & condemnationem, sed ad tutamentum mentis, & corporis; eo modo, quo fructum hunc salutiferum gustandum dedit Dominus mortis suæ tempore, uti canit Ecclesia in festo Corporis Christi. In supra citato Missali Romanicensi adnotantur variæ Orationes, quæ hoc in loco recitabantur tunc temporis, hoc est ante sæculum VI. a Celebrante in missa; quarum prima est.

Antequam sumat.

Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, da mihi hoc Corpus, & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi ita sumere, ut per hoc merear remissionem omnium peccatorum meorum accipere, & de tuo Sancto spiritu repleri, quia tu es benedictus in sæcula. Amen.

Alia Oratio ante Communionem.

Domine Jesu Christe, non sum dignus te suscipere, sed tantum obsecro, propitius esto mihi peccatori, & præsta, ut hæc vera Corporis, & Sanguinis tui portio non sit mihi ad judicium, neque ad condemnationem, sed sit omnium peccatorum meorum optata remissio, animæque, & corporis mei pia gubernatio, & potens ad vitam æternam introductio, qui cum Patre, & Spiritu Sancto &c.

Alia Oratio &c.

Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, da mihi Corpus & Sanguinem Jesu Christi filii tui Domini nostri ita sumere, ut merear per illud remissionem peccatorum meorum percipere, & tuo Sancto Spiritu repleri, quia tu es Deus benedictus, & præter te non est alius, cujus Regnum sine fine permanet gloriosum per infinita sæcula sæculorum. Amen.

VIII. In pervetusto Missali Sublacensi de Anno 1075. sequentes Orationes describuntur.

Antequam communicet dicit.

Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, da mihi Corpus, & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi filii tui ita sumere, ut merear per hoc remissionem peccatorum accipere, & tuo Sancto Spiritu repleri, quia tu es solus Deus vivens, & regnans cum eodem filio tuo, in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Alia Oratio antequam Sacerdos pergat ad pacem.

Qui es omnium Deus, & Dominator, fac nos pacificando digne operari in sancta hora ista amator humanitatis, ut emundatos ab omni dolo, & simulatione, suscipias nos invicem in dilectione, in osculo sancto, in quo manent verba pacificationis, & caritatis, & unitatis conjunctio; per Dominum, &c.

Alia Oratio antequam communicet.

Præsta mihi peccatori, misericors Christe Domine Jesu, ut plenus gratia, & illuminatione sancta tua, cum fide, & sanctificatione accedam ad perceptionem Sanctissimi Corporis, & Sanguinis tui, ut proficiat mihi ad indulgentiam, & ad remissionem omnium peccatorum meorum, ad vitam capiendam æternam. Qui vivis &c.

RITUALIA.

IX. Patena Hostiæ submissa, hanc deponit in medio Corporalis, ita ut superior Patenæ pars elevata remaneat super pedem Calicis ad commodius eam capiendam, & ne fragmenta, si quæ forent super Corporale, externis Patenæ partibus adhæreant, & pariter, ut facilius etiam ipsamet Hostia capi possit, pars Hostiæ superior debet attolli versus oram superiorem Patenæ, extra ejusdem concavitatem. His ita peractis modo dicto, discooperit Calicem, sinistra manu tenente nodum ipsius, Pallam deponit de more super Corporale ex una parte, & ex alia super velum; inde extensis de more manibus hinc inde super Corporale, unico genu genuflectens Sacramentum adorat. Tum se erigens Hostiam accipit inter pollicem, & indicem dexteræ manus, a parte dextera laterali indice sinistræ manus leviter premente partem lateralem sinistram ipsius Hostiæ, & sic tenens Hostiam super Calicem, adhibendo pollices, & indices utriusque manus, a parte superiori incipit frangere, semper super Calicem. In hac fractione Celebrans reverenter, devote, lente, & caute debet se gerere; præ oculis habens, seu in mente, aliquod ex supra memoratis Mysteriis, quæ in hac Hostiæ consecratæ fractione, & commixtione repræsentantur, semper inquam super Calicem lente, ac caute, ne fragmenta extra Ca-

licem

licem exsiliant. Fractio autem fieri debet per medium recta linea, non unico ictu, sed pluribus, quantum sat est ad evitandum periculum fragmentorum, & ut partes quoque quantum fieri potest evadant æquales. In actu fractionis Sacerdos dicit submissa voce *per eundem*, & ad nomen *Jesum*, caput non debet inclinare, cum habeat præ manibus Jesum Christum ipsum, Mediam Hostiæ partem, quam inter pollicem, & indicem dexteræ manus tenet, ponit super Patenam in medio; ab altera vero Hostiæ parte, quam inter pollicem, & indicem sinistræ manus tenet, indice & pollice dexteræ manus, parvam particulam præscindit a parte inferiori, quæ magis est intra Calicem, ut si contingant fragmenta, intra Calicem ipsum resiliant. Dum hoc facit prosequitur dicens, *qui tecum vivit, & regnat*. Inde pollice, & indice dexteræ manus tenens particulam minimam super Calicem, aliam mediam Hostiæ partem, quam sinistra tenet, adjungit mediæ super Patenam positæ, interim dicens *in unitate Spiritus Sancti Deus*; adjungit autem, non ita, ut una media pars sit totaliter, sed tantillum tantum super aliam, faciendo adhuc figuram quasi rotundam.

X. His peractis particulam minimam, quam manu dextera retinuit, tenens super Calicem, sinistra manu hunc per nodum infra Cuppam retinente, intelligibili voce, seu ordinaria dicit, *Per omnia sæcula sæculorum*, respondente Ministro *Amen*, & dum dicit, *pax Domini sit semper vobiscum*, signat ter cum ipsa Particula a labio ad labium Calicis sine tactu ipsius Calicis, cum motu tamen totius manus dexteræ, & non solius indicis, & pollicis. Primum signum efformatur post vocem *pax*, & ante vocem *Domini*. Secundum post vocem *sit*, & ante vocem *semper*. Tertium inter vocem *vobiscum*, seu dum profert *vobiscum*; Ministro respondente, *& cum spiritu tuo*, clara, & ordinaria voce; Sacerdos tenet adhuc in manu particulam minimam, & hanc in Calicem immittit. Dum dicit: *Hæc commixtio*, voce submissa, & secreta, & non prius prosequens eadem secreta voce, *& consecratio &c.* post hanc Orationem aliquantulum pollices, & indices tergit super Calicem, & unit, ac de more Palla Calicem cooperit; inde genuflectens, ac se erigens, junctis de more manibus ante pectus, caput inclinat inclinatione mediocri versus Sacramentum, & dicit intelligibili voce, *Agnus Dei qui tollis peccata mundi*, percutiendo sibi pectus manu dextera ad primum *miserere nobis*, leviter tamen; & sic ad secundum, & ad *dona nobis pacem*. Dum Sacerdos manu dextera percutit sibi pectus, sinistra manus debet perseverare super Corporale, non vero pectori admoveri.

XI. Post hæc manibus junctis super Altare positis, ita ut digiti auriculares, ut dicebamus, frontem tangant anteriorem Tobaleæ, seu Palii, super Corporale extensis digitis tantum annularibus, & mediis, oculis ad Sacramentum intentis, nisi legendum sit de Missali, quod summopere placet, etiam de iis loquendo, quæ memoriter retinentur, ne memoriæ debilitate, aut linguæ difficultate, seu velocitate, aliqua prætermittantur, aut obtruncentur; Inclinatus inclinatione mediocri, capitis scilicet, & humerorum, voce submissa dicit: *Domine Jesu Christe* &c. nulla superaddita Capitis inclinatione, & cum profert nomen *Jesu*; quia completa Oratione, statim prosequitur alias Orationes sequentes, eadem perseverante inclinatione &c.

RITUALIA.

Pro Missa Solemni,

XII. Dum Celebrans Hostiam Patenæ supponit, Diaconus discooperit Calicem, deponendo de more Pallam, ut diximus, genuflectit unico genu cum Celebrante; idem surgens cum ipso, non tenet Pedem Calicis, dum Celebrans frangit Hostiam super ipsum. Post Hostiæ partitionem, & immissionem particulæ, Calicem cooperit, & cum Celebrante genuflectit. Celebranti canenti *Dominus Vobiscum*, aut *pax Domini &c.* Diaconus non tenetur respondere, *& cum spiritu tuo*, aut *Amen*, ut alias dicebamus; ad quæ enim Chorus respondet, nullus alius respondere debet. Cum Celebrans canit *Pax Domini* &c. Subdiaconus genuflectit super infimum gradum in medio, & accedens ad sinistram Celebrantis, genuflectit iterum, de more, unico genu, eodem tempore, quo post coopertum Calicem Celebrans, & Diaconus genuflectunt. Inde Cæremoniarius recedit ad solitum laterale cornu Evangelii, genuflectens antequam discedat, utroque genu. Cum Celebrans dicit *Agnus Dei*, Diaconus, & Subdiaconus simul cum ipso, voce submissa, manibus junctis, & inclinati, dicunt & ipsi *Agnus Dei*. Ter hic dicitur *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi*, juxta Innoc. III. quia triplex est peccatum, cogitationis scilicet, locutionis, & operis, quod nos ut tollat *Agnus Dei* indigemus; unde lib. 6. de Missa sic habet: *Ter dicitur Agnus Dei pro peccatis cogitationis in corde, locutionis in ore, actionis in opere*. Dicitur autem *Agnus Dei* potius quam *Jesus Christus*, quia, ut notat Alexander de Ales, omnes figuræ, quibus in Lege Veteri repræsentabatur passio, & mors Christi, sub specie *Agni* inveniuntur expressæ, ut videre est Isaiæ cap. 57. *Quasi Agnus coram tondente se obmutescet*; & Jeremiæ cap. 1. *Quasi Agnus mansuetus, qui portatur ad victimam*; E in immolatione *Agni* typici, & in Prophetia de immolatione *Agni*, ad hoc, ut immolaretur pro salute humani generis; ut Isa. 16. *Emitte Agnum Domine dominatorem terræ*.

XIII. Dum dicunt *Agnus Dei* cum Celebrante Diaconus, & Subdiaconus, ad instar Celebrantis, & cum ipso ter dextera manu percutiunt sibi pectus, sinistra manu infra pectus admota, excepto Celebrante, qui de more sinistram tenet super Corporale; pariter & Cæremoniarius, & reliqui Clerici inclinati profunde sibi quoque pectus percutiunt. Absoluto *Agnus Dei*, Subdiaconus, facta Sacramento genuflexione, redit ad suum locum, in medio plani post Celebrantem, ubi stat, ut prius, donec a Diacono pacem receperit; accedente iterum ad librum Cæremoniario, ut Celebranti inserviat, ad quem perveniens genuflectit utroque genu; Diaconus vero a dextris Celebrantis genuflexus utroque genu, non se erigit, nisi cum Celebrans absoluta Oratione *Domine Jesu Christe, qui dixisti &c.* osculatur Altare, ubi se erigens osculatur & ipse, sed extra Corporale, manibus ante pectus junctis, non vero super Altare positis. Hinc a Celebrante dicente *pax tecum* complexus, accipit pacem.

XIV. In Missis privatis modo Celebrans non dat pacem Ministro; olim tamen, etiam in Missis privatis, Celebrantem pacem dedisse Ministro, & Ministrum adstantibus, constat ex pluribus vetustis Missalibus, & in aliquibus locis viget adhuc laudabilis hæc consuetudo, utpote Missæ satis conveniens, juxta Rubricas, præter quam in Missis mortuorum, quia, ut ait D. Thomas, in iis Missis Sacrificium offertur non pro pace præsenti, sed pro requie mortuorum, & pax ideo intermittitur. Omittitur etiam in triduo ante Pascha, quia pax, ut notat Alcuinus, lætitiæ indicium est; ideoque cum triduo ante Pascha anniversariam mœstitiam induat Ecclesia, pacis omittit osculum. In Missis solemnibus vero pervetusta est Ecclesiastica hæc Cæremonia, qua per solemnia pacis consummatio veluti fit Sacrificii. Hinc Sanctus Pater Augustinus sermone de vigilia Paschæ, hæc scribit, *Post ipsam*, intellige Orationem Dominicam, dicitur *pax vobiscum, & osculantur se Christiani*; per oscula enim Ecclesiæ primordiis dabatur pax, & viri viros, fœminæ fœminas pro invicem osculabantur; refrigescente postea charitate, & crescente malitia, proscripto osculo, mos Sacræ Tabellæ osculandæ, pro danda, & suscipienda pace, inductus fuit, ut advertit Biel. *super Can. Missæ* lect. 61.

XV. Celebrans, antequam Diacono pacem exhibeat, non debet genuflectere, sicut nec post datam, quando iterum se inclinat, ad prosequendas alias Orationes; Rubricæ enim, & Auctores non jubent genuflectere Venerabili, nisi in accessu, & recessu a medio Altaris, in quo Venerabile prostat expositum. Cum Celebrans dat Diacono pacem, super hujus humeros brachia, aut manus saltem ponit; & Diaconus vicissim brachia sua sub brachiis Celebrantis supponit, caput inclinando antea, & post, ac sinistris genis sibi invicem appropinquantibus, & leviter se tangentibus, respondet, *& cum spiritu tuo*, eadem submissa voce, qua Celebrans dicit *pax tecum*. His peractis Celebrans conversus ad librum prosequitur Orationes.

XVI. Diaconus accepta pace a Celebrante Sacramentum adorat genuflectendo de more in suppedaneo, ubi pacem suscepit; idem per suum latus sinistrum se convertit, ne Venerabili terga vertat, & descendens ad Subdiaconum, stantem in medio plani retro Celebrantem, dat ei pacem, ulla absque capitis inclinatione. Qui enim pacem defert, nemini inclinare se debet, bene vero qui pacem ipsam accipit. Amplexus autem pro invicem fieri debent, ut supra, sinistris genis ad invicem leviter tangentibus &c. Subdiacono de more respondente *& cum spiritu tuo*, cum Diaconus ei dicit *pax tecum*. Post datam, acceptamque pacem, mutuo se inclinant pro Personarum qualitate; plus utique se debet inclinare, qui accepit, quam qui pacem dedit. Dans pacem semper superimponit brachia sua brachiis suscipientis, quando pacem recipiens inferioris gradus sit dante; si autem contingat, quod pacem suscipiens dignior sit dante, uti contingit, quando ad Chorum pergit Subdiaconus, & pacem dat Priori &c. in hoc casu, & similibus, dans pacem brachia sua supponit brachiis recipientis, & postea etiam caput inclinat majori inclinatione &c. Adnota quoque, quod stanti tantum, nunquam sedenti, aut genuflectenti datur pax; unde sedens, aut genuflectens admonendus est, ut se erigat, & si surgere noluerit, pax ei dari non debet.

XVII. Subdiaconus accepta a Diacono modo supradicto pace, genuflectit ibidem cum Cæremoniario, vel alio comite a sinistris, & vadit in Chorum, ubi omnes salutat ab utraque parte, & cum suo comite a sinistris accedit ad digniorem, in digniore Chori parte stantem, eique pacem defert modo dicto. Primus, & dignior in utraque Chori parte correspondet, ut dicebamus supra, & quilibet suo viciniori, vicinior alteri tradit pacem, usque ad ultimum utriusque lateris. Ubi Choristæ sunt distincti in varias Classes, seu in dignitates, Canonicos, Presbyteros, Diaconos &c. Subdiaconus debet deferre pacem primo cujuscumque ordinis, qui subsequenti communicat, & subsequens alteri illius ordinis; & si notabilis sit distantia inter Clericos ejusdem ordinis, Subdiaconus ipse pacem participat etiam primo, qui est remotus ab aliis sui ordinis, ne cogantur discurrere ad dandam, & suscipiendam pacem. Post datam in Choro pacem, facta simul cum Cæremoniario inclinatione ad Chorum salutandum, redit ad Altare, ubi super infimum gradum in medio genuflectens cum socio, & stans dat ei de more pacem.

XVIII. Cæremoniarius suscepta pace a Subdiacono genuflectit in medio, & accedens ad Clericum de libro, ei statim pacem dat, & hic, facta quoque prius genuflexione, accedit ad Thuriferarium, eique pacem exhibet, & sic deinceps, omnes pari disciplina exhibent. Clericis impeditis non exhibetur pax, ut sunt Ceroferarii &c. Acolythi sibi invicem quoque dant pacem. Cæremoniarius post datam pacem Acolytho primo, seu Clerico de libro, aut secundo Cæremoniario, si adsit, ad cornu se recipit Epistolæ.

XIX. Si pax danda sit Laicis, aut Prælato, tantummodo

per

per instrumentum, aut Tabellam exhiberi debet, nunquam per Patenam. Pius enim V. hanc dandi pacem formulam prohibuit, esto olim mos esset eam sic exhiberi. Cæremoniarius itaque postquam Diacono Celebrans per amplexum pacem dederit, instrumentum offert exosculandum non Celebranti, quidquid alii sentiant, sed Diacono juxta id, quod in Missa Pontificali servatur, in qua non Episcopo, sed Assistenti exhibetur. In Missa autem solemni locum tenet Assistentis. Inde Cæremoniarius manu dextra a sinistra sustentata instrumentum defert secum, tradendum suo tempore Subdiacono, scilicet, quando Subdiaconus illud daturus est osculandum. Subdiaconus itaque statim accipit, & eo accepto reverentiæ causa illud quasi osculaturus decenter ad os elevat, & tunc primum osculandum præbet, & tantum post osculum se inclinat; & si plures sint Viri insignes, seu Prælati, quibus exhibendum sit ad osculum, Velo coloris Paramentorum, quod manubrio ipsius Instrumenti appenditur, illud extergi post primum, antequam aliis exhibeatur, & sic &c.

XX. Intra, nunquam vero extra Altare, alicui, ne quidem Domino loci datur, seu dari concessum est, & a Subdiacono iis tantum, quos Diaconus incensarit, cæteris autem a Cæremoniario, eo modo, quem præscripsimus pro Subdiacono, & non aliter &c. Post datam Cæremoniario pacem, Subdiaconus genuflectit adhuc super medium infimi gradus, & accedit ad dextram Celebrantis, & cum ibi pervenit iterum de more genuflectit, si Celebrans genuflectat, aliter non; discooperit Calicem, si opus est, deponendo, ut diximus, Pallam super Corporalem &c. & semper genuflectit cum ipso Celebrante. Dum Celebrans sumit Sacratissimum Sanguinem, vel etiam, si opus est, citius, primus Acolythus defert opportune de Credentia Ampullas aquæ & vini cum Pelvicula, sine genuflexione, sed cum debita inclinatione ad latus Epistolæ.

CAPUT XXIII.

De Communione.

I. COmmunionis nomine olim alia plurima significari, quam Eucharistiæ participationem, cum Albaspinæo, Morino, Sirmundo, & Cardinali Bona jam tradidimus Tom. 3. c. 4. *de Coram. Fidel.* ubi retulimus duo illa potissima Communionis genera, quæ referuntur a Cardin. Bona lib. 2. rer. Liturg. c. 9. n. 3. scilicet commercii, & Eucharistiæ, & de hac secunda, quæ primæ, scilicet commercii, perfectio, finis, & centrum est, modo sermonem instituimus. In hac enim Sacratissimi Corporis participatione, ac Sanguinis Domini nostri, præcipue, ac miro modo fideles associantur in uno Capite Christo, & Christus quoque eis associatur, & in eis manet, juxta illud: *qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem in me manet, & ego in illo*. Pars itaque illa Missæ, in qua Celebrans sumit Hostiam consecratam, & Vinum bibit, merito Communio nuncupatur; efficitur enim hic mirabilis associatio supradicta, qua Christus in ipsis fidelibus, & ipsi in Christo inveniuntur, ut ait Cyrillus: *Sicut enim si quis liquefacta ceræ aliam infuderit, alteram cum altera commisceat necesse est. Sic qui Carnem, & Sanguinem Domini recipit, cum ipso ita conjungitur, ut Christus in ipso, & ipse in Christo inveniatur*. Communio igitur in hac Missæ parte fieri debet sub utraque specie, scilicet Panis, & Vini; aliter Celebrans hujus Sacrificii perfectioni notabiliter derogaret; quia, ut ait supracitatus S. Cyrillus, de hoc præceptum extat: *Cum Christus sub utraque specie, Panis, scilicet, ac Vini Sacramentum hoc instituerit, & ibidem sub utraque specie Apostolis, eorumque successoribus reliquerit conficiendum, stat præceptum, ex ipsa institutionis lege depromptum, quod sub utraque specie consecrare, & sumere tenentur, quotiescumque ad Altare hoc conficiunt Sacramentum. Sacramenti enim hujus perfectio, & Sacrificii essentia in materiæ Panis, ac Vini consecratione, & utriusque a Celebrante sumptione, atque consistit.*

II. Derogaret itaque notabiliter, & sibi, & huic perfectioni Sacramenti Sacerdos, qui sub utraque specie aut non conficeret, celebrando Missam, aut conficiendo non sumeret; quod tamen non militare pro Laicis, imo nec pro Sacerdotibus ipsis extra Celebrationem, docet, & probat D. Thomas 3. p. q. 80. art. 12. ad 2. *Nihil derogari perfectioni hujus Sacramenti, si populus sumat Corpus sine Sanguine, dummodo Sacerdos consecrans sumat utrumque. Nullo divino præcepto*, definit Sancta Tridentina Synodus sess. 21. cap. 1. *Laicos, & Clericos non conficientes* obligari ad Eucharistiæ *Sacramentum sub utraque specie sumendum*. Deinde addit, *neque ullo pacto, salva fide, dubitari posse, quin illis alterius speciei communio ad salutem sufficiat*. Equidem sub una specie Panis totus, ac integer Jesus Christus continetur, & intra nos venit, cum manducatur, non minus ac si sub utraque specie sumeretur. Hinc Tridentina Synodus supracitata sess. cap. 3. sic infert: *Ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt*. Ex hoc articulo tamen ne colligas, moneo, quod aliqua gratia saltem non necessaria ad salutem fraudentur fideles, qui sub una tantum specie Eucharistiam sumunt. Concilium enim non dirimit ibi controversiam illam, an majus aliquid gratiæ ad salutem non necessariæ consequatur, qui sub utraque specie Eucharistiam sumit, quam qui sub una tantum. Hanc disputationem adhuc versari inter Theologos fatetur Cardinalis Bellarminus Tom. 3. Controvers. lib. 4. cap. 23. ubi etiam subdit propius accedere ad veritatem Catholicam, & ad Tridentinæ Synodi sensum tenentes æqualem fructum utrumque consequi, dummodo uterque ad eum percipiendum æque bene disponat; totus namque, & integer, ut supra diximus, Christus fons omnium donorum, atque gratiarum origo, & fons perennis, intrat in eum, qui sub una, ac qui sub utraque specie Eucharistiam sumit; cur igitur, si æque sint bene dispositi, æqualem gratiæ mensuram, cælestiumque donorum, non percipient? Imo cur majorem adhuc gratiæ fructum non percipiet, qui sub una tantum, quam qui sub utraque communicat, si hunc ille excedat fide, spe, charitate, ac devotionis fervore, vitæque sanctitate?

III. Communio dicitur etiam ex eo, quod omnes participent de aliquo, & sub hac ratione in Ecclesiæ primordiis mos erat, ut omnes Missæ adstantes post Celebrantem communicarent. Immo, quod etiam majus est, juxta Joannem Boletum lib. de Divinis Offic. cap. 120. omnibus præceptum erat Christi fidelibus quotidie communicari his verbis: *In primitiva Ecclesia præceptum erat, ut singulis diebus Corpus Domini sumeretur.* Colligitur quoque ex can. 10. Apostolorum, & ex Concilio Antiocheno habito sub Julio Papa cap. 2. in quo sic legitur fuisse statutum: *Omnes qui ingrediuntur Ecclesiam Dei, & Scripturas Sacras audiunt, nec communicant in Oratione cum populo, sed pro quadam intemperantia se a perceptione sanctæ communionis avertunt, hi de Ecclesia removeantur. Hinc soli communicantes*, ut ait Micrologus cap. 51. ad illa verba Canonis Missæ: *ut nobis Corpus, & Sanguis fiat dilectissimi D. N. J. Christi filii tui, Divinis Mysteriis interesse consueverant; Unde & ante Oblationem juxta Canones jubebantur exire Catechumeni, & pœnitentes, videlicet, qui nondum se paraverant ad communicandum. Hoc quoque ipsa Sacramentorum innuit confectio, in qua Sacerdos non pro sola sua oblatione, & communicatione, sed & aliorum rogat, & maxime in oratione post communionem pro solis communicantibus orare videtur, nec communio dici potest, nisi plures de eodem Sacrificio participent.*

IV. Hic advertas necesse est, Cathecumenos, & Pœnitentes, non paratos ad communicandum, ante oblationem ab Ecclesia expulsos, participare potuisse etiam absentes de Sacrificii Missæ fructu; cum enim in Missæ Sacrificio perpetuo oretur efficacissime pro præsentibus, & absentibus, non solum ad adstantes ejus fructus, sed etiam ad absentes satis potest pervenire. Unde, etsi solus Celebrans Eucharistiam sumat, & adstantium nemo Sacramentaliter communicet, semper adhuc de eodem Sacrificio participantium verificatur pluralitas sufficienter, ad salvandam Communionis rationem, in supra memorato sensu, & ad evincendam cum nostris Controversiarum Scriptoribus validitatem, ac legitimitatem Sacrificii Missæ privatæ, juxta decretum textum Tridentinæ Synodi sess. 22. de Sacrificio Missæ: *Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos Sanctissimi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret; nec tamen, si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus Sacerdos Sacramentaliter communicat, ut privatas, & illicitas damnat, sed probat, atque adeo commendat; siquidem illæ quoque Missæ vere communes censeri debent, partim quod in eis populus spiritualiter communicet, partim vero, quod a publico Ecclesiæ Ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad Corpus Christi pertinent, celebrentur.*

V. Hinc cum novissime apud Lombardiam exorta fuisset controversia, num Celebrans absolute teneatur iis omnibus, qui Missæ intersunt, Eucharistiam distribuere, si communicari postulent juxta Sacrosancti Concilii Tridentini monitum modo traditum, *optaret quidem Sacrosancta Synodus &c.* & quidam insisteret, Communionem hanc non posse denegari a Celebrante absque violatione præcepti, acerrime enim, atque constanter conabatur ostendere, Communionem adstantium in Missis esse de præcepto; ideo Benedictus XIV. Tom. 1. suar. constit. 64. quæ incipit *Certiores* declaravit; Commendabilem quidem esse fidelium Eucharistiæ perceptionem in actu Celebrationis Sacrificii Missæ, non tamen esse de præcepto, & consequenter *Sacerdotes Missam celebrantes non teneri Sacram Eucharistiam omnibus petentibus infra ipsam actionem ministrare*. Quod profecto intelligi debet accedente rationabili causa, qua Celebrans, vel pro tempore, vel pro personarum qualitate, minime opportunum censeat Eucharistiam intra Missam iis, qui adstant, distribuere. Nam seclusa rationabili causa idem Pontifex prudentissime monet graviter corripiendos esse Sacerdotes illos, qui Sacrificio Missæ fidelibus adstantibus, & petentibus realem Sacramenti participationem denegarent; hoc enim esset agere contra adhortationem, & monitum supra traditum Sacrosancti Tridentini Concilii, & contra veterum Patrum morem.

VI. Temporibus equidem Sæculi IX. aliqui, qui pluribus eadem die intererant Missis, in omnibus communicare volebant, alii in una tantum Sacra Mysteria sumebant; quorum neutros culpandos esse existimat Valfridus Strabo, qui hoc refert cap. 22. de rebus Ecclesiasticis, juxta illud Augustini de his, qui quotidie communicant, & iis, qui rarius: *Istos*, ait Sanctus Pater, *reverentia Sanctarum revocabit rerum, illos vero amor salubris invitat Sacramentorum*. Postquam autem Sacerdotibus ipsis, qui olim plures Missas eadem die celebrare consueverant, semel tantum quotidie Sacrum facere fuit permissum, excepto die Nativitatis Dominicæ, in qua tres Missas cuilibet Sacerdoti est celebrare concessum, ut colligitur ex cap. sufficit, dist. 1. de Consecratione: *Sufficit Sacerdoti unam Missam celebrare in die una, quia Christus semel passus, & totum Mundum redemit, & valde felix est, qui unam digne celebrare potest*.

DE-

DECRETUM PRIMUM.

Excepto die Nativitatis Dominicæ, nisi necessitatis causa suadeat, sufficit Sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare, & si bis celebret in eadem die, fit irregularis. S. C. Concilii in *Placentina* 11. *Jan.* 1710. Postquam itaque Sacerdotibus ipsis semel tantum quotidie sacrum facere permissum fuit, laicis pariter, imo & Sacerdotibus ipsis adhuc extra celebrationem, eodem in die sacram communionem iterare si non explicite, implicite tamen interdictum esse putamus. Solum suspicari posset de die Nativitatis Domini, in qua ut supra, Sacerdotum arbitrio relinquitur plures, usque ad tres Missas celebrare, primam media nocte, in memoriam Nativitatis Christi; secundam in aurora, ad recolendam adorationem a Pastoribus tali hora divino Parvulo exhibitam; tertiam hora diei tertia, ad recensendam manifestationem nati Salvatoris Mundi omnibus factam, juxta intentionem Telesphori Papæ, qui trium missarum celebrationem in die Dominicæ Nativitatis instituit cap. *Nocte* 48. de Consecratione, Distinct. 1. suspicari inquam posset, num hac concessione, si non explicite, saltem implicite indulgere voluerit, etiam audientibus has tres Missas, ut in earum qualibet si fuerint dispositi Eucharistiam percipere valeant, juxta monitum Sacrosanctæ Synodi Tridentinæ &c. Equidem suspicari posset, si hanc dubietatem non diluisset S. R. C. decernens licitum non esse in missis, quæ dicuntur media nocte Nativitatis Domini, fidelibus communionem exhibere Eucharisticam sub sequentibus Decretis.

DECRETUM II.

VII. *Cum superioribus diebus consulta fuisset hæc Sac. Rit. Congregatio, an esset permittendum celebrari in media nocte Nativitatis Domini post Missam decantatam successive alias duas Missas, & in eis Sacram Communionem exhibere fidelibus illam deposcentibus; Respondit non esse permittendum, sed omnibus utrumque prohibendum. Nihilominus nonnulli regulares asserentes hoc licere supplicarunt audiri, & S. R. C. ipsis auditis cum procuratoribus, & advocatis, ad relationem Em. Paleotti, stetit in Decretis, & respondit iterum prohibendum tam Sacerdotibus celebrare volentibus, quam confluentibus in media nocte ad Ecclesiam, & communionem deposcentibus.* Sac. Rit. Congr. 7. Decembris 1641. & 15. Septemb. 1668. in Januen. Consimile Decretum jam exposuimus fuse Tom. 4. cap. 4. de Communione fidelium; & est Decretum V. cap. in ordine LVIII. pag. 136. Si enim privilegium Sacerdotibus elargitum tres Celebrandi Missas in die Dominicæ Nativitatis posset extendi etiam ad laicos, ut in ipsis tribus missis possint Communionem Eucharisticam, usque ad tres vices iterare; profecto Sacra Rituum Congregatio in his missis, seu in missis, quæ media nocte decantantur, Sacrosanctam fidelium Eucharisticam Communionem, potius quam vetare, contulisset.

VIII. Alia hic insurgit quæstio, num scilicet saltem Sacerdotibus, quibus in die Nativitatis Dominicæ indultum est tres Missas celebrare, si a celebratione abstineant, aut celebrare non valeant, licitum sit, tres Missas auscultando, in omnibus Eucharistiam suscipere; cum enim Missæ adstantes se habeant, ut dicebamus, veluti concelebrantes, & in favorabilibus sit ampliandum, jam videtur, quod indultum memoratum ampliari possit, seu extendi etiam ad Sacerdotes concelebrantes, seu Missas tres auscultantes. Verum enim vero nos dicimus, quod tale indultum comprehendit tantum Sacerdotes ad Altare Missæ Sacrificium immediate seu per se conficientes; alias ejusdem indulti vigore, eademque ratione, dici posset, quod etiam sub utraque specie in tribus iisdem missis eadem die licitum esset Sacerdotibus non celebrantibus Eucharistiam suscipere; quo nihil absurdius.

IX. Ad quotidianam Communionem quod attinet, de qua in Ecclesiæ primordiis erat præceptum, ut dicebamus, tractu temporis in Dominicalem tantum fuit commutata, ut refert Beletus supra citatus eodem loco: *postea vero crescente numero fidelium, ut singulis Dominicis* &c. Hæc autem Dominicalis communio, adhuc parvo tempore apud laicos perduravit, diu vero apud Monachos, ut ex Sancti Benedicti eruitur regula; inter Græcos quoque diu perseveravit: sed quia laicis etiam, qui tribus Dominicis diebus a Communione se abstinebant, excommunicatio erat apposita, hoc testante Theodoreto Cantuariensi Episcopo in Capitulis select. cap. Spicilegii Tom. 9. his verbis: *Græci omni die Dominica communicant, sive clerici, sive laici, & qui tribus Dominicis non communicaverit, excommunicatur*, & de latinis sermonem faciens subdit: *Romani communicant, qui volunt, nec nolentes excommunicantur*; Hinc circa septimum sæculum laudabilis omnibus diebus Dominicis communicandi consuetudo desinere cœpit, neque ad hanc iterum excitandam, promovendamque, profuit Francorum regum sollicitudo, insistentium, ut, si fieri posset, fideles omni die Dominica communicarent, ut videre est libro 6. eorum Capitularium sub num. 170. Ad dies itaque Quadragesimales Dominicas restricta, ac a paucis quoque recepta, Agathensi Concilio bene visum fuit decernere, ut ter in Anno saltem communio ab omnibus fidelibus haberetur, diebus scilicet Nativitatis Domini, Paschatis, & Pentecostes; ut legitur in laudato Concilio habito sub anno 506. cap. 18. *Sæculares, qui Natale Domini, Pascha, & Pentecosten non communicaverint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur.* Tandem magis adhuc, ac magis in dies frigescente Charitate, ac devotione erga salutiferam sacræ Eucharistiæ perceptionem, Innocentius III. in Lateranensi Concilio c. 21. ad annuam Paschalem communionem præceptum restrinxit *propter iniquitatis abundantiam*; ut ibi Divus Thomas loquitur.

X. Celebrans itaque absolutis omni, qua poterit, interna & externa devotione orationibus, quæ a Rubrica Missalis, ante sumptionem recitari mandantur, scilicet Domine Jesu &c. ad percipiendum Sacramentum procedit, ut deinde aliis distribuat, quia, ut ait Divus Thomas hic, *deinde sequitur perceptio Sacramenti, primo percipiente Sacerdote, & postmodum aliis dante*, quia ut Dionysius dicit 3. cap. Eccl. Hier. *ille, qui aliis divina tradit, primo debet ipse particeps esse*. Igitur immediate post sumptionem, non vero absoluta Missa, seu post Missam, debet Sacerdos Celebrans Eucharistiam adstantibus distribuere, juxta præscriptum Rubricæ, quæ non in fine Missæ, sed proxime post Sacerdotis communionem, communionem adstantium fieri mandat, dummodo non aliqua interveniat causa, ob quam ad Missæ finem eadem communio sit differenda, ut notat Rituale Romanum: *communio autem populi intra Missam, statim post communionem Sacerdotis Celebrantis fieri debet, nisi quandoque ex rationabili causa post Missam sit facienda, cum orationes, quæ post communionem in Missa dicuntur, non solum ad Sacerdotem, sed etiam ad alios communicandos spectent.*

XI. Inter justas causas differendi communionem populi post Missam, illa quoque enumeratur, ne tædio afficiantur ceteri adstantes, si multi essent fideles communicandi; errant igitur, qui nullo discrimine communionem adstantium post missæ finem reservant; *Privant enim*, ut advertit Cardinalis Branchatius in Opuscul. de Sacr. Viatico, fideles *iis precibus, quas post communionem Ecclesia recitari jubet, & quæ non solum ad Celebrantem, sed etiam ad ceteros communicantes aperte spectare noscuntur pag.* 157.

XII. Anno 1701. Sacra Rituum Congregatio, ut refert Gavantus, decrevit, ne cuiquam adstantium in missis de Requiem Eucharistia præberetur, eo quia in ejusmodi missis communicatis benedictio impertiri non possit; sed super hoc anno 1711. die 21. Martii, habito in eadem S. C. strictiori examine, Em. S. R. Eccl. Cardinali Ferrario graves difficultates, quæ in illius Decreti observantia occurrebant, voto suo exponente, Eminentissimis Patribus expedire visum est, ut supra dictum Decretum non amplius vulgaretur, aut exemplar ejus aliquod ederetur. Hoc totum refertur ab Em. Cardinali Fliico Episcopo Januensi, qui tunc Secretarii ejusdem S. R. C. munus obierat, in directorio suæ Diœcesis typis mandato anno 1715. his verbis.

DECRETUM III.

Proposito dubio in S. R. C. an liceat in missis Defunctorum fidelibus sacram communionem ministrare: Eadem S. R. C. de anno 1701. respondit negative. Verum, quia prædicti Decreti copiam extra dari prohibuit dicta Sacra Congregatio ex novis motivis, & cum constet ex personis de fide dignis, & ex attestatione plurimorum sacrarum cæremoniarum Magistrorum Romæ degentium, ibi prædictum Decretum non observari, ideo ne fideles tam salutari, & fructifero Sacramento priventur, & attentis prælata suspensione, & prædictis attestationibus, declaratur, quod in missis Defunctorum sacra communio licite ministratur. Hæc Fliicus.

XIII. Inter graves difficultates, quas supradictus Cardinalis Ferrarius suo voto exposuit, præcipuam fuisse existimatur, quia illius observantia Decreti desiderium frustraretur sacrosancti Tridentini Concilii, vehementer optantis, ut adstantes in singulis Missis Sacramentaliter communicent, nulla facta exceptione inter Missas vivorum, & Defunctorum, ut videre est sessione 22. c. 6. *Optaret quidem Sacrosancta Synodus &c.* ut supra tradidimus. Accedit etiam, quod in omnibus sive vivorum, sive Defunctorum missis, semper in Canone dicitur, *ut quotquot ex hac Altaris participatione Sacrosanctum filii tui Corpus, & Sanguinem sumpserimus, &c.* Nec refert, quod in fine Missæ de Requiem vetita sit benedictio; hæc enim uberrime compensatur per omnium imaginabilium cælestium, atque terrestrium Benedictionum auctorem, quem communicati in se excepisse gloriantur.

XIV. Olim certum est, quod extra Missam Eucharistia non ministrabatur; ministrari autem cœpit tantum circa tempora Sancti Cyrilli; cum enim multitudo magna Hierosolymis confluerет advenarum Sacram Eucharistiam deposcentium, nec fieri posset propter pusillum Sacerdotum gregem, ut quoties esset distribuenda, Missa celebraretur; ut eorum Devotioni fieri posset satis, etiam extra celebrationem consulto Sacramentum elargiri in Ecclesia Orientali cœptum fuit, quæ laudabilis consuetudo in Occidentalem quoque Ecclesiam invecta, occasionem præbet inquirendi, num Sacerdos Eucharistiam ministrans extra Missæ celebrationem gravi obnoxius peccato lethaliter peccet. Cui quæsito esto nonnulli negative respondeant; eo quia nec Sacrificium conficiat, nec Sacramentum, sed mere se habeat applicative, seu distributive, ut videre est apud Dianam Edit. Coord. Tom. 1. Tract. 2. resol. 5. Adhuc tamen sententia Doctorum affirmantium, quæ tutior, & communior est, retineri, & sequi debet. Licet enim Sacerdos Eucharistiam distribuens nullum conficiat Sacrificium, aut Sacramentum, agit tamen, ut minister Christi, & dispensator Mysteriorum Dei ex officio, ubi sub gravi tenetur eo modo, quo æquum est, sua potestate uti, abutitur autem sua potestate Sacerdos, quotiescumque Deo invisus, omni reverentia tanto debita Sacramento postposita,

sacro-

sacrosanctum Christi Corpus pollutis manibus audet contrectare. Hinc Divus Thomas solum a novo peccato illum excusat, qui urgente necessitate ductus in peccato mortali existens Baptismi Sacramentum ministrat, quia in tali casu, non se exhibet tamquam Minister Christi, & ex officio, sed tamquam subveniens necessitatem patienti. En ejus verba 3. part. quaest. 64. art. 6. ad 3. *Sic enim patet, quod non exhiberet se Ministrum Ecclesiae, sed subveniret necessitatem patienti; secus autem est in aliis Sacramentis, quae non sunt tantae necessitatis, sicut Baptismus.* Culpam igitur gravem agnoscit Angelicus Doctor in eo, qui sciens se gravi peccato obnoxium sacram ministrare audet Eucharistiam, etiam illam per modum Viatici exhibendo. Inter Sacramenta enim Sanctus Doctor solum Baptismum excipit, quia solus necessarius est ad salutem necessitate medii; unde absolute subdit: *Secus autem est in aliis Sacramentis, quae non sunt tantae necessitatis, sicut Baptismus.* Cum Divo Thoma sic sentiunt Doctores non pauci, & praecipue Sylvius in 3. part. quaest. 64. art. 6. eo quia ministrans Sacramentum in peccato mortali magnam committit irreverentiam erga ipsum Sacramentorum Auctorem.

XVII. Ad locum quod attinet, ubi laici sive mares, sive foeminae sacram percipere debeant Eucharistiam, id scire modo sufficiat, quod in Concilio 2. Baraccarensi can. 13. statutum fuit: *Placuit, ut intra Sanctuarium Altaris ingredi ad communionem non liceat laicis viris, vel mulieribus, nisi tantum Clericis, sicut & antiquis Canonibus statutum est.* Hujus praxis ita scrupulosus observator fuit D. Ambrosius, ut neque Imperatorem ipsum in Choro ad Communionem suscipiendam remanere permiserit. Solis Neophytis, pro una vice tantum, in gratiam novae susceptae spiritualis regenerationis, favor tantus concedebatur; unde D. Parens Augustinus hos alloquens serm. 224. novae editionis, sic eos precatur: *Obsecro vos per nomen, quod super vos invocatum est, per illud Altare, ad quod accessistis, per Sacramenta, quae accepistis.* Cavendum itaque est ne ad Altare intra Presbyterium, ad communionem percipiendam, laici, & praecipue Mulieres accedere permittantur.

XVIII. Pro complemento eorum, quae ad Sacramentalem communionem pertinent, aliquid adhuc nobis explanandum se offert circa communionem spiritualem, quae definitur: Communio spiritualis illa est, quae fit tantum spiritu fidei, spei, & charitatis absque reali Corporis Christi sub speciebus Eucharisticis perceptione, bene tamen in voto. Hinc Sanctus Vincentius Ferrerius serm. 2. in Epiphania Domini sic habet: *Duplex est communio, scilicet spiritualis, & Sacramentalis. Communio spiritualis fit, quotiescumque Homo audit Missam in charitate; tunc homo communicat spiritualiter, tamquam membrum Ecclesiae; alia est Communio Sacramentalis, quae praecipitur fieri semel in anno &c.* Hujus spiritualis Communionis meminit etiam Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 8. *alios tantum spiritualiter, illos nimirum, qui voto propositum illum caelestem panem edentes, fide viva, quae per charitatem operatur, fructum ejus, & utilitatem sentiunt.* Hoc modo percepisse Eucharisticum hoc Sacramentum, cum primum in ultima coena fuit a Christo institutum, B. Mariam semper Virginem refert Gerson tract. 9. super Magnificat: *Maria quocumque loco fuerit corporaliter invespere Coena* (a qua absfuit, ne ansa daretur haereticis dicendi in Sacerdotissam vel ipsam fuisse ordinatam, ut notat Sperellus in sua Liturgia cap. 53.) *comedit ante, & post institutionem hujus Sacramenti verum Corpus, & bibit spiritualiter verum sanguinem filii sui.* Et paulo post etiam clarius: *Maria vespere dictae Coenae dicenda fuit frui Corpore, & Sanguine filii sui*, intellige tamen semper spiritualiter: & hic ad rem Sanctus Pater Augustinus: *Crede, & manducasti.* Ex quibus eruitur, quod etiam absentes ab Ecclesia, & consequenter Missae non adstantes possunt frui spiritaliter hoc Sacramento, seu spiritualiter communicari possunt, & fructum percipere communionis Eucharisticae; uti fecere tot Sancti antiqui, Paulus, Antonius, Macarius, atque moderni, Catharina Senensis, Theresia, Gerturdis, Cunegundis, aliaeque permultae.

XIX. Circa realem Sacramentalem communionem jam quaestio insurrexit, num frequentia communionis Sacramentalis Eucharisticae magis animarum saluti expediat. In hac parte Divo Thomae standum esse putamus, qui 3. part. qu. 80. art. 10. ad 5. sermonem de quotidiana communione instituens, sic habet: *peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus, sic enim Apostoli statuerunt, & Sancta Romana tenet Ecclesia.* Posito itaque, quod digne ad mensam accedamus Eucharisticam, dubio procul nobis frequens, imo & quotidiana communio, nonnisi prodesse valet: & in hoc sensu eam commendarunt etiam in Laicis Jonas Episcopus Aurelianensis lib. 2. de institut. Laicali cap. 18. Amalarius in Epistola edita in Spicilegii Tom. 2. pag. 172. S. Pater Augustinus, Serm. 132. S. Ambrosius lib. 5. de Sacram. cap. 4. *accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit*; cui Augustinus superaddit ad rem: *Sic vive, ut quotidie merearis accipere: Christus enim quotidie pascit.* Ille autem sic vivit, ut quotidie mereatur accipere, qui adimplet, quod Divus Thomas loco supra citato exposcit, his verbis: *In sumente requiritur, ut cum magna devotione, & reverentia ad hoc Sacramentum accedat, & ideo si aliquis se quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile est, quod quotidie sumat: sed quia multoties in pluribus hominum, multa impedimenta hujus devotionis occurrunt propter Corporis indevotionem, vel animae, non est utile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere, sed quotiescumque se ad illud homo invenerit praeparatum.* Hinc in libro de Ecclesiast. Dogmatibus ad rem dicitur: *quotidie Eucharistiae Communionem accipere, nec laudo, nec vitupero*, etenim frequentia haec laudanda est in iis, qui meliores fiunt, vituperanda in his, qui inde tetius relaxantur.

RITUALIA.

XX. Dictis tribus supradictis orationibus, genuflectens de more Celebrans Sacramentum adorat, manibus hinc inde super Corporale depositis, cum aliqua mora ad majorem ostendendam reverentiam, ac humilitatem, & se erigens submissa voce, seu secreta dicit *Panem caelestem accipiens &c.* Postquam terminaverit, & non antea vocem illam *invocabo*, Hostiam accipit indice, & pollice manus dexterae, adjuvante pollice, & indice sinistrae manus, inter quos eam collocat, parte sinistra Hostiae superimposita parti ejusdem dexterae, non totaliter, sed aliquantulum, ita ut ambae faciant figuram quasi rotundam, quibus Patenam inter digitos indicem, & medium ejusdem manus supponit, & eadem sinistra manu tenens partes hujusmodi super Patenam, inter pectus, & Calicem, Patenam ipsam elevat tribus, aut quatuor digitis a Corporali, parum inclinatus, idest inclinatione mediocri capitis, & humerorum, absque eo, quod Corpus intorqueat, aut unum supponat alteri pedem, dextra manu tribus vicibus pectus percutit, animadvertendo tamen, ne pollex, & index conjuncti planetam tangant: Minister quoque sibi percutit pectus, dum Celebrans voce mediocri ad quamcumque percussionem dicit, *Domine non sum dignus*, prosequens submissa secreta voce, *ut intres &c.* tribus vicibus, quibus absolutis ambas Hostiae partes accipit ex sinistra inter pollicem, & indicem dexterae manus, & cum illis partibus, una super alteram, quasi totaliter posita, signat se ipsum signo Crucis super Patenam efformato, hoc est ita ut Hostia non egrediatur Patenae limites. Cum hoc Crucis signum efformat Celebrans, interim submissa secreta voce dicit, *Corpus Domini nostri &c.* absque ulla capitis inclinatione, eo quod manibus Christi Corpus teneat; ratione cujus nec praecedenter genuflectit.

XXI. Sacerdos hic, ut docet D. Joannes Chrysostomus Hom. in Encaeniis, debet ita demisse se gerere, ut stet *tremens, & timidus, demissis oculis, renata autem anima, gemens sine voce, jubilans corde.* Caveat quoque ab omni Corporis incompto gestu, pedes non incurvet, aut alio modo corpus non intorqueat. Dicta oratione *Corpus Domini nostri*, & signo Crucis ut supra peracto, inclinat se inclinatione mediocri, & cubitis super Altare positis, reverenter easdem ambas Hostiae partes sumit. Ante Hostiae sumptionem non fiunt actus contritionis, amoris Dei, aut Religionis; & ratio est, quia cum publicis Religionis non sunt permiscendi privatae devotionis actus in Missae sacrificio, praecipue in actuali sumptione sacratissimae Hostiae, post quam solum a Rubricis demandatur brevis, & parva meditatio: excipe tamen si celebrans recordaretur, aut dubitaret de aliquo mortali peccato, praesertim cujus confessionem non instituisset, quia in tali casu posset, imo teneretur conteri quantum fas esset in tali circumstantia, abstinendo semper, seu absque ulla prorsus vocali oratione, atque pectoris tunsione.

XXII. Sumpto Christi Corpore sub specie panis, Patenam super pedem Calicis deponit ex una parte, & ex alia super Corporale, & se erigens Corpore manus jungit ante faciem, pollicibus, & indicibus junctis, capite aliquantulum inclinato, quiescit in meditatione, seu in interiori Sanctissimi Sacramenti adoratione, non diutius, sed pro tempore ad summum unius *Pater noster*, deinde disjungit manus, & deponens sinistram super Corporale, semper indice, & pollice unitis, submissa secreta voce dicit *quid retribuam Domino*, manu dextera interim discooperiendo Calicem, & postea unico genu genuflectendo, inde surgens perseverante sinistra supra corporale, Patenam accipit dextera manu inter digitos medium, & indicem unitum pollici, & colligit fragmenta. Si Celebrans exploret Calicem a suo loco esse removendum, ut fragmenta diligentius colligantur, hunc removeat statim, ac discooperit, & postea genuflectat, ne cogatur bis genuflectere. Patena itaque summa cum diligentia debet fragmenta colligere; esto enim verisimile sit, ut docet Quartus hic sect. 2. dub. 7. ab Angelis colligi fragmenta, quae remanent, vel disperguntur, praesertim minutiora, quae conspici, aut humana diligentia custodiri non possunt, vel colligi; tenetur tamen Celebrans sub gravi moralem diligentiam adhibere in iis colligendis. Inspecto itaque Corporali, & collectis cum Patena, & supra fragmentis, Patenam ipsam sinistra tenens, non in ea parte, qua fragmenta collegit, Calici ori admovet, ac pollice, & indice dexterae manus in Calicem fragmenta, si quae sunt, demittit, digitosque super Calicem ipsum abstergit.

XXIII. Si Hostiae consecratae super Corporale adsint, pro alio tempore servandae, ante abstersionem Patenae, particulae poni debent in suo vase ad hoc praeparato, quod post Calicem relinquitur donec Calix ipse fuerit purificatus, post quam purificationem, deducto Calice ad cornu Evangelii, vas cum particulis in medio statuitur, & quidem super Corporale, quod non plicatur in hac circumstantia, ut fit in Missa feriae V. in Coena Domini. Num existentibus particulis consecratis in Pixide, post sumptionem sanguinis debeant in Tabernaculo claudi, Doctores non conveniunt; nos tamen sumus pro parte negativa, ea fulti ratione, quod in vase existentes retinentur in medio super corporale, ut supra, usque ad Missae finem; ergo etiam in Pixide reconditae, neque enim assignabilis est ratio disparitatis; quod si Tonellius, qui admittit de Vase, & negat de Pixide, dicat conservari Vas pro Laicorum communione facienda post Missam, seu in fine Missae, eadem profecto concludit ratio pro Pixide. Communio utique Laicorum aliquando est facienda, aliquando

non; unde dicendum, quod Particulæ consecratæ debeant in medio Altaris retineri usque ad Missæ finem, præstando genuflexiones, & ea omnia, quæ præscribuntur, cum Sacramentum habetur super Altare, ne Missa interrumpatur, & adstantes tedio afficiantur.

XXIV. Extersa Patena super Calicem, iterum pollices, & indices jungit, & Calicem accipit infra nodum manu dextera; sinistra vero posita super Corporale Patenam tenet, donec dixerit *Calicem salutaris &c.* submissa voce; inde se signans cum Calice, voce pariter secreta, absque capitis, aut humerorum inclinatione ad nomen *Jesu*. Dicit *Sanguis Domini nostri &c.* & Patenam Calici supponit ante pectus, & quasi prope mentum; quibus peractis reverenter totum sumit sanguinem cum Particula. Caveat autem Celebrans ne caput inconcinne reclinet, aut Calicem; in hujus sumptione duplicem haustum adhibeat, nec in Calice lambendo immoretur; si quid enim specierum remanserit, jam cum ablutione, aut purificatione sumet, ut advertit Castaldus lib. 2. sect. 8. num. 10., totum enim pro unico actu computatur. Hinc Quartus in hanc Rubricam sect. 1. dub. 7. si Hostiæ Particula cum sanguine mixta remaneat in fundo Calicis, consultius existimat Vinum infundere, ut sic cum vino deglutiatur, quam eam Particulam digito ad Calicis labium adducere, & ante purificationem sumere.

XXV. Hausto sanguine absque mora Calicem porrigit Ministro ad accipiendum vinum pro purificatione, interim dicens: *Quod ore sumpsimus &c.* manu sinistra habente Patenam inter indicem conjunctum pollici, & medium digitos deposita super Corporale, quidquid aliqui in contrarium sentiant; sic enim servatur in aliis omnibus similibus contingentiis. Si sumenda sit Hostia, quæ publicæ fuit exposita venerationi, sumenda est immediate post sumptionem sanguinis; quia in partes divisam modo non licet laicis communicantibus ministrare.

XXVI. Cum a Celebrante sacratissimus sumitur sanguis, aut paulo ante, Minister genuflexione præmissa in suo loco, vadit ad credentiam, & accipiens ampullas per manubrium, æqualiter elevatas ad Altare defert. Depositis super credentiam operculis, & in cornu Epistolæ facta debita reverentia consistit; si autem ibi pertingat nondum absoluta sanguinis sumptione, genuflexus in ultimo Altaris gradu expectat donec ad os Calix admoveatur; & tunc surgit, ac Celebranti porrigenti Calicem vinum tantum infundit pro purificatione. Purificatio ab ablutione distinguitur in hoc, quod prima ad Calicem pertinet, adeoque vino facienda est; exceptis casibus in quibus Theologi ab usu vini absolvunt; secunda ad digitos celebrantis spectat, ac proinde vino, & aqua fit; facilius tamen etiam in hac omissio aquæ quam vini permittitur. Minister itaque extensa manu dextera cum quasi ampullæ vini osculo, & capitis inclinatione ante, & post, vinum in medio Calicis infundit, mediocritatem in infundendo servans, hoc est nec præcipitanter, nec lente nimis; & cum Celebrans dat signum ampullas retrahit modo supra dicto. Esto non sit necessarium, quod vinum pro purificatione infundatur in tanta quantitate, qua fuit præconsecratum, decet tamen, ut sic facilius colligantur species, quæ remanserunt, levi agitatione circumagendo Calicem, & purificationem sumendo per illam eamdem partem Calicis, per quam sanguis fuit assumptus, uti monuit Beatus Pius V. Sumit Sacerdos purificationem cum Patena sub Calice, eo modo, quo Sanguinem sumpsit. Caveat Celebrans ne digitis Calicis labia, aut oris sui detergat, neve suos digitos lambat.

XXVII. Deposita Patena a parte sinistra corporalis, seu a parte Epistolæ, ut manu dextera a Celebrante commodius accipi possit, quæ non cooperitur Palla, Celebrans manibus junctu ante pectus facit cruci reverentiam, inde accipiens sex inferioribus utriusque manus digitis Calicis cuppam, indices, & pollices utriusque manus inter se conjunctos super os ejusdem Calicis tenens procedit ad cornu Epistolæ, ubi elevatum tenens Calicem, extra Corporale, sed intra Altare, nisi Minister sit exiguæ staturæ, super os ejusdem Calicis pollices, & indices abluit, prius vino, deinde aqua; vino enim solo non licet, absque indulto Pontificio, non obstante quacumque contraria consuetudine, quam abusum esse patet, quia contra mandatum Rubricæ. Minister itaque in primis exhibet vinum, deinde aquam cum quasi osculis ampullarum, & capitis inclinatione, ut supra, infundens vinum, & aquam super pollices, & indices, in medio Calicis, nec infundere cessat, donec Celebrans signum det desinendi. Caveat hic Minister, ne ampullas retrahens ore incurvato guttas super Calicis pedem effundat, aut super Tobaleam. Ablutione peracta, facta Altari solita reverentia, reportat ad credentiam ampullas, & suis tegit operculis. Si acciderit Celebrantem Hostiam consecratam tetigisse aliis quoque digitis, aut alia manus partes, pars quoque, & digiti, quibus Christi Corpus per accidens tetigit, sunt caute abluendi.

XXVIII. Post ablutionem Celebrans tenens Calicem, ut prius, quasi ad Altaris medium se constituit, & Calicem inter Purificatorium, & corporale deponit; cum enim tunc Calix vacuus sit Sanctissimi Sanguinis, non est cur deponi non possit extra Corporale. Ibi itaque excussis intra Calicem digitis pollicibus, & indicibus, prius dexteram, deinde sinistram a Calice amovet, interim dicens, *Corpus tuum Domine &c.* neque enim Oratio hæc, *Corpus tuum* &c. dicenda est cum abluit, sed potius dum digitos purificatorio abstergit; dum a Calice removet manus, caveat Celebrans ne guttæ defluant super Calicis pedem, aut super Tobaleam; unde cum sinistram dimovet, statim ei purificatorium debet supponere, quod si non obstante, Calicis pes aliqua sorte conspersus guttula fuerit, non purificatorio, ad solos sacros usus adhibendo, sed potius manutergio erit tergendus.

XXIX. Num Celebrans ad medium Altaris accedere debeat antea, vel post digitorum abstersionem, inter se non conveniunt Rubricistæ: circa quam difficultatem nos cum Baldassario part. 4. cap. 2. aliisque dicimus, quod Celebrans non debet ad medium Altaris se constituere nisi peracta digitorum abstersione; quia si ante abstersionem accederet, digitis madefactis, & fluentibus, junctis manibus ante pectus deberet Cruci se inclinare, quod profecto indecens esset. Itaque digitis diligenter extersis, purificatorium deponit extra Corporale prope Calicem; & accedens ad medium Altaris junctis manibus ante pectus, facta cruci inclinatione minimarum maxima, sinistra accipit purificatorium, dextera Calicem per nodum; cui purificatorium supponens, ablutionem sumit; advertendo ne plusquam bis Calicem admoveat ad lambendum. Absoluta ablutionis sumptione Calicem purificatorio diligenter abstergit leviter Calicis ori circumducendo purificatorium, usque ad fundum; inde deponens Calicem intra Corporale, purificatorium super ipsum extendit non plicatum, si ordinariæ sit magnitudinis, quia aliter plicandum foret; super purificatorium Patenam, & supra Patenam pallam collocat. His peractis utraque manu velum accipit, & Calicem cooperit: quiquid aliqui sentiant in contrarium, nos opinamur sic esse faciendum, ne actus multiplicentur ulla absque necessitate. Cooperto Calice, hunc ambabus manibus defert extra Corporale a parte Epistolæ, ut facilius Bursam capiat, quæ est in cornu Evangelii; & plicato corporali hoc in Bursam reponit, hanc collocando desuper Calicem, parte aperta celebrantem respiciente. Inde manu sinistra subtus velum, Calicis nodum deprehendente, dextera vero extensis digitis super bursam posita, Calicem ipsum ad medium Altaris transfert, ibique collocat, velum demittendo a parte anteriori usque ad Altaris planitiem, ut dicebamus in Missæ initio.

XXX. Si adsint communicandi in Missa Celebrans post sumptionem Sanguinis ante Calicis purificationem, collocato Calice intra Corporale palla cooperto, a parte Epistolæ, unico genu genuflectit usque ad suppedaneum, manibus, hinc inde positis intra Corporale; inde se erigens, si particulæ consecratæ sint plures, & extra Pixidem, in hac eas ponit, si vero pauci sint communicandi, super Patenam particulas collocat. Si autem a principio in Pixide aut in alio vase fuerint positæ, tunc omittenda est prædicta genuflexio; & præcipue si Pixis sit intra Tabernaculum, genuflexio non est facienda nisi postquam Celebrans adaperuerit ostiolum Tabernaculi, & antequam extrahat Pixidem; qua extracta, & intra Corporale posita, ac adaperta, iterum, genuflectit, & surgens, facie ad Altare versa stat oculis semper in Sacramentum intentis, donec absoluta a Ministro confessione, subsumere debet *misereatur* &c.

XXXI. Interim Minister extendit ante communicandos linteum seu velum album, ad hoc reservatum; profecto indecens esset si ante ipsos mappula extenderetur, ad extergendas Celebrantis manus præparata; Minister itaque post dictum a Celebrante *Agnus Dei*, surgit, & facta genuflexione tempestive linteum extendit; & postquam Celebrans sumpserit Sacratissimum Sanguinem, incipit Confessionem; quam a latere Epistolæ genuflexus, & inclinatus, manibus junctis, clara ordinaria voce, devotissime recitat. Peracta confessione, Celebrans depositis hinc inde intra Corporale manibus, de more genuflectit, & manibus junctis ante pectus vertens se ad populum, humeris scilicet oblique ad cornu Evangelii conversis, ne terga vertat Sacramento, dicit *Misereatur vestri &c.*, tam *ad Misereatur*, quam ad *Indulgentiam* dicat *Vestris*, *Vestris*. *Vestrorum*, *Vobis*, quamvis unus tantum foret sacramentaliter communicandus, quia fortasse circumstantes reliqui spiritualiter communicantur, omnia autem dicit alta ordinaria voce, manibus ut supra ante pectus junctis; & cum dicit, *Indulgentiam*, *absolutionem &c.* sinistra infra pectus posita, manu dextera producit signum crucis per lineam rectam plusquam palmarem super communicandos. His dictis convertit se Celebrans ad Altare, de more genuflectit, & erigens se, Pixidem, seu Patenam accipit sinistra manu, & caute, ne fragmentum aliquod avolet, dextera sumens unam particulam inter pollicem, & indicem, quam paululum elevatam tenet super Pixidem, seu Patenam; conversus ad communicandos in medio Altaris humeris scilicet ad Altare conversis dicit: *ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* clara intelligibili voce, ac oculis semper in Sacramentum intentis.

XXXII. Cum dicit non *sum dignus*, esto hoc dicat nomine personæ communicandæ, semper tamen loqui debet in genere masculino, nunquam vero fœminino, *non sum digna*, quamvis mulier tantum sit communicanda, quod & debent facere moniales, dum silente Sacerdote dicunt *Domine non sum* &c. debent enim dicere *Domine non sum Dignus*; quia immutari non debent Centurionis verba, quæ a rubrica demandantur dicenda. Dum hæc verba dicuntur, communicandi non percutiunt pectus, cum hoc ad Ministrum spectet, sed tantum manus suas in crucis formam componunt ante pectus. Iis verbis *Domine non sum Dignus &c.* ter repetitis Celebrans Particulam exhibet incipiendo ab eo, qui genuflexus stat a dexteris, & supponendo aliquantisper Patenam, aut Pixidem, ne longius cogatur portare Sacramentum cum periculo dispergendi fragmenta; animadvertat quoque, ne communicandorum halitus Patenam aut Pixidem commaculet, & ne illorum anhelitus avolare faciant particulas.

XXXIII. Cum dicit *Corpus Domini nostri Jesu Christi &c.* facit cum particula signum crucis intra, seu super Patenam vel Pixidem, eo fere modo, quo se signavit ante suam communio-

nem,

nem, & sic prosequitur usque ad ultimum: quibus communicatis, nihil dicens ad Altare revertitur, manu dextera super Pixidis labia adhærente, & digitis indice & pollice ejusdem manus unitis super eamdem Pixidem extensis, nec dat communicatis benedictionem, daturus illam de more in fine Missæ, & sic Missa foret de Requiem, in qua non datur in fine benedictio; adhuc communicatos non benedicit, quia sicuti vetita est benedictio adstantium in fine Missæ de Requiem, pariter vetita censetur in suo progressu; sufficit enim communicatis, quod intra se susceperint, ut dicebamus, omnium benedictionum fontem.

XXXIV. Celebrans ad Altare conversus Patena iterum Corporale extergit, & fragmenta demittit in Calicem. Si in Pixide fuerint Particulæ, genuflectit, eam cooperit, & si intra Missam eas consecraverit, ibi intra Corporale eam relinquit; si vero eam detraxit e Tabernaculo ad communicandum, cooperta, ut supra, Pixide, eam reponit intra Tabernaculum, facta antequam claudatur genuflexione. Quod si nulla remanserit in Pixide particula consecrata, neque dimidiata, diligenter fragmenta omnia colligit, immittit in Calicem, & summa cum diligentia purificatorio, aliisque consuetis modis extersa Pixide, hanc extra Corporale collocat, absque ulla genuflexione.

XXXV. Si Missa celebretur in Altari, in quo non existit Tabernaculum, & post adstantium communionem supersint aliquæ particulæ consecratæ, absumuntur omnes ab ipso Celebrante, sive remanserint super Patenam, sive in Pixide, & post harum absumptionem, aut quomodocumque absolvatur adstantium communio, Celebrans dicit secreto: *Quod ore sumpsimus* &c. & se purificat, ut dicebamus.

XXXVI. Si plures sint communicandi, in quo casu videtur tolerari, quod adstantium communio ante, aut post missam absolvatur, omnia observantur, quæ supra diximus, excepto, quod absoluta communione, & deposita Pixide super Altare, Celebrans genuflectit, surgit, & voce submissa dicit Antiphonam: *O sacrum convivium &c. Panem de cœlo &c. Domine exaudi &c. Dominus vobiscum:* & orationem *Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili &c.* & tempore Paschali dicit orationem, *Spiritum nobis* &c. & tum antiphonæ, tum versui additur alleluja, quod observari debet etiam infra octavam Corporis Christi. Reposita Pixide intra Tabernaculum, & de more clauso cum suis respectivis genuflexionibus, se vertens ad communicatos hos benedicit dicendo: *benedictio Dei omnipotentis, &c.* concludendo verbis illis: *descendat super vos, & maneat semper;* quibus Minister genuflexus respondet, *Amen*. In Monialium communione, ante, vel post Missam, esto sit præsens Venerabile, sola manu, non vero Pixide benedicuntur. Caveat quoque, ne cum Pixide deferat Purificatorium, cum ad communicandum, sive Moniales, sive adstantes pergit.

XXXVII. Ad communionem ministrandam per modum Viatici, inter antiquos Ecclesiæ ritus ea recensetur consuetudo, quæ postea vetita fuit, qua Infirmis in mortis vicinitate constitutis, sacrosanctam non valentibus deglutire particulam, in eorumdem solatium, si communicari flagitassent, particulam non consecratam, & si Sacramentum tantum adorare postulassent, consecratam Particulam deferebant. Accidit, quod Mauritius Parisiensis Episcopus gravi perculsus morbo Sacrosanctum Viaticum enixe flagitaret; cumque suspicaretur, esset ne sanæ mentis, consulto Sacerdos Particulam ei non consecratam detulit, eadem formalitate, iisdemque cæremoniis, quibus verum Christi Corpus ad infirmos deferri solebat, ad cujus aspectum Mauritius Divino monitus oraculo exclamavit: *Tolle, tolle non est Dominus meus*, quapropter delata ei particula consecrata, cum insitæ pietatis significatione eam assumpsit. Hoc insigne nostræ fidei monumentum a Cæsario refertur lib. 9. Illustrium miraculorum cap. 43. cui adjungi potest consimile, quod a Divo Antonino narratur in Cronic. 3. part. tit. 18. cap. 1. de Ugone a Sancto Victore, qui morti proximus, ac vomitionibus aliqualiter agitatus viaticum postulavit, cui cum juxta morem delata fuisset quoque particula non consecrata, cœlesti spiritu illustratus, ulla absque hæsitatione in hæc verba prorupit: *Quid est quod facere voluistis fratres mei? Quare me decipere voluistis? Istud non est Corpus Domini mei*. Cumque allata ei fuisset particula consecrata, & ipse se impotentem ad illam sine vomitu periculo sumendam agnovisset, humillima cordis adoratione præmissa dixit: *ascendat filius ad Patrem suum, & servus ad Dominum suum*, quibus prolatis verbis, res mira! & particula ab omnium oculis evanuit, & Vir divinus spiritum exhalavit.

XXXVIII. Vetitum postea fuit a sancto Pio V. Viaticum ad infirmos deferri, qui deglutire non valent, aut extante vomitionis periculo communicari non debent; ut eis saltem præsentia sacramenti aliquod exhibeatur solatium; ut videre est apud Macrum in Ecclesiastico Vocabulario verbo *Eucharistia*, & apud S. Cong. Concilii, in cujus Regestis sic legitur: *Non licet Sanctam Eucharistiam ad ægrotantes deferre, qui morbi gravitate impediti eam sumere non possint, sed venerationis gratia solent eam deosculari. Et si forte aliquo in loco talis est consuetudo, ea prorsus est tollenda, quod Pius V. probavit*. Insuper S. C. R. in Caurien. 15. Decemb. 1632. hoc edidit Decretum.

D E C R E T U M IV.

Eucharistia SS. ad Ægrotum adoranda deferri non debet, si eam ob tussim, aut alias sumere non potest pro viatico. Hac tamen prohibitione non interdicitur, quod si Viaticum deferatur infirmo, qui capax supponitur illud deglutiendi, & superveniente vomitione, aut alio impedimento non sit communicandus, Parochus Pyxidem aperiat, infirmoque Eucharistiam ostendat adorandam, non vero deosculandam. Hoc enim expresse admittitur in quibusdam Ecclesiæ Belgicæ Ritualibus, ut advertit Thiers. Tract. de superst. tom. 1. cap. 2. num. 5. In prædicta itaque prohibitione reprobatur Eucharistiæ delatio ad infirmum non valentem eam suscipere, præcise ad hoc, ut ei adoranda exhibeatur; non vero interdicitur adoratio ejusdem SS. Sacramenti, si forte ad ipsum sumendum in actu Communionis, aut etiam delationis ad ipsum impotens evadat. Diximus, etiam actu delationis, quia si Parochus deferens Viaticum ad ægrotum, dum est in via, certioretur ægrotum modo impotentem evasisse ad illud sumendum, ratione supervenientæ vomitionis, aut tussis, &c. adhuc delationem Viatici debet prosequi; sicut enim inopinato vomitio supervenit, ita inopinanter cessare potest &c.

XXXIX. Olim certum est quod Eucharistia extra Missam non ministrabatur nisi per modum Viatici. Ministrari autem infirmis non valentibus particulam deglutire, sub specie Vini, statuit Concilium Toletanum XI. habitum anno 675. can. 11. Et Martene lib. 1. de Sacr. Eccl. Ritibus cap. 4. art. 10. num. 13. ostendit, olim infirmis, qui particulam deglutire non poterant, intinctam Vino consecrato fuisse exhibitam, ne absque Sacrosancto Viatico morerentur; verum modo hoc fieri non posse perspicuum est. Etenim præceptum de Viatico suscipiendo cessat, quotiescumque sumi non possit eo modo, quo Ecclesia gravibus de causis statuit suscipiendum. Usum autem Calicis Ecclesiam prohibuisse Laicis, immo & Sacerdotibus ipsis extra celebrationem, propter plures irreverentias, aliaque inconvenientia, quæ inde sequebantur, satis compertum est. Hinc Pax Jordanus Tom. 1. lib. 3. tit. 3. num. 34. monet potius in ejusmodi casibus exhibendam esse infirmo Particulam sacram aqua, aut Vino non consecrato intinctam, ut ab infirmo sic madefacta deglutiri possit, ac in pectu descendere. De facto cum Lex Jejunii naturalis servandi cesset pro eo, qui Viaticum sumit, quare hoc fieri non potest, ne æger sine Viatico vita fungatur? Sanctus Uldaricus lib. 3. antiquarum consuet. Cluniac. cap. 23. Tom. 4. Spicilegii testatur, quod Monachis infirmis Eucharistia sub specie Panis vino non consecrato intincta præbebatur; neque enim irreverentia SS. Sacramento irrogatur, species aqua munda, aut vino madefaciendo, ut infirmo subveniatur. Sic se gessisse quemdam Sacerdotem, ut subveniret cuidam Seni, cujus nomen erat Serapion, in mortis articulo constituto enarrat Eusebius lib. 6. Eccl. Hist. cap. 44. Nam ab ipso vocatus per puerum, cum & ipse ægrotaret, Puero tradidit particulam consecratam, eique imperavit, ut aqua madefactam in os Senis injiceret, ut commodius eam deglutiret. En verba Eusebii ex versione Valesii: *In aqua intinctam Seni in os instillaret, qua ille paulatim absorpta, continuo animam exhalavit*.

XL. Tandem ut principaliora, quæ circa licitam Eucharistiæ administrationem quisque Sacerdos pro certo scire tenetur, summatim hic perstringamus, sciendum licitum non esse ad devotionem fovendam plures simul particulas, aut unam grandiorem præbere juxta Decretum S. Congr. Concilii, ab Innocentio XI. approbatum die 12. Februarii 1679.

D E C R E T U M V.

Episcopi, Parochi, seu Confessarii insuper admoneant, nullis tradendas plures Eucharistiæ formas, seu particulas, neque grandiores, sed consuetas. Non enim est omnino quantitas visibilis, quæ juxta Canones in hoc est æstimanda Mysterio, sed virtus Sacramenti Spiritualis, quæ omni dubio procul est æque in omnibus sive parvis, sive grandioribus particulis. Improbatur etiam, ac omnino illicitum est juxta Decretum Innocentii III. in capite de *Homine*, de celebratione Missarum, hostiam præbere non consecratam pro consecrata ei, qui paratus sit Eucharistiam in peccato suscipere, ad evitandam infamiam, aut aliquo alio quocumque prætextu. *Cum ergo falsa sint abjicienda remedia, quæ veris sunt periculis graviora, licet is, qui pro sui criminis conscientia reputat se indignum Sacramento, peccet graviter, si se ingerat ad illud, gravius tamen videtur offendere, qui sic fraudulenter illud præsumpserit simulare, cum ille in solius misericordis Dei manum incidat, iste vero non solum Deo, cui non veretur illudere, sed populo, quem decipit, se adstringat propter periculum Idololatriæ, cui exponitur tum ille, qui Eucharistiam suscipit, tum etiam adstantes*. Hinc Innocentius XI. hanc damnavit propositionem: *Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi*, quæ est 20. inter propositiones damnatas.

XLI. Quomodo circa peccatores Eucharistiam postulantes gerere se debeat sacer Christi Minister, docetur e D. Thoma 3. part. quæst. 8. artic. 6. ubi certas, firmasque regulas tradit, quæ observari debent. Igitur aut peccator Eucharistiam postulans est manifestus ex illius confessione in Judicio, ex sententia Judicis, aut ex ipsius evidentia facti, quæ omnino dissimulari non potest, & huic Eucharistia est deneganda, sive publice, sive privatim eam postulet; vel peccator Eucharistiam petens, publico est occultus, & privatim Ministro Sacramenti notus, seu manifestus. Et tunc si publice se exhibeat, seu postulet Eucharistiam sumendam, debet ei ministrari, titulo evitandæ infamiæ. Si privatim petat, est ei deneganda, atque admonendus, ne publice accedat, seu eam postulet, nisi prius Sacramentali confessione expiatus. De peccatoribus manifestis ex

publica Judicis sententia, qua capite seu patibulo damnatur, an eis sit Eucharistia exhibenda, inter se non conveniunt Doctores. Robertus Pullus Sac. Rom. Eccl. Cardinalis, qui vixit temporibus Sancti Bernardi in lib. sententiarum cap. 53. contendit omnino esse denegandam Eucharistiam eis, qui capite, seu morte sunt plectendi, hac praecipue ratione fretus, quod si ea suscepta ad patibulum ducerentur, jam Eucharistia privaretur jure liberandi damnatos, quod potius ei, quam Ecclesiae materiali competit. De facto apud Gallos, uti refert Granenlas in Vet. Eccl. Sacramentario part. 1. pag. 290. capite plectendis, etiam enixe postulantibus, Eucharistia denegatur, & refert exemplum Comitis Stabuli Sancti Pauli, qui Sacramentali confessione expiatus, cum Eucharistiam postulasset, antequam capitis sententiam subiret, repulsam passus, pro Sacramento panem benedictum accepit. Juveninus quoque de Sacramentis dissert. 4. de Eucharist. quaest. 6. fatetur in Gallia, & Hispania iis, qui capitis sententia damnati sunt, Eucharistiam denegari, multasque rationes affert, huic erga Sacrosanctam Eucharistiam reverentiali consuetudini faventes. Cum enim ex oraculo Spiritus Sancti perversi difficile corrigantur, nil profecto difficilius, quam de istorum fere instantaneae pro subeunda mortis sententia conversionis elicitae sinceritate dijudicare. Apud Italos, & Germanos capite plectendis Eucharistia non denegatur, dummodo peccata confiteantur, & Confessarii sententia in foro poenitentiali ab ipsis absolvantur. Ast mihi fas est hic quoque repetere, nihil difficilius profecto, quam de istorum mirifice perditorum Virorum fere instantaneae, & coactae potius, quam spontaneae conversionis sinceritate dijudicare. Verum enim vero laudandus est S. Pius V. qui insitae pietatis motu proprio priscam illam consuetudinem abrogavit sub anno 1560.

XLII. Ad frequentiam Communionis quod attinet, prudentis Confessarii judicio relinquitur dijudicare de personarum devotione, animarumque spirituali profectu, & si sic quotidie vivant, ut quotidie, aut saltem frequenter sacrosanctam mereantur Eucharistiam accipere. Unde si digne judicentur, & Communionem quotidianam postulent, non potest Sacerdos, seu Confessarius eis facultatem denegare, imo nec eas personas a quotidiana Communione deterreri, eo quia a Sanctis Patribus, ut dicebamus, commendatur, & Sacrosancta Synodus Tridentina eam exoptat. Circa hanc tamen observanda sunt ea, quae in sequenti Decreto praescribuntur.

D E C R E T U M VI.

S. C. Concilii approbatum ab Innocentio XI.

XLIII. Cum ad aures SS. Dom. Nost. fide dignorum testimonio pervenerit, in quibusdam Dioecesibus vigere usum quotidianae Communionis, etiam in feria VI. Parasceve, & simul affirmari, eamdem quotidianam Communionem praeceptam esse a jure Divino, quin etiam in illius administratione aliquos abusus inolevisse, videlicet, quod aliqui non in Ecclesia, *sed in privatis Oratoriis*, & Domi, imo cubantes in lecto, & non laborantes ulla gravis infirmitatis nota, sumant Sacrosanctam Eucharistiam, quam argentea theca inclusam, in crumena, aut secreto illis deferunt Sacerdotes saeculares, aut regulares, aliique in communione accipiunt plures formas, ac particulas, vel grandiores solito; ac tandem, quis confiteatur peccata venialia simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Cum autem haec consideranda Sanctissimus commiserit Sacrae Congregationi Cardin. Concil. Trident. interpretum; eadem S. Congr. praevia matura discussione, super praedictis unanimi sententia ita censuit. Etsi frequens quotidianusque Sacrosanctae Eucharistiae usus a SS. Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus, numquam tamen, aut saepius illa percipiendi, aut ab ea abstinendi certis singulis mensibus, aut hebdomadis dies statuerunt, quos nec Concilium Tridentinum praescripsit, sed quasi humanam infirmitatem secum reputaret, nihil praecipiens, quid cuperet tantum indicavit, cum inquit: *Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes Sacramentali Eucharistiae perceptione communicarent.* Idque non immerito; multiplices enim sunt conscientiarum recessus, variae ob negotia spiritus alienationes, multae, e contra, gratiae, & Dei dona parvulis concessa, quae cum humanis oculis scrutari non possunt, nihil certi de cujusque dignitate, atque integritate, & consequenter de frequentiori, aut quotidiano vitalis panis esu potest constitui; & propterea, quod ad negotiatores ipsos attinet, frequens ad Sacram alimoniam percipiendam *accessus*, Confessariorum secreta cordis explorantium Judicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate, & frequentiae fructu, & ad pietatem processu Laicis negotiatoribus, & conjugatis, quod prospicient eorum saluti profuturum, id illis praescribere debebunt. *In conjugatis* autem hoc amplius animadvertant, cum Beatus Apostolus nolit eos invicem fraudari, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacent orationi, eos serio admoneant, tanto magis ob Sacratissimae Eucharistiae reverentiam, continentiae vacandum, puriorique mente ad Caelestium epularum communionem esse conveniendum. In hoc igitur Pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut a frequenti, aut quotidiana sacrae Communionis sumptione unica praecepti formula aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur, sed magis quid singulis permittendum per se, aut Parochos, seu Confessarios, sibi decernendum putet, illudque omnino provideat, ut nemo a Sacro Convivio, seu frequenter, seu quotidie accesserit, repellatur, & nihilominus det operam, ut unusquisque digne pro devotionis, & praeparationis modo rarius, aut crebrius Dominici Corporis suavitatem degustet. Itidem Moniales quotidie Sacram Communionem petentes, admonendae erunt, ut in diebus ex earum ordinis instituto praestitutis communicent; si quae vero puritate mentis eniteant, & fervore spiritus ita incaluerint, ut dignae frequentiori, aut quotidiana SS. Sacramenti perceptione videri possint, id illis a superioribus permittatur. Proderit etiam praeter Parochorum, & Confessariorum diligentiam opera quoque Concionatorum uti, & cum eis constitutum habere, ut cum fideles ad SS. Sacramenti frequentiam, (quod facere debent) accesserint, statim ad illud sumendum, de magna praeparatione orationem habeant, generatimque ostendant eos, qui ad frequentiorem, & quotidianam salutiferi cibi sumptionem devoto studio excitantur, debere, sive Laici negotiatores sint, sive conjugati, sive quicumque alii, suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti, ac divini judicii formidine, discant Caelestem Mensam, *in qua Christus est*, revereri, & si quando se minus paratos senserint, *ab eo abstinere*, seque ad majorem praeparationem accingere. Episcopi autem, in quorum dioecesibus viget hujusmodi devotio erga Ss. Sacramentum, pro illa gratias Deo agant, eamque ipsi adhibito prudentiae, & judicii temperamento alere debebunt, & ab eorum officio postulari sibi maxime persuadebunt, nulli labori, aut diligentiae parcendum, ut omnis irreverentiae, & scandali suspicio in veri, & immaculati agni perceptione tollatur, virtutesque, ac dona in sumentibus augeantur. Quod abunde continget, si ii, qui devoto hujusmodi studio, divina praestante gratia tenentur, neque Sacratissimo pane frequentius refici cupiant, suas vires expendere, seque probare cum timore, & charitate assueverint, quibus Christum Dominum, qui se fidelibus manducandum, & se pretium in morte tradidit, atque in Caelesti Regno, in praemium est daturus, precatur Sac. Congr. ut suam operam ad dignam praeparationem, & sumptionem largiatur.

Porro Episcopi, & Parochi, seu Confessarii redarguant asserentes Communionem quotidianam esse de jure Divino: doceant in Ecclesiis, seu Oratoriis privatis, ex dispensatione, seu privilegio Pontificis de manu Sacerdotis sumendam SS. Eucharistiam, nec eam ullo modo deferendam in crumena, aut secreto ad existentes Domi, vel cubantes in lecto, praeter quam ad infirmos, qui ad illam suscipiendam ad loca praedicta accedere non valeant, & ad hos si ab Ecclesia deferatur, publice, & cum pompa juxta formam Ritualis Romani; si vero ab Oratorio privilegiato, cum forma decenti. Curent etiam, ut circa Communionem in Feria VI. Parasceve, Missalis Rubricae, & Ecclesiae Romanae usus serventur. Insuper admoneant, nulli tradant plures Eucharistiae formas, seu particulas, neque grandiores, sed consuetas; non permittant, ut venialium confessio fiat *simplici Sacerdoti* non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Si Parochi, & Confessarii, etiam Regulares, aut quicumque alii Sacerdotes secus egerint, sciant Deo optimo maximo rationem reddituros, neque defuturam Episcoporum, & Ordinariorum judicum, ac rigorosam animadversionem in contrafacientes, etiam Regulares, etiam Societatis Jesu, facultate ipsis Episcopis, & Ordinariis per hoc Decretum per Sedem Apostolicam specialiter attributa. Et facta de praemissis omnibus, ac de verbo ad verbum relatione, Sanctitas Sua approbavit, ac praesens Decretum typis mandari, ac publicari voluit. Datum Romae 12. Februarii 1679.

F. Cardin. Columna Praefect.

S. Archiep. Brancaccius
Episcop. Viterbien. Secret.

XLIV. Ex praecedenti Decreto colligitur, Sacram Congregationem commendare quidem Eucharistici Sacramenti frequentiam, sed tantum supposito, quod digne accedant, ac ex frequentia fructum accommodatum capiant; non enim communio absolute, & Sacramentorum frequentia, in iis etiam, qui enerviter vivunt, sed digna communio, & hujus frequentia cum fructus perceptione, utilis est, & praedestinationis nota. Hinc Innocentius XI. die 2. Martii 1679. hanc damnavit propositionem, quae in ordine est 56. *Frequens Confessio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota praedestinationis*: quia perditionis potius, quam praedestinationis nota est frequentia communionis in iis, qui gentiliter vivunt, seu corruptis, depravatisque moribus vitam ducunt, & ex hujus Sacramenti perceptione fructum non capiunt, juxta illud D. Bonaventurae de praeparat. ad Missam cap. 14. *Signum est spiritualis infirmitatis, vel mortis, ignem ponere in sinu, & non sentire calorem, mel in ore, & non sentire dulcedinem.* Esto de Fidelium adstantium, ac infirmorum communione, deque frequenti, & quotidiana Sacrae Synaxis perceptione fuse tractaverimus in Tomo Quarto, ubi Decreta quoque supra adducta in omnibus suis partibus exposuimus, nihilominus ea hic tamquam in proprio loco summatim recensere, expedire duximus, ad complementum eorum omnium, quae praecipue ad licitam Sacrosanctae Eucharistiae administrationem pertinent.

R I T U A L I A.

Pro Missa Solemni.

XLV. Absoluta communione, & suscepto Sacratissimo Sanguine cum purificatione, & digitorum ablutione, Diaconus defert Missale clausum ad cornu Epistolae, & ibi illud aperit, ubi legen-

gendum est a Celebrante. Deferendo Missale ambulat per secundum gradum, & in medio genuflectit, depositoque, & aperto Missali, ipse, & non Cæremoniarius primus, Celebranti ostendit communionem, deinde vadit retro post Celebrantem in cornu Epistolæ super secundum gradum, ut cum Celebrante procedat statim per eumdem secundum gradum ad medium Altaris, ubi stat versus illum, dum ille versus populum dicit *Dominus vobiscum*; post quod redit per eumdem secundum gradum ad cornu Epistolæ, ubi manibus de more junctis ante pectus stat usque ad finem orationis, vel orationum.

XLVI. Dum Celebrans orationem, aut orationes cantaturus se transfert ad cornu Epistolæ, primus Cæremoniarius accedit propius ad librum, ibique celebranti orationem, seu orationes indicat, & absoluta ultima conclusione librum claudit, si non sit legendum aliud Evangelium ab Evangelio *In principio &c.* decet enim, quod Celebrans solemniter non claudat librum in fine Missæ, sicut in principio illum non aperuit. Subdiaconus, peracta celebrantis ablutione, ac redditis Acolytho ampullis, accedit ad cornu Evangelii per planum, aut per infimum gradum, si sint plures gradus, quam tres, in medio genuflectit, & ascendens ad Altare, purificatorio detergit Calicem, & eumdem vestit, eo fere ordine & modo, quo facit Sacerdos in Missa privata, excepto, quod hic Subdiaconus super bursam partem anteriorem Veli revolvit. Num Diaconus deferre debeat velum Calicis parvum ad cornu Evangelii, Rubricistæ discordant inter se; affirmat Castaldus lib. 1. sect. 7. c. 5. n. 24.; & negant Lohner part. 3. tit. 6. n. 9., & Bauldryus part. 1. cap. 13. art. 1. num. 41. & nos sequimur quoque partem negativam; quia Acolyti munus est Subdiacono inservire, non vero Diaconi. Itaque dum Celebrans accipit purificationes, Acolytus accipit parvum Calicis velum, hoc defert ad cornu Evangelii genuflectens in medio, & ascendens ad Altare per gradus laterales illud tradit Subdiacono. Si velum inveniat plicatum, super utraque brachia illud retinens plicatum defert; si vero super credentiam invenit extensum, accipiens illud utraque manu in superioribus angulis portat ante pectus parte interiori se respicieure. Tum Ceroferarii extinguunt cereos in majoribus candelabris accensos, si fuerint accensi ante consecrationem, præmissis de more in medio genuflexionibus, & Altari caveant renes vertere; si Ceroferarii non adsint, aut sint impediti, horum vices alii debent supplere, seu supradictos cereos extinguere debent.

XLVII. Induto Calice Subdiaconus, & revoluta super bursam anteriori Veli parte, Calicem ipsum movet ab Altari, illudque per viam breviorem ad Credentiam defert, facta genuflexione in medio super infimum Altaris gradum, & ne aliquid de Calice cadat, illum tenet manu sinistra per nodum, & manu dextera super bursam posita. Ubi hunc posuerit super Credentiam, partem ejus anteriorem, quæ revoluta jam erat super bursam, deponit, & anteriorem cooperit Calicis partem, ita ut apte cadat super credentiam; Calicem autem ad Credentiam defert Subdiaconus sine comite; quibus peractis sui muneris partibus, sine genuflexione redit ad suum locum retro post Diaconum, ut adsit ad Orationem.

CAPUT XXV.

De oratione Communio usque ad Missæ finem.

I. EO quia olim in actuali Populi communione alternatim in signum lætitiæ, & gratiarum actionis canebatur Psalmus præcipue 33. Benedicam Dominum in omni tempore, ubi refert Sanctus Clemens lib. 8. Constit. Apostolic. cap. 13. Antiphona hæc *communio* nuncupatur; cantus autem versiculorum prædicti Psalmi continuabatur usque dum absoluta adstantium communione diceretur *Gloria Patri &c.* quoque cum cantu, ac procederetur ad illas orationes canendas, quæ persolvebantur immediate post Eucharistiæ distributionem, qua ratione *postcommunio* inscribebantur; ita modo esto antiphona prædicta a Sacerdote celebrante dicatur post communionem, adhuc dicitur communio, quia secundum se canenda esset in Choro immediate post Agnus Dei, seu eodem tempore, quo ab eodem Celebrante sumitur sacrosanctum Christi Corpus, & Sanguis, uti fit de facto in Missis solemnibus, quando non sic facienda populi communio; quia in hac circumstantia hujus antiphonæ cantus reservatur pro tempore, in quo fiat populo Eucharistiæ distributio; juxta Gavantum parte 1. tit. 13. n. 1. & Bauldryum part. 3. cap. 7. tit. 12. aliosque.

II. Dicta a Celebrante Antiphona *communia* procedit ad absolvendas alias orationes, quæ inscribuntur, *Postcommunio*, ut supra, quia post peractam communionem dicuntur ad gratias Deo Altissimo peragendas pro tantis mysteriis, quorum nos benigne participes esse concessit; & ad postulanda simul auxilia, quibus eorumdem mysteriorum fructum conservemus, & sanctificationem nostram pro viribus semper magis, ac magis operemur. Post has orationes, quæ aliquando plures, aliquando sunt pauciores, juxta majorem, vel minorem collectarum numerum, quæ dictæ fuerint in Missæ principio, Tempore Quadragesimali celebrans cum formula illa: *Oremus, Humiliate capita vestra Deo*, procedit ad recitandam orationem super populum, quæ vetustissima est, & reperitur in Gelasiano Sacramentario pro omnibus anni diebus; olim enim continuo dicebatur, nunc ad Quadragesimale tempus, ut magis Divino præsidio muniatur populus, restricta; quia pœnitentiæ diebus Dæmonum insidiæ, magis quam aliis temporibus metuendæ videntur; uti cum Amalario lib. 3. de divinis officiis exponit Micrologus cap. 51. de Ecclesiasticis observationibus.

III. Absoluta ultima oratione procedit ad medium Altaris, quo osculato vertit se ad populum, quem salutat dicendo, *Dominus vobiscum*. Hanc ultimam salutationem populo exhibet Sacerdos, antequam illum abire sinat, quia, ut explicat Albertus Magnus cap. 23. cupiens, ut recedentes a Templo a Domino non recedant, dicit *Dominus vobiscum*; quod idem sonat, ac dicere, satagite, ut Dominus semper, ac in omnibus a vobis agendis vobiscum maneat, & numquam recedat; cui minister totius nomine populi respondet, *& cum spiritu tuo: quia Perfector sanctitatis*, prosequitur Albertus Magnus, *spiritualia semper, & non corporalia etiam post Missam operatur in populo*. Absoluta mutua hac salutatione, Celebrans populo potestatem facit abeundi ab Ecclesia, dicens: *Ite, Missa est*, seu ad propria redite, & de virtute in virtutem proficite, juxta illud Psalmi 83. ibunt de virtute in virtutem. Expositio est ejusdem Alberti.

IV. Ritus dimittendi Populum hac formula, *ite Missa est*, ab illa priscorum temporum disciplina originem traxit, quia, uti advertit Sanctus Clemens lib. 8. Constitut. Apostolicarum cap. 15. expleta illa Missæ parte, quæ *Cathecumenorum* dicebatur, hos ab Ecclesia Diaconus dimittebat, & Missa absoluta reliquos fideles pariter abire permittebat, his verbis, *ite in pace*. Neque enim ante impertitam hanc facultatem, olim ab Ecclesia discedere licebat fidelibus, juxta sacros Canones; ut videre est in Concilio Agatensi cap. 47., & Aurelianensi cap. 28. de Consecr.. Hanc Divus Chrysostomus Hom. de Ecclesia non contemnenda, sic habet: *Ingressus es in Ecclesiam, o Homo, ne exeas, nisi dimittaris*. Adde, quod in vetustioribus Liturgiis Græcorum peracto sacrificio mos erat dicendi, *ite in pace*; modo autem dicitur, *ite Missa est*, in sensu a D. Alberto supra exposito. Cur postea in aliquibus Missis dicatur, *Ite Missa est*, in aliis *Benedicamus Domino*, & in iis defunctorum, *Requiescant in pace*, ea ratio est, quia olim cum expleta Missa populus illa ab Ecclesia abibat, Celebrans in fine dicebat, *Ite Missa est*. Cum vero absoluta Missa populus adhuc tenebatur Horarum canonicarum recitationem expectare, prius quam illum dimittere, hunc cohortabatur sistere ad gratias ibi de expleto sacrificio Deo agendas verbis illis, *Benedicamus Domino*, hoc est prosequamur adhuc ad Deum benedicendum. Eadem prorsus de causa *Ite Missa est* omittitur in defunctorum Missis, quia scilicet expleta Missa, adhuc superrerant absolvenda pro defunctis suffragia; unde Diaconus illis verbis *requiescant in pace*, adstantes excitabat, ut orationibus insisterent ad quietem Defunctis a Deo impetrandam.

V. Cum Celebrans dixerit, *Ite Missa est*, aut *Benedicamus Domino*, Minister respondet *Deo gratias*, quæ verba non sunt mera additio, sicut contendit Vertus tom. 1. pag. 141. ubi laudat Clericos Parisienses, qui ea omittunt, sed sunt verba vetustissimi ritus, uti ostendit Le-Brun. tom. 1. pag. 668. notando ea haberi in Amalario, & Romanis Ordinibus. Ad id autem, quod adducit Vertus de Clericis Parisiensibus, abusum esse docet, & huic præferendam esse Carthusianorum consuetudinem, qui, etsi populo non benedicant, nec in fine Evangelium legant, continuo tamen dicunt *Ite Missa est*, respondente Ministro *Deo gratias*.

VI. Oratio illa *Placeat* cœpisse videtur sæculo IX. completo; reperitur enim in pluribus Sacramentariis post dictum sæculum scriptis. Non ita vetusta est consuetudo populum benedicendi in fine Missæ a Sacerdote non Episcopo; hæc enim benedictio in fine Missæ, teste Abbate Guidone, invalescere cœpit tempore undecimi sæculi, circa quod tempus ipse Abbas Guido floruit; unde ait: *Hinc & illa consuetudo apud modernos, quæ non fuit apud antiquos, inolevisse videtur, ut in aliis temporibus etiam Presbyteri post finem Missæ benedicant, ne populum ita benedictione, ut communione privatum, discedere permittant*. Loquitur enim hic de benedictione, quæ impertiebatur ab Episcopis, quæ vetustissima est, ut colligitur ex Honorio in Gemma animæ lib. 1. cap. 90. *Benedictionem Episcopalem Martialis Episcopus Apostolorum discipulus ex magisterio Apostolorum tradidit*. Cœpisse benedictionem in Missis ab omnibus dari Sacerdotibus circa sæculum undecimum, recolitur insuper ex eo, quod scriptores sæculi IX. Amalarius Florus, Valfridus, aliique de hac benedictione sileant. Cum Ritus benedicendi sub Missæ finem cœpit, tribus Crucis signis quisque Celebrans etiam simplex Sacerdos Episcoporum more benedicebat, etiam in Missis privatis: accedente postea sancto Pio V. hujus ritus reformatore, pro Presbyteris non Episcopis ad solas Missas solemnes fuit restrictus, & postea Clemens octavus uno tantum Crucis signo adhuc in solemnibus Missis simplices Celebrantes benedicere statuit, ut videri potest apud Meratum tom. 1. pag. 243. Olim benedictio dabatur etiam in Defunctorum Missis, intellige sæculo XI., modo autem non datur, quia, ut advertit Le-Brun tom. 1. pag. 685. in Missis de Requiem omnia omittuntur quæcumque alicujus sunt solemnitatis.

VII. Oratio illa *Placeat &c.* quam Celebrans dicit antequam populo benedicat, habetur per extensum in Micrologo cap. 23., nec non teste Cardinali Bona in Missalibus ante X. sæculum scriptis. Hanc Orationem refert Sotus ad Hymnum illum, quem Christum dixisse fertur Matthæi 26. peracta jam ultima cœna, in qua Sacramentum Eucharistiæ instituit: *& Hymno dicto exierunt &c.* Hac absoluta Oratione Celebrans osculatur Altare, quod mystice Christum ipsum refert, qui Dei Altare dicitur, unde Sacerdos Altare osculando juxta Innocentium III. lib. 1. cap. 15., in eo osculo compleri ostendit, quod Ecclesia sponsa expectat, dum dicit, *osculetur me osculo oris sui*. Sacerdo-

tis

tis vero benedictionem, quam Celebrans post Altaris osculum se convertens ad populum ipsi impertit, ad eam refert Porrecta cap. 16., quam Christus Dominus in cælum ascendens impertivit Apostolis suis, ut habetur Lucæ ultimo: *elevatis manibus benedixit eis*. Ex quo infertur, quam graviter in hac impertienda benedictione se se gerere debeat Celebrans, reminiscens, quod hic agit tamquam si esset Domini sui manus, quæ benedictionem hanc impertiret, ut nos hic docet Divus Antoninus dicens: *Manus Domini est Sacerdos*, Dom. 3. post Pascha.

R I T U A L I A.

VIII. Purificato a Celebrante Calice, ac extincto cereo Minister genuflectens in medio ascendit ad Altare ad cornu Evangelii, & librum defert clausum cum cussino, si cussini non sint duplicati, quod nos non approbamus; cum enim cussinus super Altare ad aliud non inserviat, nisi ad sustentandum librum, & ad hoc præstandum unus sufficiat, non est cur Altaris mensa debeat ulterius occupari cussinorum duplicatione ad impediendas sacras cæremonias: defert inquam librum clausum cum cussino ad cornu Epistolæ iterum de more genuflectens in medio supra gradum pradellæ proximiorem, per quem transit; & deposito libro descendens per lateralem Epistolæ partem, per planum redit ad cornu Evangelii, facta in medio iterum genuflexione, ubi genuflexus sistit super infimum gradum usque ad benedictionem, apte respondens &c.

IX. Celebrans se cruci inclinans a medio Altaris discedit, & vadit ad cornu Epistolæ, junctis de more manibus ante pectus, & ibidem sic junctis nulla absque reverentia, aut capitis inclinatione, clara ordinaria voce Antiphonam legit; post quam junctis itidem manibus convertendo ad Altare dextrum latus pergit ad medium Altaris, quo osculato, se de more vertit ad populum, & dicit *Dominus vobiscum*, & per eamdem viam sinistrum latus ad Altare convertendo naturaliter ambulando ad librum redit, ubi præmissa illa particula *Oremus*, cum debita Cruci inclinatione jungendo, & extendendo manus, alta ordinaria voce dicit Orationes, manibus extensis, quas jungit, & caput Cruci inclinat cum pervenit ad clausulam *per Christum Dominum nostrum &c.* quibus absolutis per se claudit librum manu dextera, claudit autem absoluta ex toto conclusione, & ita, ut foliorum pars sit, seu Altaris medium respiciat, & per consequens partem Evangelii, non autem Epistolæ. Clauso libro manus jungit de more ante pectus, & postquam Minister responderit *Amen*, se transfert ad medium Altaris, ubi deponendo manus hinc inde super Altare illud osculatur, ut supra, & more solito se vertit ad populum, ac dicit *Dominus vobiscum* clara ordinaria voce: qua salutatione persoluta cum extensione, & junctione manuum stans erectus clara quoque ordinaria voce subjungit dicens, *ite Missa est* absque ulla capitis inclinatione, adjungendo *Alleluia*, *Alleluja*, si Missam celebret in die, aut infra octavam Paschatis, & cum duplici quoque *Alleluja* respondet Minister *Deo gratias*. Inde eadem corporis compositione ad Altare se vertit; & si dicendum sit *Benedicamus Domino*, immediate peracta salutatione populi, se ad Altare convertit, & ibi stans erectus manibus junctis ante pectus alta ordinaria voce dicit *Benedicamus Domino*, Ministro respondente *Deo gratias*.

X. Stans itaque Celebrans ante medium Altaris junctis manibus, & inclinato capite inclinatione minimarum maxima, & aliquantulum quoque humeris inclinatis, dicit secreto *Placeat tibi Sancta Trinitas &c.* tum si memoriter retineat, tum si non, ad evitandum periculum obtruncationis verborum, consulitur Celebrans hanc Orationem legere in Tabella; unde ne indecore cogatur corpus intorquere propter Calicis impedimentum, poterit Calicis velum decenter removere, ut commode legere possit. Hac dicta Oratione & osculato Altari, se erigens versus Altare oculos ad cælum elevat, seu ad Crucifixi Imaginem, & simul manus, non supra humerorum altitudinem, quas extendit, & jungit dicens *Benedicat vos omnipotens Deus* inclinando caput cruci; inde a parte Epistolæ se vertens ad populum sinistra de more pectori admota, dextera manu extensa, ac digitis unitis, stansque erectus demissis oculis populo benedicit, ac prosequens *Pater, & filius &c.* circulum perficit, crucem autem in actu benedictionis efformare debet duabus lineis, ita ut linea recta non excedat longitudinem a fronte ad pectus, & linea transversa non se extendat ultra latitudinem, quæ intercedit ab humero ad humerum, manu semper extensa, quam elevat dicendo *Pater*, & deprimit ad vocem *Filius*; pro linea postea transversali efformanda, manum ducit ad sinistrum latus cum dicit *Spiritus*, ad dextrum vero cum profert *Sanctus*, & versus populum sistit erectus, donec Minister responderit *Amen*.

XI. Si ante ipsum in Choro haberet Celebrans Clerum, aut Moniales, his non-obstantibus se vertere debet, ut supra, ad populum, eumque benedicere directa intentione ad omnes, etiamsi in Ecclesia, seu Capella non adesset nisi solus inserviens Minister, & sic circulum perficere. Hac impertita benedictione parvam crucem pollice dexteræ manus efformat super Altare in loco Evangelii, vel super librum, si peculiare sit legendum Evangelium; si autem commune Sancti Joannis, signat Tabellam in qua continetur, si in promptu sit, sin autem signat Altare, & postea frontem, os, & pectus, ut in primo Evangelio, indeque responso a Ministro *Gloria tibi Domine*, prosequitur Evangelium. Olim Evangelium Sancti Joannis in fine Missæ non ab omnibus legebatur, sed unusquisque pro arbitrio illud omittere, aut recitare poterat: Sanctus postea Pius V. in reformatione Missalis Romani ad jugem Incarnati Verbi recordationem expedire existimavit, ut ab omnibus regulariter legeretur, quotiescumque juxta Rubricas non sit aliud peculiare Evangelium substituendum; in quo casu Minister cum Sacerdos dicit, *Placeat tibi sancta Trinitas*, surgit, & transiens ante medium Altaris genuflectit, & ascendens per partem anteriorem graduum a parte Epistolæ accipit Missale, illudque defert ad cornu Evangelii genuflectendo in medio; & hoc facit ita tempestive, ut possit genuflectere ad benedictionem ante medium Altaris saltem.

XII. Cum Celebrans legendo Evangelium Sancti Joannis ad illa verba pervenit, *Et Verbum caro factum est*, genuflectit unico genu, non versus crucem, aut in medio Altaris, sed versus librum Evangelii, manibus hinc inde super Altare positis; Minister quoque ad supra dicta verba, eodem tempore, quo Celebrans genuflectit, debet genuflectere unico genu facie ad Altare conversa, ad cujus Evangelii finem stans a parte Epistolæ respondet *Deo gratias*. Post finem bujus ultimi Evangelii, sive communis, sive peculiaris, Celebrans non osculatur librum, seu Tabellam, nec Altare, sed tantum dextera manu claudit librum, si eo usus sit. Ad finem Minister clara intelligibili voce respondet, *Deo gratias*.

XIII. His omnibus peractis, Minister extinguit Candelas, & accepto Missali ante infimum Altaris gradum descendit cum birreto ad cornu Epistolæ, ut Celebrans commode manu possit birretum accipere: caveat autem Minister, ne birretum deponat, seu collocet super Missale. Interim Sacerdos sinistra Calicem accipit, revoluta prius super bursam parte anteriori veli; accipit autem de more, ut in principio, cum ad Altare celebraturus accessit, & descendit retrahens se aliquantulum prius ad partem Evangelii facie conversa ad cornu Epistolæ, cum debitis cautionibus descendit, ne conculcando pedibus albam, se, & Calicem confundat. Cum ad planum pervenit se iterum ad Altare convertit, caput inclinat, vel genuflectit, si in eo sit Tabernaculum SS. Sacramenti; inde a Ministro semper genuflectente cum Celebrans caput inclinat &c. birretum accipit, & caput cooperit, & præcedente sibi Ministro, eo modo, quo in principio accessit celebraturus ad Altare, redit ad sacristiam, & capite operto inclinat se Immagini principali profunde, deponendo Calicem, & caput discooperiendo, si qui sunt Sacerdotes salutat.

XIV. Minister se profunde inclinans cum ipso Celebrante Imagini principaliori sacristiæ, accipit a Sacerdote cum nova reverentia, & quasi osculo birretum, illud cum Missali loco congruo reponit, deinde se sistens ad sinistram Celebrantis, ei inservit in exuendis Sacerdotalibus paramentis: Celebrans interim prosequitur sub Antiphona *trium puerorum*, *&c.* Canticum *Benedicite &c.* quæ duplicatur in duplicibus, ac Missis Votivis solemnibus; tempore autem Paschali additur insuper Alleluja.

XV. Si Celebrans dimissurus sit paramenta apud Altare, in quo celebravit, jam facta in Altaris medio Cruci inclinatione minimarum maxima, ad cornu Evangelii se transfert, ubi paramenta deponit, sibi adjuvante ut supra Ministro. His peractis genuflexus in loco consueto gratias agit, &c.

R I T U A L I A

Pro Missa solemni.

XVI. Diaconus, qui jam post conclusionem ultimæ orationis ad medium Altaris se contulit cum Celebrante, præmissa genuflexione versus Altare, in loco in quo est, eo tempore, quo Celebrans osculatur Altare dicturus *Dominus vobiscum*, convertit se ad populum, a suo latere sinistro se vertendo ad dextrum: & stans pro ut celebrans facie conversa ad populum, non vero ad cornu Epistolæ, manibus de more ante pectus junctis, tono competenti cantat *Ite Missa est*; quod neque submissa voce dicit Celebrans, aut Subdiaconus, qui nec se vertit ad populum, & hic per latus Epistolæ una cum Celebrante se vertit ad Altare. Si sit dicendum *Benedicamus Domino*, *aut Requiescant in pace*, Diaconus hæc canit absque eo, quod se vertat ad populum, cum celebrans se verterit ad Altare; in utroque casu semper Choro respondente cum cantu *Deo gratias*.

XVII. Si dicenda sit oratio super populum, ut in Quadragesima a feria 4. Cinerum usque ad feriam quartam majoris hebdomadæ inclusive, cantato per Celebrantem *Oremus*, Diaconus in cornu Epistolæ sine prævia genuflexione vertit se ad populum, per latus suum dextrum, & junctis ante pectus manibus cantat, *Humilitate capita vestra* tono, ut supra, competenti, & oculis demissis; quo dicto per eumdem vertit se ad Altare, a tergo Celebrantis, & omnibus caput inclinantibus præter Celebrantem, Celebrans ipse orationem dicit super populum.

XVIII. Postquam Diaconus cum cantu dixerit *Ite Missa est*, Celebrans se convertens ad Altare, ut in Missa privata, dicit submissa voce *Placeat &c.* & osculatur Altare daturus benedictionem; pro qua suscipienda genuflectunt omnes, tum ministri, tum populus, & se signo crucis muniunt, dum Celebrans benedicit dicens *Pater*, *&c.* ministri autem genuflexi, & super se aliquantulum inclinantes, distant equaliter inter se; Diaconus a dextris Celebrantis super secundum Altaris gradum versus cornu Epistolæ, Subdiaconus super eumdem gradum a sinistris Diaconi paululum versus cornu Evangelii, & Cæremoniarius in cornu Epistolæ; reliqui vero Clerici in plano locorum suorum genuflectunt, profunde se inclinantes, dum Celebrans ut supra benedicit populo.

XIX. Cum Celebrans dicit Evangelium ultimum, Subdiaconus sustinet ante ipsum Tabellam ejusdem Evangelii; & si peculiare legendum sit, dum Celebrans dicit *Placeat tibi Sancta Trinitas*, Subdia-

diaconus genuflectens ubi est, ad librum accedit, & eum deferens, a sinistris Diaconi iterum genuflectit in secundo gradu, ut ibi recipiat benedictionem; inde tempestive ascendens ad Altare, librum deponit in cornu Evangelii, eumque sustinet dum Celebrans legit, ut supra. Interim Diaconus stat in secundo gradu inter Celebrantem, & Subdiaconum, aliquantulum post ipsum Celebrantem, ne impediatur a lectione. Cum dicitur, *Et Verbum caro &c.* Celebrans, & Diaconus genuflectunt versus librum, & Subdiaconus non genuflectit, si Tabellam, aut librum sustineat; quorum si neutrum teneat, genuflectit & ipse cum Celebrante &c. Reliqui Clerici genuflectunt omnes versus Altare; & genuflectunt, & caput inclinant toties, quoties Celebrans genuflectit, & caput inclinat. Tandem in fine Evangelii respondet Subdiaconus *Deo gratias*, Diacono Missale claudente, si Celebrans peculiare legerit Evangelium.

XXI. Prope finem Evangelii Cæremoniarius accipit birreta, & Ceroferarii accipiunt Candelabra, ut præsto sint cum cæteris Clericis ad genuflectendum in medio, dum Celebrans, & Ministri ante regressum ad sacristiam genuflectunt. Acceptis Candelabris præit ad Altare secundus Cæremoniarius, quem sequitur Thuriferarius, & Navicularius, uterque vacuus, tum sequuntur Ceroferarii cum Candelabris, post quos ambulant Acolythi pariter vacui, omnes se disponentes ante Altare in linea recta simul cum primo Cæremoniario ut in Missæ principio. Clerici animadvertant, ut ita opportune ad medium accedant, quod una cum Celebrante, & Ministris genuflectere possint, ne citius pervenientes cogantur multiplicare genuflexiones. Genuflectente Celebrante, si adsit in Tabernaculo Sacramentum, aliter tantum se inclinante, Ministri, & reliqui omnes genuflectunt semper, Diaconus, & Subdiaconus super infimum Altaris gradum, cæteri vero in plano. Hinc Diaconus accipiens birretum a Cæremoniario primo, sibi ab eo porrectum cum quasi osculo, hunc exhibet Celebranti, qui sibi caput cooperit. Ministri quoque suum assumentes, quisque birretum, se cooperiunt; ac præeunte secundo Cæremoniario, absque ulla reverentia, manibus de more junctis, omnes redeunt ad sacristiam, eo ordine, quo recedentes ab ipsa, ad Altare processerant. Cum perveniunt ad sacristiam profunde sese inclinant Imagini principaliori omnes simul, deinde Ministri, & cæteri omnes minus profunde sese inclinant Celebranti, qui parva capitis inclinatione eis correspondet, absque ulla prorsus benedictione. His peractis Diaconus, & Subdiaconus, cum assistentia primi Cæremoniarii exuunt Celebrantem, & Acolythi postea inserviunt Ministris se expoliantibus. Interim secundus Cæremoniarius cum Thuriferario, Navicularío, & Ceroferariis, asportant in sacristiam ex Altari ea quæ sunt asportanda, plicant plicanda, & redeunt, & postquam deposuerint cottas, ac paululum oraverint, omnes discedunt in pace.

De Defunctorum Missis jam fuse disseruimus Tom. 2. ubi Decreta ad has pertinentia expoluimus. Hinc autem, ut ad manus habeantur, quæ præcipue in earumdem celebratione servanda præscribuntur, summatim collecta exhibentur.

Manuductio ad Defunctorum Missas rite celebrandas juxta Rubricas, Decreta, & celebriores Auctores.

CAPUT XXVI.

De Missis quotidianis.

I. MIssæ quotidianæ eæ dicuntur, quæ extra dies Commemorationis omnium fidelium Defunctorum, obitus, seu depositiones quasi obitus, & anniversarii celebrantur, & pro iis assignatur, seu dicenda est quarta Missa, & quidem esto pro Summis Pontificibus, vel Episcopis illa fiet, seu celebretur. In illis Missis tres, ut minimum orationes dicuntur, quarum prima semper erit de eo, pro quo Sacrificium offertur, secunda pro Sacerdotis libito; una debet, seu potest assumi ex iis, quæ in Missali describuntur, excepta illa *Fidelium*, quæ semper debet esse ultima ex Decreto S. R. C. sequenti.

DECRETUM PRIMUM.

II. *In Missis quotidianis, quæ pro Defunctis celebrantur, possunt quidem dici plures orationes, quam tres, sed curandum, ut sint numero impares, & aliquando pro illa* Deus veniæ largitor *impune subrogatur alia v. g. pro Patre, & Matre &c. dummodo ultimo loco dicatur illa* Fidelium. S. R. C. 2. Septem. 1741. In Aquen. Hoc Decretum quoad Orationum imparilitatem potius consultivum censetur, quam præceptivum; quo vero ad dicendum ultimo loco orationem *Fidelium*, in Missis quotidianis dubio procul præceptivum est.

III. Secus est de Missa, quæ prima die mensis, & in feriis secundis non impeditis per Rubricas generaliter pro Defunctis dici mandatur; cum enim hæc *pro defunctis Sacerdotibus Benefactoribus, & aliis*, sit dici præscripta, consonanter etiam in Missam quotidianam invectæ fuerunt orationes pro Sacerdotibus, *Deus, qui inter Apostolicos*, pro Benefactoribus, *Deus veniæ largitor*, & pro aliis, *Fidelium Deus omnium conditor*, ut videlicet in tali circumstantia, non in alia dicantur, instar Officii defunctorum, quod in Breviario cum iisdem tribus orationibus absolvitur, non ut cum iisdem in omni circumstantia terminetur, alias superfluæ omnino forent, quæ ibi subduntur orationes aliæ, sed ut sic absolvatur, in, & sola occasione suffragiorum generalium. Quæ occasio, cum una sit, in qua de mandato Rubricæ per annum dicitur Officium, & Defunctorum Missa, in quibusvis aliis de Sacerdotum placito, propterea rite in illa invectæ fuerunt memoratæ orationes, & in iis positum est exemplum pro respective convenientibus collectis in Officio, & Missis de placito. Hinc error illorum crassus deprehenditur Sacerdotum, qui pro quocumque celebrent Missam de Requiem, prædictas tres semper usitant orationes, nimis ridicule pro fœmina, aut viro laico, orationem Pontificum, & Sacerdotum in Missis recitantes, & proprium defunctum omnino prætereuntes, expoliant speciali collectarum impetrationis fructu; seu hunc, quem sibi integrum applicari intendit fructum, saltem aliis communem reddunt, quando adhuc ille in oratione itidem comprehensus esset. Prædictæ tamen tres orationes congruenter dici poterunt in Missa, quæ in qualibet alia occasione pro defunctis generaliter applicatur, nisi duas primas (tertia namque semper est *Fidelium*) præscribat, qui eleemosynam præbet, aut alias dicere placeat Celebranti, cui integrum est in tali casu, pro quocumque maluerit, in duabus primis orationibus specialiter deprecari.

IV. In Missis quotidianis tamen non ita tres orationes dici mandantur, ut juxta Rubricam plures, quam tres dici non valeant, sicuti fit in feriis, atque simplicibus; *sed curandum*, ait Sac. R. C. in supradicto Decreto, *ut sint numero impares*, quinque, aut septem nempe, & non ultra, ut dicebamus, ne tædio afficiantur adstantes. Verbum autem, *curandum*, ubertim designat consultius quidem esse, ut impar numerus teneatur, ob Mysteria, quibus innititur, sed minime necessarium, quando plures, quam tres dicuntur orationes in Missa, uti expresse definit eadem S. R. C. sequenti Decreto.

DECRETUM II.

Non est omittenda una ex assignatis orationibus in Missa, veluti, tertia A cunctis, *si secunda esset de festo simplici, ut ejus loco dicatur oratio imperata, veluti*, Deus refugium; *sed post tertiam orationem* A cunctis, *potest & imperata dici, cum in Missa de semiduplici, vel simplici, vel votiva non sint necessario dicendæ collectæ impares, puta tres, quinque, vel septem.* S. R. C. 2. Decemb. 1684. in una Can. Reg. Lat. Quoties igitur numerus ternarius orationum exceditur, prima erit de eo pro quo sacrificatur, & omnium aliarum ultima *Fidelium*. Orationes autem quæ infra has duas recitantur erunt ad libitum Celebrantis, nisi earumdem aliqua a Fundatore, aut ab erogante stipem in specie demandata foret, vel a superioribus indicta. In hujusmodi orationibus dicendis hic ordo servatur, seu servari laudatur, ut orationes peculiares ponantur ante generales, & minus generales ante generaliores.

V. Quando Missa quotidiana solemniter celebratur, non tenet regula de orationum pluralitate; intellige tamen de solemnitate, quæ attenditur ex concursu Populi apparatu, seu pompa exteriori, & ex his adhuc relative ad Ecclesias ipsas, in quibus talis celebratur solemnitas, ita ut in pauperioribus, & ab hominum commercio dissitis, etiam modicus concursus, vel exterior pompa sufficiat; non vero in ditioribus, atque frequentioribus, quibus vix copulative modica ad effectum valeat suffragari. Solemnitas, quæ exigitur ut Missa quotidiana cantari possit sub unica oratione, non est illa, quam in Missam invehunt Ministri Sacri, alias ubi semper cum Ministris cantatur, semper sub unica oratione absolvi deberet. Si sermo sit de Missis quotidianis, quæ per Testatores statis diebus cantari mandantur, in duplicibus usque majoribus, anniversariorum instar juxta S. R. C. Decreta; onde utile reperiunt spatium, non leve sit argumentum, privilegio unicæ orationis similiter esse donatas; quod in utroque casu commune esse etiam privatis Missis, exemplum anniversariorum, aliorumque superius recensitorum dierum ubertim ostendit, dum in his gaudent privilegio unicæ orationis etiam Missæ privatæ, cum quibus consociatur solemnis, atque cantata, cui decens quidem est illæ quoque conformes sint. Quæ autem ex Missis quotidianis sub unica dicuntur oratione, sequentiam exposcunt, unde in iis dicenda erit; secus in illis, quæ pluribus cum orationibus celebrantur, sed sequentiam recitare arbitrio relinquitur Celebrantis.

VI. Ad Defunctorum orationes, quæ in fine Missalis habentur, quod attinet, non nisi, ut supra monuimus dicendas esse, non vero in die obitus, anniversario, aliisque memoratis diebus, pro quocumque (exceptis solum Summis Pontificibus, & Episcopis) fiat Missa, non est quod vocetur in dubium, alias quippe cum ibidem peculiares habeantur collectæ pro quolibet personarum genere, nunquam in usu forent orationes prædictorum dierum, quas tanquam eorumdem Missis proprias consulto Rubrica assignat. Littera N. in orationibus posita profecto nomen defuncti postulat exprimendum in ejusdem orationis recitatione, cui nomini respectiva super addenda est Ecclesiastica dignitas, qua fruebatur defunctus in Ecclesiastica Hierarchia, hoc est *Episcopi*, *Presbyteri*, vel *Diaconi*, *Cardinalis*, aut *Sacerdotis*, vel *Abbatis*, & fortasse adhuc sæcularis, *Imperatoris*, *Regis*, *Ducis*, seu *Principis*, ducto exemplo a Missali Romano, quod dignitates hujusmodi minime præterit, alias vero quascumque, dum nullibi exprimit, silentio suo tacendas indicit. Si qui exprimendi sint numero plures, eorum silentur nomina, & sola in plurali exprimitur dignitas, si tamen ejusdem omnes fuerint dignitatis, dicendo v. g. *famulos tuos Pontifices*, vel *famulorum tuorum Sacerdotum*, juxta exigentiam textus orationis, vel simpliciter, *famulos tuos*, vel *famulorum tuorum*, si dignitas non sit exprimenda. Quod si fuerint dumtaxat duo, aut tres, exprimi poterunt eorumdem nomina cuique addita respectiva dignitate, si sint dissimilis dignitatis; post cuncta vero nomina in plurali numero prolata, si fuerint similis dignitatis.

taris. Quoties vero ob pluralitatem nomina non exprimuntur, & diversa est eorumdem dignitas, siletur & ista, & simpliciter dicitur *famulos tuos*, vel *famulorum tuorum*, nisi omnes essent Pontifices, & Sacerdotes, quo in casu adhibenda est oratio, seu esset dicenda oratio: *Deus qui inter Apostolicos*, quæ utramque concinne exprimit dignitatem. Quando defuncti plures, ut supra, non sunt, & exprimenda est dignitas, convenit etiam quod nomen ipsum singulatim exprimatur, etsi litteram N. oratio minime teneat. In Oratione *Deus, qui nos Patrem*, abstineat Celebrans ab expressione dignitatis, si ejusdem Pater postea fuerit Sacerdos, Cardinalis, vel Episcopus, sive ex legitimo, & eo magis si ex fornicario sit natus &c. Filii quippe Presbyterorum nepotes vocantur juxta legum jura.

VII. Defunctorum orationes locum habent etiam in Missis vivorum simplicium, scilicet, & feriarum, loquendo de oratione *Fidelium*, quoties vi Rubricarum pro defunctis generaliter additur in prima die mensis, aut in feriis secundis non impeditis, & tunc cessat una ex orationibus vivorum, quæ alias addi deberet juxta temporum varietatem; non cessat vero, quando Defunctorum collectæ, quæ diebus omnibus, quibus non prohibetur Missa de requiem, pro Sacerdotum libito addi valent in Missis vivorum, adduntur ex particulari pietate, sed collectæ omnes vivorum dicendæ sunt, perinde ac si in iisdem Missis nulla oratio diceretur pro Defunctis; in utroque autem casu Defunctorum collectæ penultimum semper debent habere locum, ex quo manifeste eruitur non nisi unicam collectam pro Defunctis dici posse in Vivorum Missis; & hæc omnia juxta sequens S. R. C. Decretum.

DECRETUM III.

In Missa privata de festo semiduplici, simplici, seu votiva, vel de infra octavam, sive de feria non privilegiata, potest in penultimo loco dici collecta pro particulari Defuncto, puta: Inclina, *vel* Deus, qui nos Patrem &c. *& similia, sed ob id non est omittenda ulla ex collectis pro tempore assignatis, puta*, A cunctis, *vel* Ecclesiæ. S. R. C. 2. Decemb. 1684. in una Can. Reg. Lat.

VIII. De diebus in quibus licite Missæ Defunctorum celebrari possunt modo sermonem instituendum aggredimur. Inter tempora quibus districte inhibentur privatæ Defunctorum Missæ, enumerantur præcipue Vigiliæ Epiphaniæ, Pentecostes, & Dominicæ Nativitatis, feria IV. Cinerum, dies majoris hebdomadæ, & infra octavas Epiphaniæ, Paschæ, Pentecostes, Corporis Christi, & Nativitatis Domini, quælibet dies festivæ de præcepto esto sine officio, aut in qua officium duplex recurrit: & ab hac regula generali abit commemoratio omnium fidelium defunctorum, quæ in casu incidentiæ cum officio duplici minori, lugubribus, etiam privatis, est honoranda Missis, quod privilegium factum quoque noscimus annuis commemorationibus, quas solemniter de suis Defunctis Regulares Ordines facere consuescunt.

IX. Missa de Requiem itidem, ne in Ecclesia fiat, in qua Ss. patet expositum Sacramentum, regulariter statuunt Decreta, ut videre est in sequenti.

DECRETUM IV.

Durante expositione Sanctissimi Sacramenti occasione quadraginta horarum, regulariter celebrari non potest Missa privata de Requiem, licet occurrat officium hujusmodi Missas admittens: neque cantari potest Missa Defunctorum pro adimplenda mente Testatoris, sive anniversario satisfaciendo. S. R. C. 2. Decemb. 1684. in una Can. Lat. Ab hac lege tamen excipienda est adhuc commemoratio supradicta omnium fidelium Defunctorum, & fortasse etiam Regularium ordinum, tam quoad solemnem, quam quoad privatas Missas, nec non dies illi quantum ad conventualem Missam, quoties hæc vi rubricarum dici mandatur; secus vero si tantum indulgeatur. Universim vero abstinendum est a Defunctorum Missis in Ecclesia, in qua festum agitur cum solemnitate licet sine officio, & idipsum faciendum est in qualibet Ecclesia, in qua officium duplex recurrit. At quid si Celebrans habeat officium semiduplex, & duplici incumbat Ecclesia? A Defunctorum Missis etiam abstinere debet, certe si Ecclesia sit Choralis, saltem de congruo, si sit ex insignibus, in quibus scilicet plures celebrant; solum pro libito, quatenus sit aliquod Oratorium, vel Ecclesiola. E contra vero si Sacerdos officium duplex recitet, & simplex in Ecclesia recurrat officium; quæcumque hæc sit, Missam Defunctorum celebrare non potest; neque si ea in Ecclesia mortualis aliqua occurrat solemnitas, puta diei obitus, aut anniversarii, & hoc juxta recenter emanatam S. R. C. Decisionem.

DECRETUM V.

Cum contingat sæpius in Ecclesiis Regularium, vel aliis, præsertim in die obitus, seu anniversario Defunctorum, Missæ celebrari a confluentibus Sacerdotibus, supplicatur declarari, an Sacerdotes, qui recitant officium de festo duplici, confluentes ad Ecclesias sive Regularium, sive aliorum, ubi dicitur officium de semiduplici, possint ibi dicere Missas privatas Defunctorum. Responsum fuit negative. S. R. C. 7. Maji 1747. in Varsavien. Sive igitur officium Ecclesiæ in qua fit Missa, aut officium Sacerdotis, qui Missam vult facere, duplex sit, in nullo ex his casibus a Sacerdote celebrari potest Defunctorum Missa.

X. Dubium modo superest, quænam Missa in casu fieri possit, aut debeat; & certum est, quod veteribus attentis Decretis, Sacerdotes celebrantes in Ecclesiis, in quibus festum agitur cum solemnitate, & concursu populi, tenentur se conformare Ecclesiæ, & quoad Missam, & quantum ad colorem paramentorum; diebus vero, quibus festum absque solemnitate celebratur, eadem definiunt Decreta, quod prædicti Sacerdotes possunt quidem, sed non tenentur se uniformare Ecclesiæ, nisi in colore, quem servare debent, quamcumque Missam ipsi celebrent, saltem quoties duplex est Ecclesiæ officium. Nunc autem sequens prodiit Decretum.

DECRETUM VI.

Recitantes officium de Martyre, & celebrantes in Ecclesiis, ubi dicitur de Confessore, utrum debeant se conformare in colore illis Ecclesiis, etiamsi ibi nulla sit solemnitas? Responsum fuit affirmative, etiam quoad Missam, quæ non poterit celebrari de Confessore, si color fuerit Rubeus. S. R. C. 7. Maji 1746. In Varsavien. Quam subdimus igitur approbari videtur regula, ita ut celebrantes in Ecclesiis, in quibus festum agitur cum solemnitate, teneantur se iisdem conformare tam in Missa, quam in colore; si vero absque solemnitate agitur, necesse est teneatur color, non vero eadem Missa. Ita quidem si idem sit color, quem exigunt officia celebrantis, & Ecclesiæ; sed si color officii celebrantis diversus sit a colore officii Ecclesiæ, tunc Celebrans non potest amplius celebrare Missam de suo officio sub colore Ecclesiæ, sed debet se conformare Ecclesiæ in colore simul ac Missa. Videantur nostra commentaria, Tom. 3. cap. 13.

XI. In diebus, ut supra non exceptis, utile adeo reperiunt spatium mortuorum Missæ, ut clausula illa: *Id vero passim non fiat nisi rationabili de caussa, & quoad fieri potest Missa cum officio conveniat*: quam adjunctam legimus Missis votivis, ad uberius Defunctorum suffragium, quod his fortasse obvenit ex propriis, & expressioribus collectis, prædictas Missas non afficiendas esse crediderit Rubricarum Auctor. Diebus, quibus Missæ privatæ, ut supra, licitæ sunt, aut vetitæ, dubium non est, etiam solemnes, & cantatas generatim esse permissas, aut prohibitas. Speciatim vero in die obitus, seu depositionis, si præsens sit cadaver, unica solemnis haberi potest Missa, omnibus indistincte diebus, dumtaxat exceptis Nativitate Christi, Epiphania, triduo mortis Christi, die prima Paschæ, & Pentecostes, festo Corporis Christi; & hic lubens adjice Ascensionem Domini, Assumptionem Deiparæ, Festum Titularis, aliudve, quod in Ecclesia, in qua est celebrandum, admodum haberetur solemne, ac una tempus, in quo in eadem Ss. Sacramentum est publice expositum. Diximus *si præsens sit cadaver*; quia hoc absente, in integrum stat superius producta lex pro Missis privatis, quæ solum laxatur in duplicibus minoribus, atque majoribus: hæc enim si festiva non sint, admittunt Missam solemnem, seu cantatam de Requiem.

XII. Ne Defunctorum suffragia, quæ ex Missis privilegiatis de Requiem potius quam ex Missis privilegiatis vivorum eis uberiora obvenire posse opinantur, occasione expositionis Sanctissimi Sacramenti, eisdem prorsus minuantur, Sacra de Indulgentiis Sacrisque Reliquiis Congregatio declaravit Vivorum Missas in Altari Privilegiato celebratas, ubi expositum Ss. Sacramentum extat, Defunctis prodesse prorsus, ac si de Requiem fuissent celebratæ, ut videre est in subsequenti Decreto.

DECRETUM VII.

Missa de semiduplici, vel voto, vel de feria celebrata in Altari privilegiato, in quo est expositum Ss. Eucharistiæ Sacramentum, sive in Ostensorio, sive in Ciborio, suffragatur Defunctis, ac si de Requiem diceretur. S. C. de Indulg. sacrisque Reliq. 20. Julii 1751. Hoc ex Decreto inferendum est, quod Missæ vivorum, si ad Altare privilegiatum absolvantur, gaudent privilegio Altari indulto, ac si de Requiem celebrarentur, & hoc non solum quoad essentiale, sed etiam quoad illud accidentale suffragium, quod uberius animabus Purgatorii obvenire posse opinatur ex propriis, & expressioribus orationibus, quæ in earum Missis absolvuntur. Pro quibus hic monendum censeo, unius sacrificii Missæ privilegiatæ fructum, seu suffragium, applicari non posse pro pluribus, sed tantum pro uno, vel pro una; cum enim adinstar se habeat Indulgentiarum plenissimarum animabus purgatorii per modum suffragii applicabilium, quæ inter plures partiri nequeunt, decipiuntur admodum fideles, qui fructum, aut unius Missæ privilegiatæ, aut unius plenariæ Indulgentiæ per modum suffragii pluribus applicant Purgantibus. Suam profecto amittit plenitudinem Indulgentia plenaria in plurium distributione, nec suum servare potest privilegium Missa, quæ pro pluribus applicetur, nisi privilegium esset indultum ad plures etiam animas a purgatorii pœnis uno sacrificio simul liberandas, de quo exemplum non habemus.

XIII. Quos fecimus modo Missæ solemni, aut cantatæ, absente corpore, limites, sunt itidem Missæ anniversarii, diei quasi obitus, dierum 3. 7. & 30. atque Missarum, quæ ex Testatorum dispositione, sunt *statis diebus* cantari relictæ; nam iis, quæ simpliciter sunt demandatæ, usque modo nullus favor factus legitur. Commemoratio autem Defunctorum universalis Ecclesiæ, & Regularium ordinum, in duplici solum minori, gaudet privilegio mortualis missæ, quod commune non est tamen anniversariis Defunctorum particularium communitatum. Ubi absolute, vel solum cum gravi incommodo Missa solemnis, aut

aut cantata haberi nequit, præsente corpore privata de Requiem substitui potest in duplicibus saltem usque majoribus, in quibus etiam prædicta licita est substitutio pro anniversario, die obitus absente corpore, & die quasi obitus, non tamen pro diebus 3. 7. & 30. aut Missis ex Testatorum dispositione cantari relictis, quæ in Ecclesiis, in quibus beneficio translationis, aliis diebus in cantu, ut supra haberi non possunt, magis dicendæ erunt de die cum applicatione sacrificii, quam transferendæ, ut dicantur privatim de Requiem. Ratio autem substitutioni Missæ privatæ præsente corpore spatium amplius faciendum esse dictat, quare non incongrue ad summum dumtaxat excipies dies festivos, aut solemnes cum duplicibus primæ classis, & casum expositionis SS. Sacramenti. Anniversaria denique Missa, si in proprio die impedita maneat, in subsequentes, vel antecedentes transferri valet cum descripto privilegio, ita tamen ut in pari propinquitate translatio magis fieri debeat in diem sequentem, quam præcedentem. Eodem translationis, & privilegii beneficio gaudent dies quasi obitus 3. 7. & 30. Nec non Missæ certis diebus decantari mandatæ; sed quoad dies 3. 7. & 30. cavendum est, si fieri potest, ne eorum Missæ sibi invicem succedant, certe, ne Missa ver. gr. Diei 3. transferatur ultra diem 7., sed magis, quatenus dies omnes inter medii impediti sint, supplendæ illæ erunt in proprio die, cum Missa de die.

XIV. Die 2. Novembris non possunt licite fieri plures exequiæ, seu absolutiones in eadem Ecclesia; abutuntur profecto Rubricis Missalis, qui eodem in Templo eadem ipsa die exequias aut absolutiones iterantur.

C A P U T XXVII.

De Missis pro diebus Commemorationis omnium fidelium Defunctorum, Obitus, seu depositionis, quasi obitus, diei 3. 7. & 30. ac Anniversarii.

I. IN die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum sit prima Missa cum unica Oratione, prout in Missali jacet, cujus supplicatio ex Ecclesiæ præcepto obligata non est suffragio omnium Defunctorum, pro quibus siquis Sacerdos nollet eam applicare, adhuc teneretur dicere supradictam Missam (salva tantum libertate, quoad Epistolam, & Evangelium, de qua infra) cum pluribus etiam Orationibus (si fiat Missa quotidiana) quæ congruunt circumstantiis, & personis, in quibus, & pro quibus dicitur.

II. In die Obitus, seu depositionis secunda fit Missa cum Orationibus in ea descriptis; sed ab hac lege cum Rubrica excipiendi sunt Episcopi, & præcipue Summi Pontifices, pro quibus facienda est prima Missa, si pro Papa cum Oratione *Deus, qui inter Summos Sacerdotes*, si pro Episcopo cum Oratione *Deus qui inter Apostolicos*, vel *Da nobis Domine* addito *Episcopum, Cardinalem*, si Episcopus fuerit, & Cardinalis. Quæcumque vero dicatur Missa, & pro quocumque, in hac circumstantia, tam solemnis, quam privata, absolvitur cum unica Oratione, & sequentia.

III. Auctores plurimi, si non Rubrica ipsa, in eadem prima Missa distinguunt diem obitus, seu depositionis Cardinalium Presbyterorum, & Diaconorum, Regum, Principum, atque Magnatum; nec desunt, qui eamdem etiam ad simplices Sacerdotes extendunt. Quatenus uti placeat libertate, quam facit Rubrica post quartam Missam posita, *dicendi scilicet Epistolam, & Evangelium unius Missæ in alia*; utique cuique integrum est prædictorum, sicuti & quorumcumque aliorum diem obitus, seu depositionis, uti & alium quemlibet, eadem prima Missa, sicuti & quacumque alia (cum non differant nisi Epistola, & Evangelio, & Orationes semper competentes esse debeant circumstantiis atque Personis) honorare. At quoniam nonnisi consultius esse potest Defunctorum Missas dicere, prout ipsarum præfert titulus, nec ulterius distinguere, quam Rubricarum ipse Auctor, qui personarum diversitatem probe novit, distinguat in die obitus, seu depositionis aliorum omnium a Summis Pontificibus, & Episcopis, quos ille dumtaxat excipit, tu secundam Missam adhibe cum Oratione, *Deus cui proprium*, quæ a Missali tamquam propria assignatur in tali circumstantia dicenda. Quæ dicta sunt, tam de die obitus, quam depositionis, scilicet mortis, & sepulturæ.

IV. In die quasi obitus si occurrat pro Summo Pontifice, aut Episcopo celebrandum, dici debet prima Missa, ut supra, cum laudatis Orationibus, & pro ceteris aliis omnibus dici debet secunda Missa cum Oratione *quæsumus Domine*, in fine ejusdem Missæ positis, omisso to *tertium &c.* etsi horum adhuc aliquis occurreret, quia nihilominus ut talis non commemoratur, sed ut dies obitus, in ejusmodi Missis, etiam privatis, dicitur unica Oratio, & sequentia; is autem censetur dies quasi obitus, in quo primum habetur, seu pervenit notitia de morte alicujus in loco dissito.

V. In diebus 3. 7. & 30. quam diximus cum assignatis Orationibus pro Papa, & Episcopo, item prima celebratur Missa, pro reliquis secunda cum Oratione *Quæsumus Domine*, in iisdem expresso die 3. 7. aut 30., qui respective commemoratur, aut recurrit. Hos computandi dies plurimas rationes jam produximus nostris in Commentariis tom. 3. cap. 4., sed præstat illa, quæ enumerationem petit a die sepulturæ, seu magis, in qua solemnes sunt habitæ exequiæ, quarum prædicti dies reapse non sunt nisi prorogatio, atque sequela. An autem, & quando etiam ceteræ teneri valeant, satis fuse jam docuimus, unde contenti sumus dicere, quod Missæ ejusmodi etiam privatæ quoque celebrandæ sunt unica cum Oratione atque sequentia.

VI. In Anniversario Summi Pontificis, aut Episcopi, eadem prima quoque debet haberi Missa cum sæpe memoratis orationibus; ceterorum vero omnium absolvitur Missa tertia cum oratione *Deus indulgentiarum*, quæ sola item dicitur in privatis Missis cum sequentia. Anniversaria autem dies satius petitur a die obitus, quam sepulturæ, si sermo sit de anniversario Defunctorum alicujus communitatis; in hoc non pauci recitant tertiam Missam cum suis orationibus, nec reapse habent, unde carpantur. Cathedralium tamen Capitula, quæ annuam ejusmodi commemorationem de Defunctis Episcopis, & Sacerdotibus solemnem habent facere, primam Missam cum oratione, *Deus qui inter Apostolicos*, laudabilius adhibere videntur. Quod si extendas ad Collegiatarum Capitula, Regulares ordines, aliasque communitates, adhibitis orationibus, quæ respective competunt personis, quarum agitur commemoratio, aut iis de Anniversario, scilicet *Deus indulgentiarum*, absit, quod ego refrager. Prima enim Missa dici præscribitur in commemoratione omnium fidelium Defunctorum, cujus instar particulares illæ commemorationes sunt efformatæ. Missæ autem ejusmodi, etiam privatæ, unicam orationem exigunt, atque sequentiam.

R I T U A L I A.

VII. Ecclesia, quæ olim indistincte usa est in diebus afflictionis, & pro Defunctis, nigro colore, tamquam superni Regis sponsa miris colorum circumamicta varietatibus, postmodum distinguendum esse putavit, tamquam utrique proprium, Defunctis rite nigrum assignans, violaceum diebus afflictionis. Sed S. R. C. 21. Junii 1670. permisit etiam violaceum pro Defunctis adhiberi, ut videre est in sequenti Decreto.

D E C R E T U M P R I M U M.

Missæ Defunctorum non possunt celebrari nisi cum colore nigro, vel saltem violaceo. S. R. C. 21. Junii 1670. in Oritana.

Ex terminis ipsis, quibus exprimitur hoc in Decreto violacei coloris permissio pro mortuorum Missis absolvendis, manifeste evincitur hunc colorem adhibendum esse solum in subsidium, & nonnisi aliquali urgente necessitate. Colorem aureum pro nigro in Defunctorum functionibus peragendis adhuc æquivalere censet Pasqualigus; sed unanimis aliorum auctorum retragatur caterva; nec aliter profecto innuit dictio illa *saltem*, qua Sacra Congregatio utitur in memorata permissione; de sui enim natura quemcumque alium excludit colorem. Rejiciendi sunt quoque tamquam Rubricarum violatores ii, qui unam aurei coloris Planetam subsidiariam opinantur pro omnibus coloribus ad licite Missæ Sacrificium quotidie persolvendum; nec laudandi qui una varii coloris Planeta ad celebrandum omnibus utuntur anni diebus in vivorum Missis.

R I T U A L I A.

VIII. Sacerdos Missam celebraturus Defunctorum, potest quidem Psalmorum cum precibus recitationem omittere, qui dicuntur pro præparatione Missæ vivorum, juxta Gavantum part. 2. tit. 13. Rub. 1. & Bauldryum part. 3. tit. 13. num. 1. aliosque; satius tamen erit proculdubio hos, etiam pro hac præparatione recitare, & quidem cum *gloria Patri* in fine Psalmorum, & cum alleluja tempore Paschali ad finem antiphonæ; quia preces hujusmodi, non Missam, sed sequuntur officium, quod ad Missæ celebrandæ præparationem præcipue, ut dicebamus, fuit institutum. Dum Celebrans induitur Defunctorum paramentis, tenetur recitare orationes, quæ de more dicuntur, nec omittere oscula manipuli, stolæ, &c.

IX. In hac Missa non dicitur Psalmus *Judica me Deus*, sed dicta antiphona *Introibo ad Altare Dei*, respondente Ministro *ad Deum &c.* immediate subjungitur: *Adjutorium nostrum &c.* facit confessionem &c., & ad Altare ascendit recitando orationes, quæ de more dicuntur in Missis de tempore &c. Cum incipit introitum non signat se Crucis signo, sed tantum manu dextera signum Crucis in aere producit super librum, manu sinistra non pectori admota, sed interim aut super Librum, aut super Altare deposita; signum autem dicit quasi benedicens Defunctum, aut Defunctos, pro quo, vel pro quibus applicat sacrificii fructum. Cum pervenit ad finem introitus non dicit Gloria, sed immediate post Psalmum, iterum dicit *Requiem æternam*, &c. & quidem in plurali *dona eis Domine*, esto Missam celebret pro uno tantum, quia juxta Rubricarum ordinem, seu dispositionem Defunctus, seu Defuncti non debent individuari in Itroitu, sed in orationibus; nec post dicitur *Gloria in Excelsis*, quia solemnitatem sapit, atque lætitiam, quæ omnia in hac Missa excluduntur.

X. Cum legitur oratio pro Patre, ac Matre, legitur solum pro Patre, & Matre Sacerdotis; & si dicenda sit pro uno, vel alia tantum, adhuc uterque debet nominari in principio Orationis; deinde nominatur solus ille, vel illa, pro qua talis oratio dirigitur. In Missis Quotidianis in quibus, ut supra dicebamus, arbitrio Sacerdotis relinquitur recitatio sequentiæ, non est tamen in ejus dispositione legere cum sequentia unam tantum ex orationibus; sed indispensabiliter tres ad minus orationes debent

a Celebrante recitari in Missis Quotidianis, &c. In his Missis Celebrans non petit benedictionem, & per consequens omittit verba illa: *Jube Domine benedicere*, & *Dominus sit in corde meo*; & dicit solum *munda cor meum*; & quidem in medio Altaris modo consueto. Cum pervenit ad cornu Evangelii, signat de more Librum & se ipsum, nec ad finem ipsius Evangelii librum osculatur, & verba correlativa ad osculum: *Per Evangelica dicta*, &c. omittit: nunquam dicitur Credo, nec aqua benedicitur infundenda id Calicem; & a Ministro quoque Ampullarum oscula omittuntur, cum eas porrigit Celebranti; a quo non omittitur profecto oratio illa, *Deus qui humanæ substantiæ* &c.

XI. Cum manus lavat in fine illius Psalmi, *Lavabo inter innocentes &c.* non dicit *Gloria Patri*, *&c.* nec loco hujus potest *Requiem æternam*, *&c.* subrogare. Postquam recitaverit orationes secretas, incipit de more Præfationem, quæ semper debet esse illa communis. Ad *Agnus Dei* non dicitur *miserere nobis*, sed bis *Dona eis Requiem*, & semel in fine, *Dona eis requiem sempiternam*, manibus junctis ante pectus, non vero super Altare, quia hic pectoris percussiones omittuntur tam a Celebrante, quam a Ministro: non dicitur post *Agnus Dei* oratio illa, quæ dici mandatur ante Communionem in vivorum Missis, *Domine Jesu &c.* quia nunquam his in Missis datur pax, unde ea quoque omittuntur, quæ ad pacem sunt; oratio autem illa utique non dicitur nisi in ordine ad pacem. In fine non dicitur, *Ite Missa est*, nec *Benedicamus Domino*, sed *Requiescant in pace* semper in plurali, etiamsi pro uno tantum, vel pro una dicta fuerit missa, eadem ratione, quam supra dicebamus, & quidem dicitur stando versus Altare; unde Celebrans postquam Populum salutaverit dicendo *Dominus vobiscum*, immediate se vertens ad Altare, erectus, & manibus junctis ante pectus clara ordinaria voce dicit, *Requiescant in pace*, respondente Ministro, *Amen*. In his Missis, nec a simplici Sacerdote, nec ab Episcopo datur Benedictio, sed dicta illa oratione *Placeat*, &c. & osculato Altari accedit Celebrans ad cornu Evangelii, & dicto *Dominus vobiscum* legit Evangelium S. Joannis *In principio &c.*, quod semper legitur invariabiliter, eo modo, & ordine, ut in vivorum Missis.

RITUALIA.

Pro Missa solemni.

XII. Paratis in sacristia omnibus, quæ pro aliis Missis solemnibus disponi solent, excepto velo oblongo pro Subdiacono; & insuper in Capella simplici collocata Credentia, absque ornamentis, brevi contecta Tobalea parumper circa illam pendente, & posita prope Altare, nigro parato pallio, Cruce processionali ad cornu Epistolæ in loco congruo, indutis de more Celebrante, Ministris, & Clericis, ad Altare modo consueto procedunt, & ibi faciunt Confessionem, interim Choro *introitum*, *& Kyrie* cantante.

XIII. Absoluta confessione, ut supra diximus de missa privata, Celebrans, & Ministri ascendunt ad Altare, ubi nulla prævia ipsius Altaris incensatione, statim ad cornu Epistolæ accedunt, & voce submissa, & modo solito legit Celebrans *introitum*, & post *introitum* ibi stantes simul de more dicunt *Kyrie eleison*. Cum a Celebrante cantatur Oratio, seu Orationes, Clerici omnes genuflectunt, & sic remanent, usque ad finem ultimæ Orationis; quibus finitis se erigunt, & Subdiaconus in suo loco solito cantat Epistolam, postquam facta genuflexione in medio infimi gradus cum Cæremoniario, huic librum Epistolæ exhibet; neque enim post Epistolam osculatur Subdiaconus manum Celebrantis, &c. Tradito Cæremoniario Epistolæ libro, accedens Subdiaconus ad cornu Epistolæ, Missale transfert ad cornu Evangelii, facta in medio genuflexione, & ibi Celebranti assistit, dum legit submissa voce Evangelium.

XIV. Cum in Choro cantatur sequentia, si Celebrans velit procedere ad sedendum, quod utique convenit, Ministris genuflectentibus, & præcedentibus, uno post alium, Celebrans, manibus de more junctis ante pectus, sicut & Ministri, ut in aliis Missis fieri solet, accedentes ad suas respectivas sedes, sedent omnes: si Celebrans non velit sedere, post Evangelium submissa voce lectum, Subdiaconus descendit in planum, & ibi stat inter medium Altaris, & cornu Evangelii, ut in aliis solemnibus Missis. Diaconus vero librum defert ad medium Altaris, & deinde ad sinistram Celebrantis accedit in secundo gradu, donec Chorus cantaverit versum sequentiæ: *Oro supplex*, *& acclinis*, si sedendum sit, simul cum Celebrante sedet; & cum Chorus cantat: *Oro supplex*, surgit, surgentibus omnibus, præter Celebrantem, & solus accedit ad medium Altaris, ubi genuflexus in infimo gradu submissa voce dicit *munda cor meum*; inde accedens ad Altare accipit librum, & descendit in planum; si non sedeant, Diaconus in secundo Altaris gradu genuflexus dicit *munda cor meum*.

XV. Num Thuriferarius, & Navicularius in hujusmodi missis in suis locis remanere debeant, Rubricistæ non conveniunt; nos tamen sumus pro parte negativa, quia inutiliter accederent, cum incensatio facienda non sit. Tempore itaque debito, Cæroferarii procedunt cum Cæremoniario ad medium Altaris manibus de more junctis, neque enim deferunt luminaria ad hoc Evangelium, ubi simul cum aliis genuflectunt. Tum procedit omnium primus Cæremoniarius, post quem Diaconus cum Subdiacono librum sibi portans, & tandem Cæroferarii manibus junctis. Dum Ministri procedunt ad Evangelium, Celebrans si sedeat, surgit, & ascendit ad Altare per gradus laterales ad cornu Epistolæ, ubi Cruci se inclinans, ad cantantem Diaconum faciem convertit. Cum Diaconus cantat Evangelium, Cæroferarii junctis manibus, quia non habent candelabra, stant unus a dextris, & alter a sinistris Subdiaconi Evangeliorum librum tenentis, & se signant cum Diacono, & reliquis. Absoluto Evangelio Subdiaconus claudit librum, neque enim hic defertur Celebranti ad osculum, & retrocedentibus omnibus de more ad Altaris medium, Subdiaconus ipse a sinistris Diaconi genuflectit cum reliquis, librumque tradit Cæremoniario, ut super Credentia reponatur.

XVI. Oblata de more, & Altare incensantur, ut in aliis solemnibus missis, excepto, quod in Choro nulla fit incensatio, & solus Celebrans incensatur, non vero alii, qui de more in aliis solemnibus missis incensantur. Subdiaconus itaque, & Diaconus, stant post Celebrantem juxta solitum, dum cantat versus populum *Dominus vobiscum*: quo dicto, Diaconus præmissa in suo loco genuflexione ad dexteram Celebrantis accedit; Subdiaconus vero facta quoque in suo loco genuflexione, ad Credentiam accedit, sine velo oblongo, quo, ut supra diximus, non utitur in hac missa, & accipiens de more Calicem coopertum omnibus suis ornamentis ad Altare defert, ubi Diaconus accipiens bursam, Corporale extrahit, illudque explicat, & bursam ad cornu Evangelii de more collocat, reliqua peragendo, ut in aliis missis solemnibus; excepto, quod non tradit Patenam Subdiacono, sed hanc reponit aliquantulum sub Corporali, prout in missis privatis, interim accedit de more Acolytus ampullas deferens vini, & aquæ.

XVII. Subdiaconus cum petere non debeat aquæ benedictionem a Celebrante, silet illa verba, *Benedicite Pater Reverende*, & infusa aqua, ad sinistram se transfert Celebrantis, genuflectendo in medio, ut ibi ipsi ministret prout in aliis missis elevando posteriorem Planetæ partem dum incensat, &c. Absoluta Altaris, & Celebrantis incensatione, Diaconus, & Subdiaconus habentes medium Acolythum primum aquam infundentem ad ablutionem, Diaconus quidem a dextris, Subdiaconus a sinistris: ablutione peracta Mappam simul ministrant Celebranti pro manuum abstersione, acceptam a secundo Acolyto eam exhibente, quam etiam ab iisdem recipit post abstersionem.

XVIII. Cum Celebrans dicit *Orate fratres*, Diaconus solus respondet *Suscipiat*; his peractis Ministri redeunt ad sua loca post Celebrantem, cum debitis genuflexionibus remanente ad libri assistentiam solo Cæremoniario. Prope finem Præfationis Diaconus, & Subdiaconus ad Altare accedunt dicturi de more cum Celebrante, *Sanctus &c.* Subdiaconus post *Sanctus* iterum redit ad locum suum; & cum Celebrans dicit *hanc igitur*, Subdiaconus facta in medio genuflexione accedit ad cornu Epistolæ; ubi genuflectens super infimum Altaris gradum, a Thuriferario a sinistris sui ipsius genuflexo, Thuribulum accipit, & cum debitis inclinationibus aore, & post utramque elevationem, venerabile incensat; etenim Navicularius prope Elevationem incensum imponit. Huic profecto hæc impositio incensi incumbit, quidquid dicat Bauldryus, quia nullius præminentiæ est indicativa, fit enim absque ulla prorsus benedictione, aut formalitate. Absoluta Elevatione Subdiaconus Thuribulum exhibet Thuriferario, qui illud præmissa genuflexione, defert in sacristiam, & redit ad medium iterum genuflectens, ibique sistit prout alias usque ad *Agnus Dei*. Dum Celebrans in Oratione Dominica pervenit ad illa verba *& dimitte nobis debita &c.* solus Diaconus genuflectens accedit ad dexteram Celebrantis, ut ei de more inserviat, &c. Cum in fine dicturus est retro Celebrantem, *Requiescant in pace*, non se vertit ad populum.

XIX. Candelæ si sint distribuendæ, ita tempestive distribuuntur, ut omnes sint accensæ debito tempore, idemque juxta Rubricam post Epistolam immediare distribuuntur, & prope Evangelium, seu paulo ante Evangelium, accenduntur, quo absoluto extinguuntur, iterum accendendæ ad Elevationem Sacramenti; paulo enim ante elevationem, seu consecrationem iterum accenduntur, ut ardeant usque ad communionem peractam. Si habendus sit sermo debet haberi missa peracta ante absolutionem in suggestu nigri coloris panno exornato. Concionator nec benedictionem petit, nec recitat angelicam salutationem, sed solum signo Crucis se ipsum munit.

XX. Ad majorem instructionem, & ad omnes removendas dubietates, quæ circa dies festos, aut Altaria privilegiata pro Celebratione Missarum de Requiem, insurgere possent, subduntur hic per extensum Constitutiones Alexandri VII. Clementis IX. & Innocentii XI.

Alexander Papa VII.

„ Creditæ nobis cælitus dispensationis officium salubriter exequi, adjuvante Domino, jugiter satagentes, & quam plurima dubia in diversis Mundi partibus orta, & in Cong. Venerab. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum deducta occasione Decreti ejusdem Congregationis die 5. Augusti 1662. editi, ac a nobis approbati, de non celebrandis Missis de Requiem in duplicibus, tollere, atque dirimere cupientes, de memoratorum Cardinalium Consilio auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus in primis aliud Decretum prædictæ Congregationis editum in una Novarien. die 22. Novembris 1664. quo declaratum fuit, Anniversaria & missas cantatas de Requiem relictas ex dispositione Testatorum quotannis in die ipsorum obitus, etiam in duplici majori contingentis, non comprehendi in dicto Decreto.

„ Ul-

„ Ulterius, quoad Altaria perpetuo privilegiata, & in quibus proinde quotidie etiam in duplicibus celebrandæ sint Missæ de Requiem ex obligatione, auctoritate, & tenore prædicti declaramus per celebrationem missarum de festo currenti satisfieri dictis obligationibus, & suffragari cum eisdem indulgentiis perinde ac si essent celebratæ Missæ de Requiem ad formam privilegiorum, salva tamen semper in præmissis auctoritate supradictæ Congregationis. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere non obstantibus &c. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 22. Januarii 1667. Pontificatus nostri anno duodecimo.

Clemens IX. hanc Alexandri declarationem extendit ad Altária etiam temporaneo tantum privilegio decorata, quoad Missas in eis adhuc ex fidelium devotione celebrandas; ut in sequenti constitutione.

„ Cum fel. record. Alexander Papa VII. prædecessor noster dubia in diversis mundi partibus, occasione Decreti Congregationis tunc existentium S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum die 5. Augusti 1662. emanati, & ab ipso Alexandro prædecessore approbati de non Celebrandis Missis Defunctorum in festis ritus duplicis, exorta dirimere cupiens, aliud ejusdem Congregationis Decretum, in una Novarien. die 22. Novembris 1664. editum approbaverit, quo declaratum fuerat, anniversaria, & missas Defunctorum cantu ex dispositione Testatorum, quotannis, recurrente ipsorum obitus die, celebrandas, tametsi dies obitus hujusmodi in festo ritus duplicis majoris incideret, non comprehendi in primo dicto Decreto; Et ulterius, quoad Altaria privilegio Apostolico pro Animabus Fidelium Defunctorum in perpetuum decorata, & in quibus proinde quotidie, etiam in festis ritus duplicis, celebrandæ essent Missæ Defunctorum ex obligatione, declaravit per Celebrationem Missarum de festo currenti satisfieri injunctis obligationibus, & Indulgentias per hujusmodi privilegia Apostolica concessas animabus fidelium Defunctorum in Purgatorio existentibus suffragari, perinde ac si celebratæ fuissent Missæ Defunctorum ad formam dictorum privilegiorum, & alias prout in ejusdem Alexandri prædecessoris litteris desuper in simili forma Brevis die 22. Januarii 1667. expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur; cumque (sicut ad aures nostras pervenit) etiam dubitetur, utrum dictarum litterarum dispositio, quoad Altaria pariter quidem privilegiata, sed non in perpetuum, nec pro omnibus hebdomadæ diebus, & ad quæ Missæ non ex obligatione, sed ex sola fidelium devotione celebrantur, locum habeat. Hinc est quod nos dubitationes hujusmodi ex injunctæ nobis cælitus Pastoralis sollicitudinis munere, dirimere pariter, atque decidere cupientes, de Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum, qui rem mature perpenderunt, consilio, declarationem a memorato Alexandro prædecessore, sicut præmittitur, etiam ad Altaria, ut præfertur, non in perpetuum, sed ad septennium, seu aliud brevius, vel longius tempus, ac non omnibus, sed aliquo, vel aliquibus tantum hebdomadæ diebus nunc, & in futurum, quandocumque privilegiata, auctoritate Apostolica tenore præsentium extendimus, & proinde, ut missæ, quæ ibidem de festo currenti, in quo missæ Defunctorum celebrari non possint, sive ex obligatione, sive ex sola fidelium devotione celebrabuntur, suffragentur, ita ut Animæ Christi fidelium, pro quibus celebratæ fuerint, indulgentias per privilegia hujusmodi concessas, consequantur in omnibus, & per omnia, perinde ac si missæ Defunctorum ad formam eorumdem privilegiorum celebratæ fuissent, auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, non obstantibus, &c. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 23. Septembris 1669. Pontificatus nostri anno tertio.

Deinde Innocentius XI. confirmavit Decretum S. R. C. editum super intelligentia declarationum Alexandri, & Clementis, quoad alios quoque dies in quibus juxta Rubricas Missæ Defunctorum celebrari non possunt, ut infra.

„ Alias postquam felic. record. Alexander Papa VII. Prædecessor noster per quasdam suas in simili forma Brevis *die 22. Januarii 1667.* expeditas litteras, dubia in diversis mundi partibus, occasione Decreti Congreg. tunc existentium S. R. Eccl. Card. Sacris Ritibus præpositorum *die 5. Augusti 1662.* emanati, & ab ipso Alexandro Prædecessore approbati, de non celebrandis missis Defunctorum in festis ritus duplicis exorta, dirimere cupiens, inter cætera, quoad Altaria privilegio Apostolico pro Animabus fidelium Defunctorum in perpetuum decorata, & in quibus proinde quotidie, etiam in festis ritus duplicis celebrandæ fuissent Missæ defunctorum ex obligatione, declaraverat, per celebrationem Missarum de festo currenti satisfieri injunctis obligationibus, & indulgentias per ejusmodi privilegia Apostolica concessas, Animabus fidelium Defunctorum in Purgatorio existentibus suffragari, perinde ac si celebratæ fuissent Missæ Defunctorum ad formam dictorum privilegiorum: rec. mem. Clemens Papa IX. pariter prædecessor noster aliam subinde ortam dubitationem, utrum scilicet dictarum Alexandri prædecessoris litterarum dispositio, quoad Altaria pariter quidem privilegiata, sed non in perpetuum, nec pro omnibus hebdomadæ diebus, & ad quæ Missæ non ex obligatione, sed ex sola fidelium devotione celebrarentur, locum haberet, similiter tollere desiderans, declarationem a memorato Alexandro prædecessore sicut præmittitur, editam, ad Altaria, ut præfertur, non in perpetuum, sed ad septennium, seu aliud brevius, vel longius tempus, ac non in omnibus, sed aliquo, vel aliquibus tantum hebdomadæ diebus, tunc, & in futurum quandocumque privilegiata, auctoritate Apostolica extendit, & ut Missæ, quæ ibidem de festo currenti, in quo Missæ Defunctorum celebrari non possent, sive ex obligatione, sive ex sola fidelium devotione celebrandæ essent, suffragentur, ita ut animæ Christi fidelium, pro quibus celebrarentur, Indulgentias per privilegia hujusmodi concessas consequerentur, in omnibus, & per omnia perinde ac si Missæ Defunctorum ad formam eorumdem privilegiorum celebratæ fuissent, eadem auctoritate concessit, & indulsit, & alias prout in ipsius Clementis prædecessoris litteris, etiam in forma Brevis die 23. Septembris 1669. de super expeditis, quarum, & præfatarum Alexandri prædecessoris literarum tenores præsentibus, pro plene, & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus, uberius continetur. Cum autem postmodum, sicut accepimus, novum circa præmissa excitatum fuerit dubium, videlicet, an supradictæ Alexandri, & Clementis Prædecessorum declarationes sibi pariter locum vindicarent, etiam in diebus Dominicis, infra octavas Paschatis, Resurrectionis, Pentecostes, & Corporis Christi, aliisque diebus, quibus licet a festo duplici non impediantur, adhuc tamen Missæ Defunctorum juxta ritum, & morem Ecclesiæ celebrari nequeunt, quatenus nimirum Missæ, quas iisdem diebus celebrare licet, servata cæteroquin dictorum privilegiorum forma, ad præfata Altaria privilegiata celebrarentur; Nosque dubium hujusmodi Cong. Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, Sacris Ritibus præpositorum, examinandum commiserimus, ac eadem Cardinalium Congregatio, re mature discussa, nuper per suum Decretum 3. Aprilis proxime præteriti editum, prælatas Alexandri, & Clementis Prædecessorum declarationes intelligendas esse pro omnibus diebus, quibus juxta Rubricas Missæ Defunctorum celebrari non possunt, responderit: hinc est, quod nos ex commissæ nobis cœlitus dispensationis munere fidelium Defunctorum Animarum in Purgatorio existentium suffragiis per amplius consulere cupientes, Decretum hujusmodi a memorata Cardinalium Congregatione editum, ut præfertur, Apostolica auctoritate, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate supradictæ Congregationis Cardinalium: decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, ac obtinere. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 4. Maji millesimo sexcentesimo octogesimo octavo, Pontificatus nostri anno duodecimo. I. F. Albanus.

Addi quoque circa hæc Sacræ Rituum Congregationis resolutio in una Urbis, & Orbis 15. Septembris 1714. approbata specialiter a Clemente XI. die 29. dicti mensis, ut sequitur.

Urbis, & Orbis.

„ Cum occasione Missalis, Typis Sacræ Congregationis de propaganda fide summa cura, ac diligentia novissime impressi, & propediem publico usui exponendi, Sacræ Rituum Congregationi enixe fuerit supplicatum, ut nonnulla ejusdem Sacræ Congregationis Decreta, jam alias edita, & approbata, in prædicto novo Missali summatim apponi, & imprimi posse benigne concedere dignaretur; videlicet.

„ Missæ pro Defunctis, sive de requiem in festis duplicibus contra præscriptum Rubricarum Missalis Romani nullatenus celebrari debent. Quod si ex Benefactorum institutione Missæ hujusmodi celebrandæ incidunt in festum duplex, tunc, ne dilatio animabus suffragia expectantibus detrimento sit, in aliam diem non impeditam minime transferantur, sed dicantur de festo currenti, cum applicatione Sacrificii juxta mentem eorumdem Benefactorum. *Die 5. Augusti 1662.* approbatum a fel. rec. Alex. VII. eadem die.

„ Prædictum Decretum ab ejusdem fel. rec. Alexandro VII. speciali Brevi, quod incipit, *Credite nobis*, denum fuit confirmatum, ac insuper statutum, idem servandum esse quoad Missas in Altaribus privilegiatis ex obligatione celebrandas, & indulgentias per ejusmodi privilegia concessas Animabus in Purgatorio existentibus suffragari perinde, ac si celebratæ fuissent Missæ Defunctorum. Ac denique declaratum Anniversaria, & Missas cantatas de Requiem, relicta ex dispositione Testatorum, quotannis in die ipsorum obitus, etiam in duplici majori contingentis, in prædicto Decreto *die 5. Augusti* edito minime comprehendi, prout antea in una *Novarien. 22. Novembris* 1664. eadem Sacra Congregatio declaraverat die 22. Januarii 1667. Pontificatus VII.

„ Deinde fel. rec. Clemens IX. eadem Sacræ Congregationis Decreta alio Brevi, cujus initium. *Cum fel. rec.* iterum confirmavit, prædictamque Alexandri VII. dispositionem ad Altaria, non in perpetuum, sed ad septennium, seu aliud brevius, vel longius tempus, ac non in omnibus, sed aliquo, vel aliquibus tantum hebdomadæ diebus, nunc, & in futurum quandocumque privilegiata extendit die 23. Septembris 1669. Pontificatus III.

Tandem posito dubio an supradictæ Alexandri VII. & Clementis IX. declarationes sibi locum vindicarent in diebus Dominicis, & infra octavas Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, & Corporis Christi, aliisque anni diebus, quibus licet a festo duplici non impediantur, adhuc tamen Missæ Defunctorum juxta Ritum Ecclesiæ celebrari nequeunt, quatenus nimirum Missæ, quas iisdem diebus celebrari licet, servata ceteroquin Privilegiatorum forma, ad Altaria privilegiata celebrarentur? Eadem S. R. C. die 2. Augusti 1688. prædictorum Pontificum declarationes pro omnibus diebus, quibus juxta Rubricas missæ Defunctorum celebrari non possunt, intelligendas esse respondit, ejusque Decretum subinde confirmatum fuit a fel. rec. Innocentio Papa XI. speciali Brevi, quod incipit: *Alia postquam*, dato *die 4. Maji* 1688.

Pro accurato perpetuorum onerum Missarum celebrandarum adimplemento Decreta varia, & Instructio,

Affinchè gli obblighi delle Messe perpetue, o a tempo, o Manuali, che dalla providenza de' fedeli defunti prima di passare da quella all' altra vita, o dalla carità de' loro congiunti, ed amici, ovvero dalla divozione di più benefattori, sono stabiliti con assegnamenti di certi capitali, o con limosine quotidiane per la celebrazione di esse, vengano puntualmente adempiti da quelli, che avendo ricevuti gli emolumenti, sono a ciò tenuti, e le povere Anime purganti ricevino ne' debiti tempi i dovuti suffragj; La Santità di Nostro S. Papa Clemente XI. merendo ai Decreti sopra la celebrazione delle Messe emanati in tempo delle SS. MM. di Urbano VIII. & Innocenzo XII. suoi predecessori, e rinovandone la puntuale osservanza, sotto l' istesse pene in dette Constituzioni contenute, per comandamento espresso datoci a bocca, ordina, e comanda a tutti i Superiori, Soprantendenti, Deputati, Sagrestani, Cappellani, ed a qualunque altra Persona, che con qual si sia titolo, ed ufficio presiede al governo, regolamento, ed amministrazione delle Chiese Patriarcali, Basiliche, Collegiate, Parrocchiali, Monasterii, e Conventi de' Regolari dell' uno, e l' altro sesso, Conservatorj, Congregazioni, Ospedali, Confraternite laicali, e d' ogn' altra Chiesa, Cappella, ed Oratorio di Roma, che tanto nel ricevere l' elemosine delle Messe, quanto nel soddisfare gl' obblighi nella celebrazione delle medesime, sia inviolabilmente, ed intieramente osservata, e praticata la seguente Instruzione, sotto pena a quelli, che o in tutto o in parte la trasgrediranno, della sospensione a *Divinis*, se saranno Preti secolari, e della privazione della voce attiva, e passiva, e delle Cariche, & Uffizj, se saranno Regolari, ed altre pene pecuniarie, e respettivamente corporali ad arbitrio della Santità Sua.

Instruzione per le Messe Perpetue,

Si formerà un Catalogo, nel quale si descriveranno distintamente tutti gli obblighi di Messe cantate, e piane, si perpetui, come ad tempus, da che provengono, se per Testamento, o per donazione, o in altra forma, con i fondi, che sono stati lasciati per dote di ciaschedun obbligo, e gli Altari, in cui si devono celebrare.

Il detto Catalogo dovranno esibirlo poi al Sig. Angelo Stantelli Computista deputato da Sua Santità, che gli sarà fatto l' esibito, e gli sarà reso.

Dovranno in oltre tenere la Tabella distinta di tutti detti obblighi, con la espressione del nome del Benefattore, e indicazione del Testamento, o altro Instromento, che vi sia, cioè per quali atti, e di che tempo, e ripartitamente con i suoi Colonelli distinti delle Messe cantate, Messe quotidiane, Messe d' ogni mese, Messe d' ogni settimana, o altri obblighi temporanei, che si sono lasciati, che si celebrino con l' espressione dell' Altare, in cui si dovranno celebrare &c. Qual Tabella dovrà esser riconosciuta, e sottoscritta da Monsignore Secretario della Sacra Visita Apostolica pro tempore, e Computista deputato, e si debba tenere affissa nella sagrestia in luogo patente come dispongono le Constituzioni Apostoliche, e che da essa non si possa levare, nè aggiugnere partita alcuna, senza ritornare a riconoscersi, e sottoscriversi da' medesimi; e succedendo infra annum qualche lascita, si debba portare tanto il Catalogo, quanto detta Tabella per potersi notare.

In oltre dovrano tenere due Libri, uno per gl' obblighi perpetui, e l' altro per le Messe avventizie, come dispongone le medesime Constituzioni Apostoliche, e questi dovranno regolarsi nel modo, come si dirà appresso.

Il Libro delle Messe perpetue si dovrà intavolare anno per anno, e dovrà esser finito d' intavolare dentro del mese d' Ottobre di ciaschedun anno, per l' anno avvenire, e nei mesi di Novembre, e Decembre esibirli al Computista deputato da nostro Signore, acciò riconosca se sono ben intavolati, e li contrassegni, e faccia sottoscrivere a Monsignore Secretario della Sagra visita Apostolica pro tempore; e i libri vecchi, in cui appariranno notate le celebrazioni dell' anno antecedente, si dovranno parimente esibire al medesimo dentro il mese di Gennaro, susseguente all' anno finito, acciò si riconosca, se sia adempito a tutti gl' obblighi, e non essendo adempito in qualche cosa, si deduca la causa, acciò si possano pigliare quegl' espedienti che pareranno più proprj.

Il modo d' intavolare detti Libri sarà il seguente, cioè

Si debba tenere un Libro bislungo per le Messe perpetue, nel quale in prima carta si devono descrivere partita per partita gl' obblighi delle Messe perpetue che vi sono, cioè

	Messe cantate	Messe basse.
Per l' Anima di Pietro N. N. Una Messa quotidiana bassa, e un Anniversario il giorno della sua morte, che fu li .... come in Tabella numer. primo	num. 1.	num. 365.
Per l' anima di Paolo N. N. una Messa ogni Venerdì, come in Tabella num. 2.	num.	num. 52.
Per l' anima di Francesco N. N. una Messa il mese, come in Tabella num. 3.	num.	num. 12.
Per lascito di Gio. N. N. Messe 50. l' anno, come in Tabella num. 4.	num.	num. 50.
	num. 1.	num. 479.

E così d' altre, che potessero esservi, andar notando sotto detta riga ultima, e chiudere poi la somma dell' intiero delle Messe, che si dovranno celebrare in tutto l' anno; e il medesimo, se vi sono altri anniversarj con la medesima dichiarazione, e succedendo poi infra annum qualche altra lascita, aggiugnerla come sopra.

Si noterà poi nella carta susseguente a correlazione della nota suddetta giornata per giornata, cioè nel mezzo, adi primo Gennaro, ed in margine dire num. 1. Messa per l' anima di N. N., e se sono quattro Messe quotidiane di diversi, notar sotto il medesimo giorno quattro partite distinte per l' obbligo che vi è, e così andare seguitando, ed in quella giornata, che cade il Venerdì, e Sabbato, o altro giorno fisso, che vi sia qualche disposizione aggiugnere la partita in quel giorno distintamente, che in fin d' anno il numero delle messe tirato in margine verrà a corrispondere con la prima nota fatta in primo foglio del detto Libro: per esempio

Adi primo Gennaro 1758. Giovedì

Num. 1. per l' anima di Pietro N. N.
Num. 1. per l' anima di Paolo N. N.

2. detto

Num. 1. per l' anima di Pietro N. N.
Num. 1. per l' anima di Gio. N. N.

3. detto

Num. 1. per l' anima di Francesco N. N.
Num. 1. per l' anima di Anton. N. N.

4. detto

Num. 1. per l' anima di Giuseppe N. N.

In oltre debba ogni Sacerdote tanto Cappellano fisso della Messa quotidiana, quanto ogn' altro, che averà cura di celebrare per gl' obblighi infra settimana, celebrato che avrà la sua Messa, notarsi di rimpetto alla sua partita dell' obbligo, per il quale ha celebrato N. N. *celebravi*, e in questa forma resteranno adempite le disposizioni nel modo che sono state lasciate, e apparirà chiaramente la disposizione soddisfatta con le Messe celebrate.

Per ovviare a qualche disordine, che potesse succedere in quelle Chiese, dove vi è maggior numero di Messe per obblighi fissi da celebrarsi, dove si può dar il caso che escano più Sacerdoti a celebrare nel medesimo tempo, ed uno ritornando prima ponga il *celebravi* in quella partita che avesse adempito un altro: Si ordina, che il Sacerdote quando va in sagrestia per prepararsi ricorra al Libro, e riconosca la sua partita vacante, dove deve metter il *celebravi* per chi la deve dire, e metta subito il suo nome, e cognome, e celebrato che avrà, aggiunga al detto nome *celebravi*, che in questa forma ognuno, che arriverà, che non vedrà la partita contrassegnata come sopra, saprà quale dovrà celebrare, e non ne succederà confusione.

In caso poi, che in quel giorno, che si deve celebrare per l' adempimento dell' obbligo, fosse qualche Sacerdote accidentalmente impedito, onde il detto giorno non restasse celebrata la Messa, dovendosi rimettere dopo, noterà quello che celebrarà N. N. *celebravi sub die tali &c.* perchè senza detta dichiarazione, non verrebbe a corrispondere alla giornata, che vi sarà il *celebravi* come l' altre.

Per le Messe avventizie.

Si riterrà il solito Libro, nel quale si notano l' elemosine, che vengono portate da' Benefattori, e queste si dovranno descrivere distintamente, se siano votive, o pro Defunctis, ed il nu-

„ il numero esprimerlo dentro la partita in lettera, con tirarlo fuori per abbaco, come per esempio.

Messe due per Defunti -----	Num. 2.
Messe tre all' Altare di S. Antonio	Num. 3.
Messe quattro all' Altare di S. F.	Num. 4.

„ Le Messe notate in detto Libro si dovranno poi riportar in un altro Libro, da tenersi in sagrestia, nel quale si dovrà notare Messa per Messa, ad effetto che il Sacerdote possa all'incontro mettere il *celebravi*, nel modo come si è detto nelle Messe perpetue, e se ne dà la norma come appresso.

Messe una per Defonti ------	Num. 1.
Messe una per Defonti ------	Num. 1.
Messe una all' Altare di S. Antonio --	Num. 1.
Messe una all' Altare di S. Antonio	Num. 1.
Messe una all' Altare di S. Antonio	Num. 1.
Messe una all' Altare di S. Francesco	Num. 1.
Messe una all' Altare di S. Francesco	Num. 1.

„ Quelle Messe, che non si saranno finite di celebrare in quell'anno, che si sono avute l' Elemosine, si dovranno riportare nell'anno seguente, e notarle in prima partita con lo stesso ordine di sopra.

„ Procuri per tanto ciascuno di dare pronta esecuzione a quanto si ordina, per espresso comandamento di Sua Santità, altrimenti si procederà contro li trasgressori rigorosamente alle pene di sopra comminate: e perchè niuno possa in qual si voglia tempo allegare ignoranza di quanto nella sopra espressa Istruzione si prescrive, si dovrà in ciascheduna sagrestia delle sopra nominate Chiese, & Oratorj tenere continuamente affisso in luogo visibile un esemplare del presente Editto, sotto pena, in caso di contravvenzione, di scudi dieci d'oro da pagarsi irremissibilmente dal sagrestano, se sarà Prete secolare; e della privazione della Carica, ed inabilità a qual si voglia Officio per cinque anni, se sarà Regolare.

„ Dato il primo Ottobre 1704.

„ Giuseppe Domenico de Totis Segretario della Sacra Visita Apostolica.
„ Nicolò Pignatelli Commissario, e Fiscale della Sacra Visita Apostolica.
„ Paolo Fatis Not. della Sac. Cong.

E D I C T U M.

„ *Pro notitiis Missarum onera respicientibus, quæ Secretariæ Sacræ Congregationis a Notariis, & aliis infra statutum tempus sunt exhibendæ.*

„ UNA delle cure principali, che fin dal principio del suo Apostolico Ministero ha cagionata particolare sollecitudine nella Santa Mente di Nostro Signor Papa Clemente XI. è sempre stata la premura, che restino adempiti gl' obblighi delle Messe, che con pia providenza i Fedeli hanno procurato, o in vita, o in morte, di assicurarsi con l' impiego delle proprie facoltà, per suffragio delle loro Anime, o dei loro congiunti, Benefattori, ed Amici; e potendosi temere, che l' omissioni, e le negligenze, talvolta praticate nella soddisfazion di detti obblighi, abbiano potuto provocare la Divina Giustizia, che non solo faccia provare a' popoli le gravi percosse del suo flagello, ma anche maggiori sempre più ne minacci: Per tanto la Santità sua per sottrarre il suo Gregge vivente dalle calamità, che gli sovrastano in questa vita, e l'anime de' Fedeli defonti dall' atrocissime pene, che soffrono nell'altra, per mancanza de' dovuti suffragj, comandò con ordine datoci a bocca, che si pubblicasse un' Istruzione, in cui era prescritto a tutte le Chiese, e luoghi Pii di Roma un modo e metodo universale di formare, e descrivere le Tabelle, ed i Cataloghi degli obblighi delle Messe, ed intavolare i Libri dove si deve notare l'effettiva celebrazione di ciascheduna Messa di mano dello stesso Celebrante.

„ Ed avendo noi fin sotto il primo Ottobre 1704. per obbedire alli Comandamenti di Sua Santità, fatta personalmente presentare la detta Instruzione a' Ministri di tutte le Chiese, e luoghi Pii di Roma, dalla pronta esecuzione, che ha avuto, e dalla comune osservanza della medema per due anni, già terminati, si è riconosciuto di quanto profitto sia stata per assicurare la piena soddisfazione degli obblighi delle Messe, con indicibile consolazione, e quiete dell' animo di sua Beatitudine.

„ Ma perchè nel confronto, che di ordine parimente della Santità Sua si va presentemente facendo di detti obblighi, descritti nelle Tabelle con i Testamenti ed altri documenti, donde derivano, si è trovato in alcuni qualche difetto, o mancanza de' Nomi de' Notarj, nel tempo, e nella quantità, con pregiudizio de' suddetti suffragj; ed affinchè in avvenire le Tabelle, che di nuovo si formeranno, o le addizioni che si faranno nelle già formate di nuovi obblighi, che giornalmente sopravvengono, sempre apparisçano fatte con maggior legalita, e sicurezza, e di loro in ogni tempo si possa avere una piena verificazione

„ La Santità di Nostro Signore con ordine datoci a bocca vuole, ed espressamente comanda, che tutti li Capo-Notarj, loro sostituti, Giovani di qual si voglia Tribunale Ecclesiastico, e secolare di Roma, ed anche quelli che senza aver Officio pubblico si rogano nelle loro Case private in detta Città, dopo quindici giorni che avranno stipolato qual si voglia contratto tra vivi, in cui vi sia ingiunto obbligo di Messe perpetue, o a tempo longo, che passi il decennio, o Anniversarj, ne debbano portare, o lasciare nota distinta nella nostra Segretaria, e de' nostri successori nell' Uffizio di Deputato a riconoscere gli obblighi delle Messe, e riportarne la fede dell' esibizione da darsegli gratis, e parimente dopo quindeci giorni che averanno aperto, e pubblicato qual si voglia Testamento, Codicillo, o donazione, causa mortis di qualche Persona, anche privilegiata, o privilegiatissima, della quale se ne dovesse fare special menzione, benchè fosse Cardinale della S. R. C. dove siano ingiunti pesi di Messe, come sopra, debbano portare, e lasciare l' istessa nota alla medesima Segretaria, e riportarne la fede dell' esibizione, sotto pena ai trasgressori di venticinque scudi d'oro da pagarsi per ciascheduna volta, che non avranno adempito quanto di sopra si contiene, da applicarsi una metà all' accusatore, il quale sarà tenuto segreto, e l'altra metà a' poveri luoghi Pii, ed anche della sospensione, e privazione dell' Uffizio, ed altre pene ad arbitrio di Sua Santità, alle quali pene saranno ancora tenuti i Notarj Padroni per i loro sostituti, e Giovani.

„ E di più vuole, e comanda, che tutti li Parrochi, o altri, che con qual si voglia titolo esercitino cure d' anime, o amovibili, o perpetui, Secolari, e Regolari, Confessori, Sacerdoti, e Religiosi di qual si voglia Ordine, ed Instituto, di qualunque Monastero, Convento, o Ospizio di questa Città dopo quindeci giorni dalla morte di qual si voglia persona, come sopra, che gli averà confidenzialmente lasciato qualche obbligo di Messe perpetue, o a lungo tempo, o Anniversarj, o che in loro presenza secondo la disposizione della ragione Canonica avrà disposto legati di Messe, come sopra, ne debbano portare, o lasciare la nota alla sopraddetta Segretaria, e riportarne la fede dell' esibizioni, come sopra, sotto pena a' Secolari per ciascheduna volta, che mancheranno, di venticinque scudi d'oro da applicarsi, come sopra, ed a' Regolari della privazione di voce attiva, e passiva, ed anche ad ambedue della sospensione dell' Uffizio, ed altre pene ad arbitrio della Santità Sua.

„ In oltre comanda, che tutti li Camerlenghi, ed Uffiziali de' Capitoli di Patriarcali, Basiliche, e Collegiate di Roma, e tutti li Superiori, e Sopraintendenti, Rettori, Sagrestani, Cappellani, di qual si voglia Chiesa, tanto de' Regolari, quanto de' Secolari, e Monasteri di Monache, e Conservatorj, e tutti li Prefetti, Guardiani, Provveditori, ed altri Superiori di Confraternite, Oratorj, Adunanze, Congregazioni, ed altri Luoghi Pij Secolari, in qual si voglia modo nominati, benchè erette in Chiese, e Case Regolari, che in caso che da qual si voglia Persona, come sopra, confidentemente brevi manu, o per scrittura privata, gli fosse consegnata, o in vita, o in morte, qualche somma di denaro contante, o qualche stabile, Luogo di Monte, credito, o qual si voglia Capitale, con peso di celebrazione di Messe perpetue, o a lungo tempo, che passi il decennio, debbano dopo quindici giorni, che ne sarà seguita l'assegna, portarne, e lasciarne la nota alla medesima Segretaria, e riportarne la fede dell' esibizione, come sopra, sotto pena a' trasgressori secolari di venticinque scudi d'oro per ciascheduna volta da applicarsi nel modo sopraddetto, ed a' Regolari della privazione di voce attiva, e passiva, ad entrambi della sospensione, e privazione del loro Uffizio, ed altre pene ad arbitrio della Santità Sua.

„ Intendendo la medesima Santità Sua, che nel presente Editto s' intendano compresi i Parrochi, Vicarj perpetui, o Manuali, o altri che sotto qual si voglia titolo abbino l' esercizio di cura d'anime, Confessori, Sacerdoti, Secolari, e Regolari, Superiori, Prefetti, Guardiani, Sopraintendenti, Notarj, e Segretarj, di qualsivoglia Chiesa, Confraternita, o qualche altro Luogo Pio, benchè fosse Nazionale, e che godesse qualunque privilegio, esenzione, o Indulto Apostolico, benchè fosse per titolo di dotazione, o fondazione, e per qualsivoglia altra causa, alle quali tutte la Santità Sua, per la piena osservanza di quanto di sopra si contiene, con la pienezza di Sua Autorità, specialmente deroga.

„ Procuri per tanto ciascuno di prontamente adempire quanto nel presente Editto si contiene per non incorrere nelle pene nel medesimo comminate, che contro i trasgressori saranno puntualmente eseguite. Dichiarando, che il medesimo Editto pubblicato, ed affisso nei soliti luoghi di Roma obbligherà tutti, come se a tutti fosse personalmente intimato. Questo dì primo Febbraro 1707.

Giuseppe Domenico de Totis Deputato della S. di N. Signore.

Paolo Fatii Notario A. C. e della Sac. Cong.

Die mense, & anno, quibus supradictum affixum, & publicatum fuit ad Valvas Curiæ, & in acie Campi Floræ, ac aliis locis consuetis per me Angelum de Camillis Apostolicum Cursorem.

Pro Mag. Cur. Sebastianus Vasellus.

EDI-

EDICTUM.

Quo plura statuuntur, atque mandantur, pro sedula Missarum onerum adimplemento, eorumque in destinatis Libris descriptione.

„ AVendo la Santità di Nostro Signor Papa Clemente XI. con editto emanato sotto il primo di Ottobre 1704. già prescritto il metodo, che universalmente deve osservarsi nell' adempimento degli obblighi di Messe, tanto perpetue, quanto manuali, ed avendo con altro simile editto sotto il primo di Febbrajo 1707. providamente ordinato, che si diano nella nostra Segretaria le notizie de' nuovi pesi di celebrare negli Altari, o Chiese destinate da' Testatori, o più Benefattori. Quindi è che inerendo agli accennati Editti, con rinnovare la puntuale osservanza sotto le medesime pene in essi contenute, e volendo con il suo Santo zelo sempre più provvedere al totale adempimento de' sopra nominati obblighi di Messe, per ordine espressamente datoci a bocca precisamente vuole, e comanda.

„ Che tutti i Cappellani, e Sacerdoti, Canonici, Abbati, Beneficiati, ed altri di qual si voglia stato, grado, e condizione, anche privilegiati, e privilegiatissimi, delli quali se ne dovesse fare special menzione, tanto secolari, quanto regolari, di qual si voglia ordine, ed instituto, comprese anche le undici Congregazioni, e i Padri Gesuiti di qualunque Monastero, Convento, Ospizio, Oratorio, Chiesa, ed altro luogo Pio di quell' Alma Città di Roma, che hanno il peso di celebrare le Messe in un altare certo, e determinato, debbano per l' avvenire celebrare nel medesimo, e non in altro Altare, benchè egualmente, o più privilegiato; ed acciò apparisca tale adempimento, dovranno i suddetti, che avranno celebrato, notare di proprio carattere la celebrazione nel Libro, che nelle Sagrestie si ritiene a tal effetto, con l' espressione dell' istesso Altare, come per esempio, se si hanno da celebrare le Messe nell' Altare di S. Francesco, devono scrivere di proprio carattere in questa forma, cioè: *Ego N. N. celebravi ad Altare S. Francisci*, ovvero essendo notato l' Altare nel foglio contrapposto possono scrivere in questo modo: *Ego N. celebravi ad contrascriptum Altare*, e così dovranno fare di altro Altare, se l' obbligo sarà in altro Altare, altrimente incorreranno ipso facto nella pena di dieci scudi d' oro per ogni volta, che contravverranno, da applicarsi la metà all' accusatore, e l' altra metà a' Luoghi Pii ad arbitrio della Santità Sua, e saranno tenuti a celebrare di nuovo le Messe celebrate, o fatte celebrare in altro Altare, ovvero non notate nella forma già detta, come se non fossero in modo alcuno adempite. E se saranno Regolari, quelli che in qualunque modo contravverranno a quanto nel presente Editto si contiene, incorreranno ipso facto nella pena della sospensione dell' Uffizio, e della privazione della voce attiva, e passiva, ed anche tanto contro i suddetti Secolari, quanto Regolari si procederà ad altre pene ancora maggiori ad arbitrio di Sua Santità, e contra i Sagrestani, ed altri sopraintendenti alle Sagrestie, che non invigileranno alla puntuale osservanza di tale adempimento, si procederà rigorosamente con simili pene, ad arbitrio di S. Beatitudine. Similmente ordina, e comanda, che le Messe perpetue dalla pia disposizione de' Fedeli lasciate da celebrarsi in una certa, e determinata Chiesa non possino in conto alcuno celebrarsi, o farsi celebrare in altra Chiesa, e molto meno fuori di Roma, ancorchè l' altra fosse dipendente dalla Chiesa dove furono destinate le Messe, o fosse della stessa Religione, e dell' istesso Instituto. E quelli, che in qualunque maniera contravverranno, incorreranno nelle pene sopra espresse.

„ Finalmente essendosi ordinato sopra, il 1. Ottobre 1704. nel sopra nominato Editto, o Instruzione da osservarsi per l' adempimento degl' obblighi delle Messe, che il Libro delle Messe perpetue debba intavolarsi anno per anno, ed esser finito d' intavolarsi dentro del Mese di Ottobre di ciascheduno anno per l' anno avvenire, e nelli Mesi di Novembre, e Decembre esibirsi al Computista deputato dalla Santità Sua, ed essendosi per esperienza conosciuto, che l' esibirlo in detto tempo genera qualche confusione, ed incomodo, perchè molti portandolo nel fine del Mese di Decembre non possono poi subito per l' angustia del tempo, dentro il quale non può il Computista riconoscere tanti Libri, nel principio dell' anno nuovo riaverlo, ed in conseguenza notare in esso la celebrazione delle Messe, ma sono sforzati a notare la celebrazione in foglio volante; Perciò la Santità Sua non cessando di sempre più procurare il miglior, e più facil modo di adempire gli obblighi della Messa, confermando in tutto, e per tutto il nominato Editto, o Instruzione, e solo in questa parte moderandolo, espressamente ordina, e comanda, che i Libri delle Messe perpetue per gl' anni avvenire debbano intavolarsi dentro il Mese di Sett. ed esibirsi al detto Computista dentro il Mese di Ottob. sotto le medesime pene a i trasgressori, già nell' accennato Editto contenute.

„ Avverta dunque ciascuno di puntualmente adempire quanto nel presente Editto si prescrive, altrimente incorrerà irremissibilmente nelle pene in esso comminate, ed anche in maggiori ad arbitrio D. S. B. Ed acciò niuno possa in qualsivoglia tempo allegare ignoranza di quello si contiene in quest' Editto, si doverà in ciascuna Sagrestia di tutte, e singole Chiese, e Luoghi Pii di Roma tenere continuamente affisso in luogo visibile con esemplare del medesimo, sotto pena in caso di contravvenzione di scudi dieci d' oro da pagarsi irremissibilmente dagli Sagrestani, o sopraintendenti alle Sagrestie, se saranno Preti secolari, e della privazione dell' Uffizio, e della voce attiva, come sopra, se saranno Regolari, dichiarando, che questo publicato ne luoghi, &c. obbliga tutti come &c.

Questo dì 25. Gennaro 1708. Leonardo Antonio Gezzi Secr. della S. Visita Apostolica.

Nicolò Pignatelli Commissario, e Fiscale della S. Visita Apostolica.

Paolo Farii Notaro delle Sacre Congregazioni.

Die, mense, & anno quibus supra supradictum Edictum affixum, & publicatum fuit ad Valvas Magnæ Curiæ Innocentianæ Mont. Citat. in acie camp. Flo., & in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Antonium Placentinum SS. DD. N. Papæ Curs.

Pro D. Mag. Curs. Sebastianus Vasellus.

EDICTUM,

Quo præcedentes Ordinationes instaurantur, ac plura insuper alia pro accuratiori onerum Missarum adimplemento, statuuntur.

„ La Pastorale sollecitudine di N. Sig. giammai si stanca di pensare a stabilire un perfetto regolamento, perchè totalmente si adempiscano i Legati, o pesi delle Messe, e ne ricevano il dovuto, e pronto suffragio l' anime de' Defonti, ed ajuto, e grazie i fedeli che non li trascurano. Perciò avendo negl' anni scorsi fatto pubblicare alcuni Editti per mezzo de' quali si è ottenuto nella maggior parte il bramato fine, ne rinova ora con tutto il fervore, autorità, e comando, quanto in essi viene prescritto; e sentendo tuttavia insorgere alcuni abusi nell' adempimento di molti Legati, a cui possa darsi più opportuno rimedio, con comando espresso datoci a bocca, vuole che si pubblichino gli ordini seguenti.

„ Primieramente, per i Legati di Messe, che restano in arbitrio di poterli soddisfare in quella Chiesa, o Chiese dove parerà, e piacerà agli Eredi, o altri, che abbiano per qualunque titolo l' obbligo ingiunto di adempirli, siano tenuti i detti Eredi, o altri come sopra, tanto Ecclesiastici, quanto Laici, di qualsivoglia stato, o grado, e condizione, in fine d' ogni anno portare le giustificazioni del loro adempimento nella Computistaria della Sacra Visita, nella quale se ne riterrà registro in Libro a parte, e verranno riconosciute da uno de' Computisti a tal fine deputato, e sottoscritte da Monsig. Segretario della S. Visita Apost. pro tempore, sotto pena a' contravventori di Scudi 25. d' oro d' applicarsi la metà al Denunziante, che sarà tenuto segreto, e l' altra metà in benefizio de' poveri luoghi Pii; e se saranno Regolari incorreranno nella pena della sospensione dall' Uffizio, e della privazione della voce &c. oltre altre pene anche maggiori ad arbitrio &c.

„ Ordinando, e dichiarando che le giustificazioni da esibirsi, come sopra, debbano contenere la celebrazione delle Messe notata giorno per giorno dal Celebrante in un foglio, e libretto particolare, con la sottoscrizione in fine del Rettore, o Sagrestano di quella Chiesa, o Chiese, nelle quali si saranno celebrate. E per la celebrazione delle Messe, che per disposizione de' Benefattori, o per speciale Indulto si facesse fuori di Roma, le dette giustificazioni debbano essere legalizzate dagli Ordinarj de' Luoghi, se i Celebranti saranno Sacerdoti Secolari, e le Regolari da' Superiori maggiori della Religione.

„ E quando il Benefattore ha ingiunto il peso agl' Eredi, o altri, dichiarare la Chiesa dove abbino a celebrarsi le Messe, siano quelli tenuti sotto le pene suddette dentro sei mesi determinare la Chiesa, nella quale abbia a farsi l' adempimento, e registrarsi nella Tabella di detta Chiesa.

„ Ordina parimente la S. Sua, che tutti i pesi di Messe perpetui, o a lungo tempo, che passino i dieci anni, i quali fino al presente non si trovassero espressi nelle Tabelle di quelle Chiese, in cui devono soddisfarsi, o perchè l' obbligo di soddisfarli spettava ad altri, o Secolari, o Regolari, o Luoghi Pii, o pure perchè fin ora si sono fatte soddisfare, come se fossero Messe avventizie, per l' avvenire si aggiungano alle dette Tabelle con l' espressione che il peso di farli soddisfare spetta a tali Eredi, Legatarj, o altri come sopra, che non trovandosi espressi gli accennati pesi nelle Tabelle di quelle Chiese, dove gli devono far soddisfare, nel termine di sei mesi ne portino la notizia in detta Computistaria sotto le pene suddette. In oltre la S. Sua ordina, e comanda, che l' erezione delle Cappellanie, o assegnamento de' fondi per peso di Messe ingiunto da' Benefattori, si faccia sollecitamente, e perciò nel termine di sei Mesi dovranno gl' Eredi, o altri, come sopra, far costare in detta Computistaria l' erezione, o assegna fatta de' fondi; e quando per qualche giusta, e ragionevol causa si richiedesse maggior tempo, dentro il medesimo termine di sei mesi dovrà impetrarsi una proroga competente.

„ Essendo pertanto tutti questi ordini diretti a togliere gli abusi, e mantenere con facilità, ed esattezza l' adempimento de' legati Pii, procuri ciascuno prontamente eseguire quanto nel presente Editto si contiene, e per secondare con la dovuta ubbidienza la rettissima intenzione di Sua Beatitudi-

„ ne,

„ ne, e per non incorrere nelle pene in esso comminate, le quali irremissibilmente si eseguiranno contro gli Trasgressori. Dichiarando, che il medesimo Editto, pubblicato, ed affisso ne' soliti luoghi di Roma, obbligherà tutti, come se a tutti, e a ciascheduno di loro fosse personalmente intimato: ed acciò che in qual si voglia tempo avvenire nessuno possa allegare causa d'ignoranza di quanto nel presente Editto si contiene, si dovrà in ciascheduna Sagrestia di qual si voglia Chiesa, e luogo Pio di Roma tenere continuamente affisso in luogo visibile un Esemplare del medesimo sotto le pene di sopra espresse in caso di contravvenzione. Dato li 18. Settembre 1710. A. M. Pallavicini Seg. della V. A. Gaetano Tuones Commissario, e Fiscale della S. V. Apost. Paolo Fatii Notaro. A. C. e delle S. Congr.

CAPUT XXVIII.

De iis, quæ circa Missarum Applicationem, Reductionem, Satisfactionem, & Eleemosynam, ab omnibus sunt observanda, juxta dispositiones Sacræ Congregationis Concilii, ab Urbano VIII. ac Innocentio XII. confirmatas in Decretis ut sequitur.

„ I. NUper a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum prodierunt Decreta tenoris infrascripti videlicet.

„ Alias super celebratione Missarum, ac prohibitione illas moderandi, seu reducendi absque Sedis Apostolicæ licentia, necnon supra earumdem oneribus perpetuis suscipiendis, & Religiosorum numero ultra reditus, & consuetas Eleemosynas locorum Regularium, non habendo, emanarunt ab hac Sacra Congregatione S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum auctoritate, per fel. rec. Urbanum Papam VIII., illi specialiter attributa, quamplurima Decreta tenoris sequentis.

„ §. 1. Cum sæpe contingat in quibusdam Ecclesiis tum magnum Missarum celebrandarum numerum, ex variis Defunctorum relictis, aut piorum Eleemosynis impositum esse, ut illis pro singulis diebus præscriptis nequeat satisfieri, & tamen nova onera Missarum in dies suscipiantur, indeque fiat, ut depereant piæ Testantium voluntates, obstricta benefactoribus fides violetur, Defunctorum Animæ suffragiis priventur, Ecclesiis debitus subtrahatur cultus, ac Christi fideles gravi scandalo affecti plerumque a similibus Charitatis operibus retrahantur: Cumque his malis maximum inter cætera fomentum præbeat, aut quod iis, qui Missas supra vires celebrandas suscipiunt, sperent illas brevi ad pauciorem numerum a superioribus reductum iri, aut quod Ecclesiis, forte pecuniarum absumpta, plerumque nuda remaneant onera Missarum, absque ullo emolumento, aut quod Eleemosyna pro illis celebrandis sit adeo tenuis, ut non facile inveniantur, qui velint huic se muneri subjicere, & reditus Ecclesiæ, aut Monasterii adeo exigui, ut Sacerdos pro necessaria sua sustentatione, novis se oneribus obstringere compellatur. Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum animadvertens facturam se rem Deo gratissimam, Charitatique, ac justitiæ maxime consentaneam, si pro viribus satagat, hunc teterrimum abusum e Christiana Republica convellere, atque eradicare, S. D. N. Urbani Divina providentia Papæ VIII. auctoritate sibi specialiter attributa, infrascripta Decreta edidit.

„ §. 2. Ac primo districte prohibet, atque interdicit, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus vel alias quoquo modo reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis, sed pro iis omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur, quæ re diligenter perspecta, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur: alioqui, reductiones, moderationes, & commutationes hujusmodi, si quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas, atque inanes decernit.

„ §. 3. Deinde ubi pro pluribus Missis, etiam ejusdem qualitatis celebrandis, stipendia quantumcumque incongrua, & exigua, sive ab una, sive a pluribus personis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Monasteriis, Conventibus, Congregationibus, Domibus, ac locis Piis quibuscumque, tam Sæcularibus, quam Regularibus, Sacra Congregatio sub obtestatione Divini Judicii mandat, ac præcipit, ut absolute tot Missæ celebrentur quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint, ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quinimo graviter peccent, & ad restitutionem teneantur.

„ §. 4. Id vero ut deinceps observetur exactius, Sacra Congregatio eadem auctoritate revocat privilegia, & indulta omnia quibusvis personis, Ecclesiis, ac locis Piis, tam Sæcularibus, quam Regularibus, cujuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti, quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, seu Orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

„ §. 5. Ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.

„ §. 6. Præterea ne in Ecclesiis, in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sunt, Sacerdotes in eis, ut par est, adimplendis eo tepidiores, ac segniores reddantur, quod onera hujusmodi cum nulla, aut parva sint utilitate conjuncta, statuit, atque decernit, ut pecuniæ, ac bona mobilia Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monasteriis, Conventibus, ac locis omnibus, tam Sæcularibus, quam Regularibus, atque illorum personis, in futurum simpliciter acquirenda, cum onere perpetuo Missarum celebrandarum, ab iis ad quos pertinet, sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda, a die realis acquisitionis, statim deponi debeant penes Ædem Sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illam, seu illorum pretium quamprimum investiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa, & individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur.

„ §. 7. Ac si eadem bona immobilia auctoritate Apostolica deinceps alienari contigerit, eorumdem pretium, sub eadem pœna ut supra, deponi, atque in aliis bonis stabilibus, itidem fructiferis, cum ejusdem oneris repetitione, atque annexione converti debeat.

„ §. 8. Ad hæc Sacra Congregatio quibusvis Capitulis, Collegiis, Societatibus, & Congregationibus, nec non omnibus, & singulis Ecclesiarum, ac piorum locorum, tam Sæcularium, quam Regularium, superioribus, vel aliis, ad quos pertinet, districte prohibet, ne in posterum onera perpetua suscipiant Missarum celebrandarum; Sæculares quidem sine Episcopi, vel ejus Generalis Vicarii; Regulares vero sine Generalis, vel Provincialis consensu, & licentia in scriptis, & gratis concedenda: alioquin Sæcularis, qui hujus prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu Ecclesiæ interdictus sit eo ipso: Regularis vero pœnam privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cetero obtinenda, vocisque activæ, ac passivæ absque alia declaratione incurrant.

„ §. 9. Eleemosynas vero manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis, ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant: alioquin omnino abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis, in futurum recipiendis, & capsulas auferant ab Ecclesiis cum inscriptione illa *Eleemosyna pro Missis*, vel alia simili, sub iisdem pœnis ipso facto incurrendis, ne fideles hac ratione frustrentur.

„ §. 10. Episcopus vero, seu ejus Vicarius, aut Generalis, vel Provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirant de singulis Missarum celebrandarum obligationibus, cuique Ecclesiæ, Monasterio, aut loco Pio incumbentibus: nec antea assensum hujusmodi, aut licentiam præbeant, quam eis legitime constiterit, illius Sacerdotes tam novo oneri suscipiendo, quam antiquis jam susceptis satisfacere posse, præcipuamque rationem habeant, ut reditus, qui Ecclesiis, & locis piis relinquuntur omnino respondeant oneribus adjunctis, secundum morem cujusvis civitatis, vel Provinciæ; intelligantque, si in re tanti momenti desides, aut negligentes fuerint, novissimo die se hujus prætermissi muneris rationem esse reddituros.

„ §. 11. Postremo Illustrissimi Patres non sine gravi animi dolore intelligentes, mala fere omnia, quæ Regularem disciplinam everterunt, ac præcipue nimium hanc facilitatem fovent, in oneribus Missarum supra vires suscipiendis, veluti ex infecta radice pullulare ex majori Regularium numero, quam ferant reditus, & eleemosynæ cujusque Monasterii: Inhærentes Summorum Pontificum, ac Sacri Concilii Tridentini Decretis, hac de re editis, SS. Domini Nostri auctoritate præcipiunt, ac mandant omnibus, & singulis Generalibus, Provincialibus, Commissariis, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicariis, & quibuscumque aliis Superioribus Monasteriorum, Conventuum, ac Domorum Regularium, bona immobilia possidentium, vel non possidentium, cujuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti, existentium intra fines Italiæ, & Insularum adjacentium, ut singuli, ad quos pertinet, in qualibet Provincia adhibitis duobus, aut tribus Regularibus sui Ordinis, vel Congregationis probatioribus, & rerum usu peritioribus, bona immobilia, census, reditus, & proventus omnes, consuetas item eleemosynas, & obventiones, tam communes Monasteriorum, Conventuum, & Domorum ejusdem Provinciæ, quam etiam singularibus Personis Religiosis assignatas, seu permissas, in communem usum deinceps conferendas decem annorum immediate præcedentium habita ratione, diligenter, & mature recognoscant, iis omnibus detractis, quæ reparationes, præstationes, grandines, sterilitates, aliave cujuslibet generis onera consueverunt absurbere.

„ §. 12. Eaque omnia scripto fideliter exarata, idem superior, cujus interest, in proximo capitulo, seu Congregatione generali, vel Provinciali, coram tribus Judicibus ab ipsomet capitulo, seu Congregatione deligendis proponat, qui computatis hujusmodi reditibus, eleemosynis, & obventionibus universis, & oneribus, ut supra, detractis, sedulo examinent, quod Religiosi homines, connumeratis etiam Laicis, aliisque necessariis servientibus, in unoquoque Monasterio, Conventu, & Domo Regulari, juxta Regionis, & proprii Insti-

tuti

„ tuti morem, victum, & vestitum, & Medicinalia in communi habentes, competenter valeant sustentari. Tum eorumdem bonorum, redituum, eleemosynarum, & onerum præcisam notam ipsimet Capitulo, seu Congregationi exhibeant, ut in illo diligenter omnibus discussis, cujusque familiæ Monasterii, Conventus, ac Domus Regularis, in singula quaque Provincia, certus earum tantum personarum numerus Patrum Capitularium voto præfigatur, quæ redditibus, eleemosynis, & obventionibus, ut superius, sufficienter ali possint.

„ §. 13. Ne vero superiores, qui id præstare debent, serius, aut remissius quam par est suo muneri satisfaciant, mandat Sacra Congregatio, ut infra annum, post proximum Capitulum Generale, vel Provinciale computandum, omnia hoc de genere Capitulariter gesta in authenticam formam redacta ad Sacram ipsam Congregationem Concilii singuli mittant.

„ §. 14. Numerumque familiæ, singulorumque Conventuum, Monasteriorum, & Domorum hujusmodi Regularium, Capituli, seu Congregationis Generalis, vel Provincialis sententia, & auctoritate præfinitum, iidem Superiores tam Generales, & Provinciales omnes, quam locales perpetuo servare omnino teneantur, nec possint illum quoquo modo augere, etiam prætextu augumenti redituum absque Sacræ ipsius Congregationis licentia: Superiores autem hujusmodi, qui prædicta omnia, in præfixo termino, non præstiterint, vel numerum, ut supra præscriptum, quovis modo augere præsumpserint, privationis omnium officiorum, quæ tunc temporis obtinebant, vocisque activæ, ac passivæ, & ad omnia suæ Religionis officia, & gradus inhabilitatis perpetuam pœnam eo ipso incurrere, atque aliis etiam gravioribus a Sede Apostolica infligendis pœnis Sacra Congregatio subjacere voluit, & declaravit.

„ §. 15. Deinceps vero Monasterium, Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas, Religiosorum, seu Regularium, nullibi recipiatur, nisi præter alia ad id requisita, in singulis hujusmodi locis duodecim saltem Fratres, aut Monaci, seu Religiosi degere, & ex redditibus, & consuetis eleemosynis, detractis omnibus, ut supra detrahendis, competenter sustentari valeant ad præscriptum Decret. felicis recordationis Gregorii XV. hac de re editi, alioquin Monasteria, & loca hujusmodi, posthac recipienda, in quibus duodecim Religiosi ut supra sustentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitaverint, Ordinarii loci visitationi, correctioni, atque omnimodæ Jurisdictioni subjecta esse intelligantur.

„ §. 16. Porro ne ullo umquam tempore hæc in oblivionem, seu desuetudinem abeant, superiores locales cujusque Monasterii, Conventus, ac Domus Regularis curare, atque efficere teneantur, sub pœna privationis officii, vocisque activæ, & passivæ ipso facto incurrenda, ut in perpetuum sexto quoque mense, idest feria secunda post primam Dominicam Adventus, & feria sexta post Octavam Corporis Christi, præsentes ordinationes in publica mensa perlegantur.

„ §. 17. Omnibus tam Ecclesiasticis personis, cujuscumque sint Ordinis, Congregationis, & gradus, quam Laicis, quocumque honore, & potestate præditis, præsentia Decreta declarandi, vel interpretandi facultate penitus interdicta.

„ §. 18. Non obstantibus quod supra scripta omnia, & singula in præsentibus Decretis contenta, constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, in favorem quarumcumque personarum, atque Ordinum tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Militiarum, etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, ac cujuslibet alterius Instituti, etiam necessario, & in individuo exprimendi, Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Capitulorum, Hospitalium, Confraternitatum, & aliorum quorumcumque tam Sæcularium, quam Regularium locorum, nec non illorum, etiam juramentu, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia, roboratis, statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis, etiam Mari Magno, seu Bulla aurea, aut alias nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus Decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiamsi pro illatum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis, specialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro expressis habens, quibus, quoad ex, quæ præsentibus adversantur, illis alias in suo robore permansuris, Sacra Congregatio Sanctitatis Suæ auctoritate specialiter, & expresse derogat, ceterisque contrariis quibuscumque.

„ §. 19. Et ne præmissorum ignorantia a quoquam prætendi possit, voluit eadem Sacra Congregatio, ut præsentes ordinationes in Valvis Basilicarum Sancti Joannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Urbe, ac in Acie Campi Floræ, ut moris est, affixæ, omnes, ad quos pertinet, ita arctent, & afficiant, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent.

„ §. 20. Utque earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ die 21. Junii 1625.
Cosmus Card. de Torres.
Prosper Fagnanus S. Cong. Secr.

„ §. 21. Excitatis autem super præmissorum Decretorum intelligentia, seu interpretatione infrascriptis dubiis, prodierunt a memorata Congregatione simili auctoritate illi a præfato Urbano Papa VIII. specialiter attributa, responsiones, seu declarationes inferius apponendæ.

„ Super primo Sacræ Congregationis Decreto de celebratione Missarum, quo prohibetur, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel alias quoquo modo reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis.

„ Quæritur quid si legatum sit ita tenue, ut non sit qui velit onus illi injunctum subire, etsi recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris, totum, aut fere totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis?

„ Et quid si permittatur Episcopo in fundatione, ut possit hujusmodi onera moderari?

„ Secundo super secundo ejusdem Congregationis Decreto, quo cavetur, ut celebrentur tot Missæ, quot ad rationem tributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint.

„ Quæritur an verba illa *præscriptæ fuerint* intelligenda sint de præscriptione facta ab offerente, vel ab Ordinario?

„ Tertio, an cum Ordinarius præscripserit eleemosynam congruam juxta qualitatem Loci, personarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes stipendium minus congruum, teneantur Missas illas ab offerente præscriptas celebrare.

„ Quarto, an Sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione Beneficii, seu Capellæ, Legati, aut Salarii possint etiam Manualem eleemosynam pro Missis votivis, aut Defunctorum recipere, & unico Missæ Sacrificio utrique oneri satisfacere.

„ Quinto, posito quod Testator relinquat, ut celebrentur pro ejus Anima centum Missæ nulla præscripta eleemosyna.

„ Quæritur an liberum sit hæredibus eleemosynam sibi bene visam præscribere, an vero eadem eleemosyna præscribenda sit ab Ordinario?

„ Sexto, super tertio Congregationis Decreto, in quo eadem Congregatio revocat Privilegia, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel anniversariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, seu Orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

„ Quæritur an verba *in futurum suscipienda* intelligenda sint de oneribus suscipiendis post Privilegium?

„ Septimo, super Quarto ejusdem Congregationis Decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui suscipit Missam celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.

„ Quæritur, an permittendum sit administratoribus Ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem pro expensis manutentionis Ecclesiæ, Altarium, Inservientium, Paramentorum, Luminum, Vini, Hostiæ, & similium?

„ Octavo, an hoc Decretum habeat locum in Beneficiis, quæ conferuntur in Titulum, idest, an Rector Beneficii, qui potest per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem redituum Beneficii?

„ Decimo, an Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna major solita, pro celebratione Missæ, debeant dare eamdem integram eleemosynam iis, quibus Missas celebrandas committunt; an vero satis sit, ut dent Celebrantibus eleemosynam consuetam?

„ Undecimo, super Quinto ejusdem Congregationis Decreto, quod inter cetera statuitur in hæc verba *eleemosynas vero Manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis* ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera obire valeant: Alioquin omnino abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis in futurum recipiendis, & capsulas auferant, &c.

„ Quæritur an hoc Decretum prohibeat absolute, quo minus accipiant novas eleemosynas ii, qui acceptis non sat fecerunt, & quid, si congruo tempore possint omnibus satisfacere?

„ Duodecimo, quid si offerens eleemosynas, audito impedimento, consentiat, ut Sacerdos Missam celebret cum primum poterit?

„ Decimo tertio, an pœna interdicti, & aliæ appositæ in eodem Decreto, afficiant tam eos, qui accipiunt eleemosynam contra formam ibi præscriptam, quam eos, qui non auferunt capsulas ab Ecclesiis, ut ibidem præcipitur.

„ Decimo quarto, an in hoc Decreto comprehendantur illæ capsulæ, quæ apponi solent in Ecclesiis in die Commemorationis omnium Sanctorum, & vulgo dicuntur *casse de' morti*?

„ Decimo quinto, an administratores Ecclesiæ magnæ devotionis, & concursus possint eleemosynas pro Missis celebrandis accipere, si iisdem Missis nonnisi per longum tempus satisfacere valeant, ne alias cultus Ecclesiæ, & devotio, ac concursus Fidelium, ut ajunt, minuatur?

„ Decimo sexto, quia prohibitio dicti Decreti videtur aliquibus directa solis Capitulis, Collegiis, Societatibus, Congrega-

gatio-

gationibus, necnon omnibus, & singulis Ecclesiarum, piorum locorum, tam saecularium, quam Regularium, superioribus, de quibus fit expressa mentio, non autem privatis Sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur sub clausula generali *& aliis ad quos pertinet*, supplicatur pro opportuna declaratione?

„ Decimo Septimo, super septimo ejusdem S. Congregat. Decreto quo cavetur, ut in singulis Monasteriis Religiosorum praefigatur numerus, qui ex consuetis reditibus, aut eleemosynis commode possint sustentari.

„ Quaeritur an ubi haec praefixio facta jam fuit in vim similis Decreti Sanctae memoriae Pauli V. absque tamen computatione redituum cujusque Religiosi, sit denuo facienda nec ne?

„ Decimo octavo, an Novitii ad habitum Regularem admissi, possint admitti ad professionem in Monasteriis, in quibus habita, ut supra, praefixione numeri, commode ali non possunt?

„ Decimo nono, super ultimo, quo cavetur, ut nullibi recipiantur Conventus Regularium, nisi praeter alia ad id requisita, duodecim saltem Fratres in eis degere, & competenter sustentari valeant, ita ut alioquin subsint Jurisdictioni ordinariae.

„ Quaeritur an hoc Decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrationem Missarum, comprehendat eas Religiones, quae non consueverunt onera Missarum recipere, ut sunt Religiones Cappuccinorum, & Societatis Jesu?

„ Ultimo ad idem Decretum, ubi disponit, ut nullibi recipiantur Monasteria, nisi &c. habeat locum in Italia dumtaxat, ad quam est restrictum Decretum proxime antecedens, an vero etiam extra Italiam.

Declarationes, seu responsiones ad supra dicta dubia.

„ §. 22. Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum auctoritate sibi a Sanctissimo Domino nostro attributa ad singula dubia superius proposita ad hunc modum respondit, videlicet,

„ Ad primum, etsi legatum sit adeo tenue, nihilominus pro reductione oneris, ut supra impositi, ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam, quae absque ulla impensa id statuet, quod magis in Domino esse judicaverit. Verumtamen, si in ipsa Beneficii erectione expresse cautum fuerit, ut liceat Episcopo injunctum onus reducere, ac moderari legem hanc fundationis, quam Decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam, & observandam.

„ Ad secundum, esse intelligenda de praescriptione facta ab eo, qui eleemosynam tribuit, non autem ab ordinario. Quod si tribuens eleemosynam numerum missarum celebrandarum non praescripserit, tunc tot Missas celebrari debere, quot praescripserit ordinarius secundum morem civitatis, vel Provinciae.

„ Ad tertium teneri.

„ Ad Quartum Sacerdotes quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione Beneficii, seu Capellae, Legati, aut Salarii, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere.

„ Ad Quintum censuit, ubi nullam certam eleemosynam Testator reliquit, esse ab Episcopo praescribendam eleemosynam congruam, quae respondeat oneribus Missarum celebrandarum, secundum morem civitatis, vel Provinciae.

„ Ad sextum, ita esse intelligenda.

„ Ad septimum respondit permittendum non esse, ut Ecclesiae, ac loca pia, seu illorum administratores, ex eleemosynis Missarum celebrandarum ullam, utcumque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione, nisi cum Ecclesiae, & loca pia alios non habent reditus, quos in usum earumdem expensarum erogare licite possint, & tunc quam portionem retinebunt nullatenus debere excedere valorem expensarum, quae pro ipsomet tantum Missae Sacrificio necessario sunt subeundae; & nihilominus eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis, quae superfunt, expensis ut supra deductis, absolute tot Missae celebrentur, quot praescriptae fuerint ab offerentibus eleemosynas.

„ Ad Octavum, non habere locum, sed satis esse, ut Rector Beneficii, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam congruam secundum morem Civitatis, vel Provinciae, nisi in fundatione ipsius Beneficii aliud cautum fuerit.

„ Ad Decimum, debere absolute integram eleemosynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse.

„ Ad Undecimum respondit non prohibere absolute: ac propterea, etsi oneribus jam susceptis non satisfecerint, posse tamen nova etiam onera suscipere Missarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.

„ Ad Duodecimum, quamvis onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuens eleemosynam pro aliarum Missarum celebratione, id sciat, & consentiat, ut illae tunc demum celebrentur, cum prioribus oneribus satisfactum fuerit, Decretum non prohibere, quin minus eo casu eleemosyna accipiatur pro iisdem Missis, juxta Benefactoris consensum celebrandis.

„ Ad Decimum tertium, has poenas non habere locum nisi in suscepturis onera perpetua Missarum celebrandarum sine licentia Episcopi, vel ejus Generalis Vicarii, aut Generalis, vel Provincialis.

„ Ad Decimum quartum. Comprehendi.

„ Ad Decimum quintum non posse, nisi de consensu eorum, qui eleemosynas tribuunt, ut supra in responsione ad duodecimum.

„ Ad Decimum sextum comprehendi etiam privatos Sacerdotes.

„ Ad Decimum septimum, numeri praefixionem esse iterum faciendam, servata forma ultimi Decreti hac de re editi.

„ Ad Decimum octavum esse admittendos ad Professionem, si alias habiles extitant, ac deinde in aliquo alio Monasterio ejusdem Religionis esse collocandos, ubi commode ali possint.

„ Ad Decimum nonum, censuit comprehendere.

„ Ad Ultimum habere locum extra Italiam.

Cosmus Card. de Torres.
Prosper Fagnanus, S. Congreg. Secr.

„ §. 23. Cum autem super praemissis diversi irrepserint abusus, illorumque occasione quamplures querelae, & recursus ad Apostolicam Sedem pervenerint; cupiens eadem Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum hujusmodi detestabiles abusus e Christiana Republica pro viribus evellere, ac opportune providere, ut sublatis fraudibus, ac emendata negligentia, piae disponentium, seu benefactorum voluntatis fides illibata servetur, Defunctorum animabus integra, & prompta praestentur suffragia, itidemque Deo major gloria, & Ecclesiis praestantior cultus reddatur, praevia auctoritate per SS. D. N. Innocentium Divina providentia PP. XII. et specialiter attributa, infrascripta Decreta prius in particulari nonnullorum ex praefatis Cardinalibus per Sanctitatem Suam deputata, & postea in generali hujusmodi Cardinalium Congregatione mature, & accurate discussa, recognita, & examinata edidit.

„ §. 24. In primis praeinserta Decreta cum praemissis illorum Declarationibus, plenissime, & amplissime approbat, confirmat, & innovat; omniaque, & singula, ibidem contenta, expressa iterum omni meliori modo decernit, statuit, ac ab omnibus, & singulis, etiam speciali, & individuali nota, seu expressione dignis, penitus observari & omnimodae executioni demandari decernit, sancit, & praecipit.

„ §. 25. Insuper, ut in re tanti momenti consultius, ac majori, ut par est, circumspectione procedatur: si qui forsan fuerint, vel sint, qui suis pravis, & erroneis intentionibus, seu opinionibus, blandiri volentes, Missarum celebrationem omittant, sub malitiosa, vel irrationabili spe earumdem condonationem, vel reductionem a Sede Apostolica, vel compositionem a Reverenda Fabrica Sancti Petri de Urbe, obtinendi; Congregatio praefata, tum eosdem, tum quoscumque alios, qui posthac in adeo detestabiles abusus ausi fuerint offendere, certiores fieri, & monitos esse voluit, praefatas condonationes, & reductiones ab eadem Sede, nonnisi ex rationabili causa, seu aequa commiseratione; compositiones vero a dicta Fabrica, utente suis facultatibus, & privilegiis, nonnisi ex causa pariter rationabili, & cum clausulis opportunis, & praesertim cum illa: *Dummodo malitiose non omiserint animo habendi compositionem, alias gratia nullo modo suffragatur*, admitti consuevisse, & solere; quapropter, ut locus omnis in posterum hisce praetextibus praecludatur, memorata Congregatio tales intentiones, opiniones, seu spes, ac eleemosynarum sive in toto, sive in parte, versiones in alium, quam praefatarum Missarum usum, seu satisfactionem, & qualcumque alias directas, vel indirectas, immediatas, vel mediatas contraventiones, seu circumventiones, declarat prorsus irrationabiles, injustas, & illicitas, illasque omnino reprobat, damnat, & interdicit.

„ §. 26. Cumque hujusmodi absurda ex eo plerumque proveniant, quod onera Missarum supra vires suscipiantur, caveant omnes, & singuli Rectores, Superiores, & Ministri, quarumcumque, tum Saecularium, tum Regularium, Ecclesiarum, seu illarum Capitula, ne onera, seu Missas, tum perpetuas, tum temporales, tum etiam manuales, quarum satisfactioni impares fuerint, quoquo modo suscipiant, atque idipsum, quoad fieri poterit, pateat, teneantur iidem conficere, semperque in loco, magis patenti, & obvio, retinere Tabellam onerum perpetuorum, & temporalium, litteris perspicuis, & intelligibilibus descriptam, quorum implemento, si moraliter, & intra praescriptum, sed breve tempus satisfacere non posse, seu illa dumtaxat, & non ulteriora adimplere posse crediderint, seu credere debuerint, alias Missas, sive perpetuas, sive temporales, sive manuales, per se, vel per interpositas personas quoquomodo recipere, seu acceptare omnino desistant, seu abstineant, & ulterius tali casu in eadem Tabella similiter exprimant, sese propterea aliis Missis acceptandis, & celebrandis impares esse.

„ §. 27. Iidemque teneantur pariter in Sacrario duos libros retinere, ac in eorum altero singula onera perpetua, & temporalia: In altero autem Missas manuales, & tam illorum, quam illarum adimplementum, & eleemosynas distincte, diligenter adnotare, & adnotandas, seu adnotanda curare, singulisque annis de supradictis adimplementis, eleemosynis, & oneribus, pariter exactam rationem suis Superioribus reddere, ac omnes, & singulas rationes hujusmodi in praefatis respective

libris, simili distinctione, & diligentia, tam præfatis, a quibus rationes debent reddi, quam Superiores, quibus reddendæ erunt, describere, seu annotare, sive describendas, & annotandas respective curare.

„ §. 28. Quibus semper salvis debeant ulterius Regulares prædictas omnes, & quascumque eleemosynas, tum Manualium, tum perpetuarum, & temporalium Missarum reponere in Capsa particulari, sub duabus clavibus, quarum una penes Superiorem localem, altera vero penes alium a Capitulo Conventuali Deputatum, retineatur, ac de iisdem eleemosynis, & celebratione Missarum coram Patribus discretis, seu Conciliariis, vel alio simili modo nuncupatis, singulis mensibus distinctam rationem exigere, & respective reddere.

§. 29. Quod si prædicti, ad quos cura Tabellæ, Capsæ, & Librorum præfatorum respective pertinet, seu pertinere debet, suam operam præ Missis, ut præfertur, minime navaverit, & Superiores, tum Sæcularium, tum Regularium Ecclesiarum, rationem prædictam non exegerint, seu non invigilaverint, quod præfati, qui in curam Tabellarum, & Librorum incumbunt, suo muneri, ut præfertur, satisfaciant, in singulis respective casibus; Sæculares pœnam suspensionis incurrant; Regulares vero voce activa, & passiva, ac gradibus, & officiis, quæ obtinent, ipso facto, & absque alia declaratione, privati sint, & intelligantur, nec non ad hujusmodi gradus, & officia obtinenda similiter inhabilitentur, & inhabilitati sint, & intelligantur.

„ §. 30. Porro ne ullo unquam tempore omnia, & singula Decreta prædicta in oblivionem, seu desuetudinem abeant, Rectores, Superiores, seu Capitula, Ecclesiarum Sæcularium, illa retineant publice exposita in eorum Sacrario; Superiores vero locales cujuscumque Monasterii, Conventus, ac Domus Regularis, curare, & efficere teneantur, sub pœna privationis officiorum, quæ obtinent, vocisque activæ, & passivæ ipso facto incurrenda, ut in perpetuum sexto quoque mense, idest feria secunda post primam Dominicam Adventus, & feria sexta post octavam Corporis Christi, omnes, & singulæ præmissæ tum insertæ, seu confirmatæ, tum in præsens factæ ordinationes, una cum dictis declarationibus, in publica mensa perlegantur.

„ §. 31. Meminerint igitur, & satagant Ordinarii, ut a personis, & in Ecclesiis quoquomodo, etiam in vim Decretorum Concilii Tridentini sibi subjectis, Missæ ea, qua par est, fide, & diligentia celebrentur, & cuncta, & singula Decreta hujusmodi omnimodæ executioni demandentur, nedum justitiam recurrentibus, seu instantibus reddentes, sed ex Officio, tum in Visitationibus, tum in aliis actibus, & modis, quos expedire, & convenire toties, quoties judicaverint, inquirentes, ne aliquid omittatur, quod his omnibus, & singulis Decretis adversetur.

§. 32. Caveant etiam respective omnes Regulares, tum subditi, tum Superiores quicumque, nedum locales, sed etiam Provinciales, & Generales, ne Missarum celebratio, & omnium Decretorum præmissorum executio, cum pernicie propriarum animarum, cum præjudicio illarum, quibus Missæ sunt applicandæ, & cum magno Christifidelium scandalo, quoquomodo omittantur, differantur, negligantur, seu pervertantur, alioquin ultra propriæ conscientiæ onerationem, pœnam privationis vocis activæ, & passivæ, ac graduum, & officiorum, quæ obtinent, nec non inhabilitationis ad hujusmodi gradus, & officia obtinenda prorsus incurrant.

„ §. 33. Curent propterea præfati superiores Regulares in omnes, & singulos contravenientes, debitis pœnis diligenter, & prompte, etiam per inquisitionem animadvertere, & insuper teneantur omnes, & singuli Superiores Locales in Provincialibus Capitulis, seu Congregationibus, exhibere attestationem, seu fidem ab omnibus Sacerdotibus Conventus, Monasterii, seu cujuscumque Domus Regularis subscriptam, & juratam, quod omnibus, & singulis, tum perpetuis, tum manualibus Missarum oneribus, seu obligationibus, ad limites, & tenorem eorum præsentium Decretorum tempore regiminis fuerit omnino, & integraliter satisfactum, vel deficiente aliqua modica satisfactione, possit etiam hujusmodi residuali implemento Missarum, distincte referendarum, intra breve tempus moraliter satisfieri, & adjecta, & omnino adimplenda conditione, quod ante præfatæ attestationis exhibitionem, quicumque superiores Locales prædicti, vocem activam, seu passivam in memoratis Capitulis, seu Congregationibus omnino habere non valeant.

„ §. 34. Præterea Provinciales, Vicarii, Visitatores Provinciarum, seu Congregationum, debebunt in fine eorum regiminis, superioribus Generalibus in forma probante ostendere, quod executioni præsentium Decretorum sedulo invigilaverint, & ad eorum tenorem in omnibus, & singulis Conventibus, seu Monasteriis, vel Domibus Regularibus Provinciæ, seu Congregationis, de omnibus, & singulis oneribus, & obligationibus, ac insimul satisfactionibus Missarum, exactam, & diligentem rationem exegerint, ac contra delinquentes ad declarationem, & executionem respective pœnarum, in Decretis contentarum processerint, & de adimplemento circa ea, quæ in præmissis ad ipsos spectant, legitime docuerint, alias ad vocem activam, & passivam in Capitulis Generalibus nullatenus admittantur.

„ §. 35. Cæterum, quia etiam ad quamplures Archiconfraternitates, Confraternitates, Societates, Congregationes, Hospitalia, Altaria, Capellas, Oratoria, & Ecclesias, ac alia loca, & opera pia, quomodolibet nuncupata, quæ cuicumque curæ, seu regimini, aut administrationi, vel directioni Laicorum cujuslibet gradus, status, conditionis, & præeminentiæ, etiam speciali, & individuali nota dignorum, duntaxat, vel quorumcumque Ecclesiasticorum, & Laicorum hujusmodi mixtim commendata, annexa, seu quomodocumque commissa, vel attributa sunt, onus, seu cura celebrationis Missarum, sive Manualium, sive ad tempus, vel in perpetuum pertinent: Hinc salvis semper iis, quæ in præinsertis Decretis continentur, omnes, & quicumque hujusmodi Archiconfraternitatum, Societatum, Congregationum, Hospitalium, Altarium, Capellarum, Oratoriorum, & Ecclesiarum, ac aliorum locorum, & operum piorum, Rectores, seu Administratores, vel directores, & alii hujusmodi Officiales, nec non ii, ad quos cura Tabellæ, & Librorum, in præmissis spectat, Tabellam, Libros, & hæc Decreta respective, juxta modos superius expressos, similiter retinere, nec non de oneribus, ac celebrationibus, & eleemosynis dictarum Missarum, singulis annis rationem exigere, & respective iis, ad quos pertinet, reddere, sub pœnis arbitrio, & in subsidium excommunicationis, teneantur.

„ §. 36. Postremo omnibus, & quibuscumque, tam Ecclesiasticis Personis cujuscumque ordinis, status, gradus, Regulæ, Congregationis, Societatis, conditionis, & dignitatis existant, quam Laicis quocumque honore, ac potestate præditis, omnia & singula præmissa Decreta interpretandi, nec non Ecclesiasticis prædictis, pœnas in hujusmodi Decretis, relaxandi, seu quoquomodo circa præmissa dispensandi, omnis, & quæcumque facultas sit penitus interdicta.

„ §. 37. Non obstantibus quoad suprascripta omnia, & singula in hujusmodi Decretis contenta, Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcumque Personarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, militiarum, etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, cujuslibet alterius instituti, etiam necessario, & in individuo exprimendi, Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Capitulorum, Hospitalium, Confraternitatum, & aliorum quorumcumque, tam Sæcularium, quam Regularium locorum, nec non illorum etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, etiam immemorabilibus, Privilegiis, quoque Indultis, & Litteris Apostolicis, etiam Mari magno, seu Bulla aurea, aut alias nuncupatis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus Decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis, concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis specialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro expressis habens, quibus, quoad ea, quæ præsentibus adversantur, illis alias in suo robore permansuris, Sacra Congregatio Sanctitatis suæ auctoritate, specialiter, & expresse derogat, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ die 23. Novembris 1697.

Joseph Card. Sacripantes Præfectus.
Ferdinandus Nuptius S. Cong. Secretarius.

„ §. 38. Quo circa cum dilectus Filius noster Joseph Tituli S. Mariæ Transpontinæ S. R. Ecc. Presbyter Cardinalis Sacripantes, memoratæ Congregationis Præfectus præfata Decreta nobis retulit: Nos considerantes eadem omnia, & singula Decreta, ea, qua decet maturitate, digesta & examinata, ac in vim Apostolicæ auctoritatis, eidem Congregationi specialiter, ut præfertur, attributæ peracta, perutilia fore censentes, illaque propterea perpetuo, & inviolabiliter observari, nec non constitutionis nostræ munimine roborare volentes: motu proprio, non ad cujuspiam nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, matura deliberatione, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, præinserta Decreta, omniaque, & singula in eis contenta, tenore præsentium auctoritate Apostolica confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis, & irrefragabilis Apostolicæ firmitatis robur, & efficaciam adjicimus; quinimo motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine similibus, omnia & singula in supradictis Decretis contenta, de novo statuimus, decernimus, & ordinamus, ac ab omnibus, & quibuscumque, etiam speciali, & individua nota dignis, omnino exacte, & perpetuo servari volumus, sancimus, & mandamus.

„ Decernentes præsentes Litteras cum omnibus, & singulis inibi contentis, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, & ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime, & inviolabiliter observari. Sicque, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, quavis auctoritate, præeminentia, aut potestate fungentes, & functuros, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem

S. R.

„ S. R. Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuntios, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

„ Non obstantibus omnibus, & singulis, quæ præfata Congregatio, auctoritate per ejusdem recordationis Urbanum Papam VIII. & respective per nos, illis specialiter attributa, decrevit non obstare, quæ pariter, & iterum nos tenore præsentium, non obstare decernimus, & mandamus, quibus omnibus, quoad ea, quæ præsentibus advertantur, illis alias in suo robore permansuris, etiam horum serie plenissime, specialiter, & expresse derogamus cæterisque contrariis quibuscunque.

„ Volumus autem, ut præsentes Litteræ in Valvis Ecclesiæ Lateranensis, ac Basilicæ Principis Apostolorum, nec non Cancellariæ Apostolicæ, curiæque Generalis in Monte Citatorio, ac in acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, publicentur, & agantur, sicque publicatæ, & affixæ omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perinde arctent, & afficiant, ac si unicuique eorum personaliter intimatæ fuissent.

„ Pariterque, ut earumdem præsentium transumptis impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

„ Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum Confirmationis, Approbationis, Statuti, Decretorum, Ordinationis, Voluntatis, Sanctionis, Mandatorum, & Derogationis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

„ Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo septimo. Decimo Kalendas Januarii. Pontificatus Nostri anno septimo.

II. Cum circa tempora Alexandri Papæ VII. inter Theologos ea quæstio versaretur, num possit stipendium accipi pro personalis specialissimi fructus, ipsi Celebranti correspondentis, applicatione, ultra eleemosynam pro Missa celebranda; ita ut nonnulli Auctores in sententiam affirmativam prolapsi, suis etiam typis datis scriptis asseruerint, Sacerdoti pro aliquo Missam celebranti accepta eleemosyna, licitum esse aliam recipere pro fructus Sacrificii sibi tangentis applicatione; ac proinde casum hunc non cadere sub Decreto Sacræ Congregationis Concilii prohibente duplex recipi posse stipendium, seu eleemosynam pro unica Missa celebranda; eadem S. Cong. de mente ipsiusmet Alexandri VII. declaravit ut infra.

D E C R E T U M II.

III. *Propterea Sacra Congregatio Em. Em. ac R. R. D. D. S. R. Ecc. Card. Concilii Trid. interpretum, qua auctoritate sibi per Apostolicam Sedem specialiter attributa sedulo curat, ne a Sacerdotibus circa celebrationem sacrosancti Missæ Sacrificii, unde in nos uberrima Divinæ liberalitatis munera derivantur, avaritiæ labes ulla, aut suspicio contrahatur, antedictam assertionem mature examinavit, eademque prorsus reprobata sub die 25. Januarii 1659. censuit nulli Sacerdoti licitum esse præfata ratione, sive prætextu, aliam eleemosynam accipere præter illam, quam acceperit ab eo, pro quo Missam offerre tenetur; ac proinde casum hunc esse comprehensum in Decretis alias per eamdem Sacram Congr. editis, quibus prohibetur, ne duplex stipendium pro unica Missa recipiatur.*

IV. Quam Sacræ Congregationis *Sententiam* ad SS. DD. Alex. Papam VII. *relatam Sanctitas Sua sub die 29. ejusdem mensis approbavit, & Decretum publicari, atque ad Episcopos, & Generales Regularium Ordinum transmitti jussit, ut ipsi Doctrinam hujusmodi per suos Pœnitentiarios, & Confessarios, ac Lectores respective insinuari, doceri, atque in Tractatibus Moralibus per eosdem imprimendos evulgari, pastorali vigilantia curent. Publicatum die 27. Octobris 1659.*

V. Insuper ad majorem cautelam in negotio tanti ponderis, damnata fuit ab eodem Alexandro VII. subsequens propositio in ordine 8. *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet Celebranti respondentem; idque post Decretum Urbani VII.* in Decreto S. Inquisitionis die 24. Septembris 1665.

Item ab eodem Pontifice sequens consimilis damnata fuit propositio in ordine 10. *Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre: neque etiam est contra fidelitatem, etiam si promittam, promissione etiam juramento firmata, danti stipendium quod pro nullo alio offeram.*

VI. Si verba ponderentur, quibus supra memorata S. C. Concilii responsum fecit ad sequens dubium, profecto evidens est, quod neque unica Missa duplici obligationi satisfieri potest applicando pro una fructum satisfactorium, & pro alia impetratorium.

Dubium S. C. Em. Em. ac RR. DD. S. R. E. Card. Conc. Trid. Int. propositum.

D E C R E T U M III.

An Sacerdos, qui unum stipendium accipit pro celebratione Missæ, v. g. pro defuncto, & sic cum obligatione applicandi fructum satisfactorium, & aliud stipendium pro celebratione Missæ, v. g. pro infirmo, & sic cum obligatione applicandi fructum impetratorium; possit unica Missa utrique obligationi satisfacere, applicando pro defuncto satisfactorium, & pro infirmo impetratorium? Anve hoc in casu locum habeat Decretum servandum Sacræ Congregationis Concilii de celebratione Missarum. Die 13. Decembris 1659. Sacra Cong. EE. ac RR. DD. S. R. Ecc. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum respondit quoad primam partem non posse satisfacere, quo vero ad secundam habere locum. Et merito; esto enim ex Missæ Sacrosancto Sacrificio, quod ut dicebamus satisfactorium est, ac impetratorium, duo præcipue fructus oriantur, scilicet debiti solutio, & divinorum beneficiorum uberior consecutio, ideoque secundum se possit & pro uno debitum relaxare, & pro alio simul potiora beneficia a Deo impetrare; adhuc tamen ad tollendam de medio quantum fieri potest aliquorum Sacerdotum improbam cupiditatem, unam tantum congruam pro unius Missæ Sacrificio applicando eleemosynam exigi posse a Sacerdotibus Celebrantibus Ecclesia tolerat, quatenus non est pretium Consecrationis, quod juxta D. Thomam esset simoniacum, sed ut quasi suæ sustentationis stipendium eam accipiant. Profecto, ut gliscens hæc pestis ab Ecclesia prorsus propelleretur, & insatiabilis Sacerdotum aviditas perpetuo fræno coerceretur, Patres Concilii Toletani anno 1324. cap. 6. prohibuerunt, ne Sacerdos aliquid vel minimum pro Missæ applicatione ex pacto, & conventione exigeret, sed unusquisque ea eleemosyna contentus esset, quæ ei sponte daretur, his verbis: *Multa mentis amaritudine concitamur, gravisque doloris aculeus perfodit mentem nostram, intelligentes, quod aliqui Presbyteri detestanda, & abominabili ambitione cæcati, pro Missis per eos celebrandis pecuniam exigunt, & super hoc, ac si vellent vendere rem profanam, impudenter mercantur... Verum cum dictum Sacramentum super omnia pretiosum sit, liberaliter sicut cætera Sacramenta celebrandum, districtius prohibemus, ne aliquis Presbyter pro Missis celebrandis pecuniam exigat, vel rem aliam temporalem, sed grate accipiat, si aliquid per facientem Missas celebrari oblatum sibi charitative fuerit, absque pacto, & conventione quacumque.* Collect. Harduin. Tom. 7. col. 1484.

VII. Hinc Concilium Tridentinum animadvertens mercimonium illud, quod Patres Toletani Concilii ut supra fuerant detestati, adhuc perdurare, sess. 22. in Decreto de observandis, & evitandis in celebratione Missæ, Episcopis commisit, ut de medio tollerent quidquid avaritia contra Sacrosancti Sacrificii Missæ reverentiam induxerat, his verbis: *Atque, ut multa paucis comprehendantur, in primis, quod ad avaritiam pertinet, cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, & quidquid pro Missis novis celebrandis datur, nec non importunas, atque illiberales eleemosynarum exactiones potius, quam postulationes, aliaque hujusmodi, quæ a Simoniaca labe, vel certe a turpi quæstu non longe absunt, omnino prohibeat.*

VIII. Contra hos detestabiles abusus Ecclesiam perpetuo invigilasse, perspicuum est, & erui potest ex tot salubribus Constitutionibus, quibus Sacerdotum avaritiam totis viribus refrenare contendit; etenim ante supra memorata Decreta S. Congregationis Concilii, cum circa sæculum decimum tertium in Ecclesiam irrepsisset opinio illa ab avaritia unice excitata, quod uno Sacrificio possit pro pluribus acceptis eleemosynis satisfieri, Lambetense Concilium celebratum sub anno 1282. carpere decrevit.

D E C R E T U M. IV.

Ne credat Celebrans se dicendo Missam unam, posse satisfacere pro duobus, pro quo utroque promisit specialiter, & in solidum celebrare... Absit enim, ne a quoquam Catholico credatur tantum intentione prodesse Missam unam devote celebratam mille hominibus, pro quibus forsan dicitur, quantum si mille Missæ pro eis devotione simili canerentur. Licet ipsum Sacrificium, quod est Christus, sit infinitæ virtutis, non tamen in Sacrificio suæ immensitatis summam plenitudinem operatur: alioquin pro uno mortuo nunquam oporteret nisi unam Missam dicere. Operatur enim in hujusmodi Mysteriis distributione certa suæ plenitudinis, quam ipse eisdem lege infallibili alligavit. Hinc perspicue improbatur Valfridi Strabonis opinio, qui existimasse videtur Missæ Sacrificium non plus uni prodesse, pro quo speciatim offertur, quam universo fidelium cœtui; Lib. etenim de rebus Eccles. cap. 22. ita scribit: *Sed & in hoc error non modicus videtur, quod quidam se non posse aliter plenam commemorationem eorum facere, pro quibus offerunt, nisi singulas oblationes pro singulis offerant, vel pro vivis & defunctis non simul æstimant immolandum, cum vere sciamus unum pro omnibus mortuum, & unum panem esse, & Sanguinem, quem Universalis Ecclesia offert. Quod si cui placet, pro singulis singulatim offerre, pro solius devotionis amplitudine, & orationum augendarum declaratione id faciat, non autem pro stulta opinatione, qua putet unum Dei Sacramentum non esse generale medicamentum.* Hoc enim ipso, quod Sacrificii Missæ effectus, seu fructus, sic hujus Sacrificii Christo institutore disponente, non est infinitus, sed finitus, ac limitatus, ut in initio dicebamus, & communiter sentiunt Doctores, jam perspicuum est, ei plus prodesse, cui talis fructus applicatur, quam aliis. Hæc autem fructus, seu Sacrificii Missæ applicatio taliter Sacerdoti celebranti addicta est, ut ab alio nemine, nisi a solo Christo institutore, aut restringi, aut suppleri possit; est enim actio, quæ solius Celebrantis dominio subjicitur, unde Missæ applicatio Sacerdotis subditi prævalet utique applicationi

ipsius Superioris, esto graviter peccet Sacerdos subditus Sacrificium applicando contra intentionem sui Prælati, & in hoc casu teneatur aut supplere aliud celebrando Sacrificium juxta Prælati intentionem, aut manifestare ei se non obtulisse juxta ejus applicationem.

IX. Insuper Sacerdotem Missam præcelebrare non posse pro benefactore, qui primo ei stipendium exhibuerit, expresse colligitur ex dispositione ejusdem Sacræ Concilii Congregationis de mandato Clementis VIII. edita, in Decreto de celebratione Missarum sub die 15. Novemb. 1605.

X. Tandem non posse missas ab aliis Sacerdotibus celebrari facere minori eleemosyna, quam ipsi receperint, pro se ipsis ejusdem eleemosynæ parte aliqua retenta, etiam annuente Sacerdote ipso, qui minori stipendio eas celebrandas suscipit, declaravit Benedictus XIV. sua constitutione, quæ incipit: Quanta cura, quæ pro majori intelligentia, hic ad litteram subditur.

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, & Episcopis universis gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habentibus

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres salutem, & Apostolicam Benedictionem.

» XI. Quanta cura adhibenda sit, ut Sacrosanctum Missæ Sacrificium, non solum omni Religionis cultu, ac veneratione celebretur; verum etiam ut a tanti Sacrificii dignitate cujusvis generis mercedum conditiones, pacta importuna, atque illiberales eleemosynarum exactiones potius, quam postulationes, aliaque hujusmodi, quæ a Simoniaca labe, vel certe a turpi quæstu non longe absunt, e medio tollantur, nemo est ex Catholicæ fidei cultoribus, qui ignoret. Verum eo usque tandem progressa est, sicut non sine ingenti cordis nostri mœrore undique accepimus, nonnullorum, sive Ecclesiasticorum, sive Laicorum virorum avaritia, quæ est idolorum servitus, ut eleemosynas quidem, seu stipendia propter Missarum celebrationem juxta locorum consuetudines, vel diœcesanarum synodorum sanctiones, in subsidium alimentorum uniuscujusque Sacerdotis, duntaxat pro Regionum opportunitatibus præscripta, colligunt, Missas vero celebrari curent alibi, ubi eleemosynæ, seu stipendia, vel consuetudine, vel Synodali lege, pro singulis Missis attributa sunt minoris pretii, quam illic, ubi accipiuntur, darentur. Id, quam absonum sit, atque alienum ab ipsa, sive expressa, sive tacita pie offerentium voluntate, omnes plane intelligunt, nec aliter existimandum est, In illa enim potius Missas esse celebrandas quisque vult, ad quam Religionis, & pietatis stimulis ductus, eleemosynas confert, aut in qua quispiam fortasse tumulatus est, quam in alia Ecclesia, sibi prorsus ignota. Quod sane veluti mercaturis faciendis a turpis lucri cupiditate inductum, non solum ab avaritiæ suspicione, & vitio, verum etiam a furti crimine, unde restitutioni subjacet, haud immune, in causa est, ut bonorum quam plurimi, ad quorum notitiam mercatura hujusmodi venit, graviter offensi, ab eleemosynis ad celebrandas Missas amplius offerendis, se se abstineant. Execrabilem hujusmodi abusum, alicubi sensim irrepentem detestantes Romani Pontifices Prædecessores nostri de consilio tum Congregationis Sac. R. E. Cardinalium Universalis inquisitionis contra hæreticam pravitatem, tum Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, Decretum voluerunt, nimirum a quolibet Sacerdote stipendio, seu eleemosyna majoris pretii, pro celebratione Missæ a quocumque accepta, non posse alteri Sacerdoti Missam hujusmodi celebraturo stipendium, seu eleemosynam minoris pretii erogari, etsi eidem Sacerdoti Missam celebranti, & consentienti, se majoris pretii stipendium, seu eleemosynam accepisse indicasset. Ea propter vos venerabiles Fratres, in Apostolici ministerii, & sollicitudinis nostræ partem adscitos rogamus, & maximopere in Domino hortamur, ut custodientes vigilias super gregibus vestris, enitamini, ne ea pestis amplius pervagetur, sed ut penitus extinguatur; ab avaritia enim, tamquam a radice, mala omnia germinant, quam quidam appetentes erraverunt a fide, & inseruerunt se doloribus multis. Avaritia quidem nulla potior contagio, quæ conceptam apud omnes Sacerdotalis dignitatis, perfectionisque opinionem magis inficiat, evellatque. Avaritia opibus Deum postbabere, ac servire mammonæ, decens efficit, ut avari hæreditatem non habeant in Regno Christi, & Dei. Quod si hæc in Laicis hominibus minime toleranda, atque adeo legibus coercenda, quid in Ecclesiasticis Viris, qui terrenis rebus nuntium miserunt, qui in sortem Domini vocati, qui Deo mancipati sunt: Quid, quod non per mundana lucra, sed per Altaris ministerium, tam sordide, & cum sanctissimarum legum contemptu, & cum Sacerdotalis characteris dedecore in avaritiam præcipiti animo rapiuntur? Contendite igitur Venerabiles Fratres, quibus Christi ovium cura demandata est, non solum, ut verbo, & exemplo, præeuntes Christi sitis bonus odor in omni loco, unde populi vestigia vestra sequantur; verum etiam, ut Ecclesiasticos primum, deinde laicos viros, ab infestis vitiorum pascuis avertentes, per viam mandatorum Dei ad cæleste ovile currere doceatis. Quoniam autem ita comparatum est, ut præsentis pœnæ metu salutaribus monitis facilius obtemperetur; per edictum in vestris Diœcesibus proponendum, affigendumque, universis notum facite, quemcumque, qui eleemosynas, seu stipendia majoris pretii pro Missis celebrandis, quemadmodum locorum consuetudines, vel Synodalia statuta exigunt, colligens, Missas retenta sibi parte earumdem eleemosynarum, seu stipendiorum acceptorum sive ibidem, sive alibi ubi pro Missis celebrandis minora stipendia, seu eleemosynæ tribuuntur, celebrari fecerit, Laicum quidem, seu sæcularem, præter alias arbitrio vestro irrogandas pœnas, excommunicationis pœnam, Clericum vero, sive quemcumque Sacerdotem, pœnam suspensionis ipso facto incurrere, a quibus nullus per alium, quam per nos ipsos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, nisi in mortis articulo constitutus absolvi possit. Fore autem in Domino confidimus, ut unusquisque memor conditionis suæ, posthac bene consultum velit animæ suæ, nec tam salutares leges, censurasque Ecclesiasticas parvipendat. Interea Fraternitatibus vestris Apostolicam Benedictionem in populos, etiam curæ vestræ commissos redundaturam permanenter impartimur. Volumus autem, ut præsentium litterarum transumptis, sive exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in publico, & extra adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 30. Mensis Junio 1741. Pontificatus nostri anno primo.

D. Cardinalis Passioneus.

XII. Hic monendum quoque censemus Indulta ab Apostolica Sede concessa pro Missarum oneribus moderandis, ad reducenda onera per contractum suscepta, non suffragari; sic enim decernit Sacra Concilii Congregatio *in Maceraten. oneris Missarum* 15. Novemb. 1687. lib. 73. Decretorum pag. 636. In montis Policiani 3. Septemb. 1716. lib. 66. Decret. pag. 429. aliisque permultis in locis. In quibus responsionem faciens ad dubium: An sustineatur reductio Missarum in casu supra memorato, ait *negative, & amplius*, talis enim reductio Missarum concedi solummodo solet, quando agitur de Missarum onere per legatum, non autem ex vi mutui contractus suscepto. Eamdem tamen Congregationem in oppositum etiam decrevisse constat in una ordinis B. Mariæ de Mercede sub anno 1724. die 8. Julii, in qua præcise respondit: *In reductione ab Indulto permissa comprehendi etiam onera per contractum acceptata; eamdemque declarationem edidit die 19. Augusti ejusdem anni* in una Patrum Congreg. Reformatæ Sancti Benedicti, ut videre est in Thesauro Resolutionum Sac. Cong. Concilii tom. 6. 18. Apr. 1733. quamvis ibidem aliæ adhuc contrariæ annotentur resolutiones, ex quibus infertur non satis perspicue posse dignosci, quid Sacra Congregatio senserit circa interpretationem indulti, secundum se considerati; propterea que in dubiis, pro hujusmodi interpretatione, ad ipsam esse recurrendum; pro varietate circumstantiarum utique diversas solet edere casuum resolutiones.

XIII. Ad Missarum compensationem quod attinet, cum nihil aliud sit, quam Missas ultra debitum numerum celebratas pro Missis celebrandis computare; ut dignoscatur quando amplectenda, aut rejicienda sit hujusmodi compensatio, expendenda est responsio Sacræ Congregationis Concilii ad sequentia dubia, in Romana suspensionis oneris, & reintegrationis eleemosynæ Missarum 21. Maji 1718.

DECRETUM. V.

I. An celebratio Missæ quotidianæ pro anima quondam Ægidii Ursini de Vivariis intermittenda sit, quo usque fructus locorum montium pro hujus celebratione assignatorum, per eorum continuum investimentum in alia loca montium, in totum ascendant ad annua scuta sexaginta in casu, &c.

II. An pro Missis huc usque celebratis, annua semper eleemosyna scutorum sexaginta debita fuerit in casu &c. & quatenus affirmative.

III. An ex iisdem fructibus locorum montium ante omnia sit detrahenda, & persolvenda tota illa pecuniarum summa, quæ pro reintegratione eleemosynæ Missarum celebratarum, ad istiusmodi annuam rationem sexaginta scutorum hactenus desideratur, in casu, &c. Sacra Congregatio Concilii 21. Maji 1718. respondit ad prim. *affirmative*, ad secundum, & tertium *dilata*.

XIV. Cum autem iterum eadem pro resolutione duorum posteriorum dubiorum proponeretur causa, die 3. Decemb. 1718. eadem Sacra Congr. respondit: *iterum proponatur*; ita quoque respondit die 26. Augusti 1719. & iterum proposita die 11. Januarii 1721. non fuit resoluta; sicut nec die 6. & 20. Decembris ejusdem anni. Tandem reposita pro die 17. Januarii 1722. eadem Sacra Congregatio respondit ad mentem, quod committatur negotium Eminentissimo Præfecto. Contendebant Patres, quod antequam Missæ quotidianæ reassumerent celebrationem pro Anima Ægidii Ursini, sibi ex fructibus locorum montium prius persolveretur tota illa pecuniarum summa, quæ deficit ad rationem scutorum sexaginta annuorum pro Missis jam celebratis. Unde Fiscalis Apostolicæ Visitationis, qui postea fuit Minerbiensis Episcopus, pro veritate super hoc articulo scripsit, & sensit Patres bonum jus fovere, & sic ante omnia ipsis debitam esse reintegrationem; sed pro Missis celebratis ab anno 1676. usque ad annum 1715. non autem pro Missis celebratis ab anno 1653. usque ad annum 1656. ex quo modicum fuit damnum, quod hoc parvo tempore Patres passi sunt, & potissimum pro

hoc

hoc afferto fundamentum repositum fuit in hoc, quod incongruum videbatur, ut Patres, qui Missas celebrarunt, tempore, quo ab earum celebratione poterant abstinere, conventa careant eleemosyna, & multo magis, quia verisimile ipsi admodum videbatur, quod Patres quando Missas celebrarunt, notitiam non habuerint pacti, ad cujus tramites poterant a celebratione abstinere, attento videlicet magno temporis lapsu, ab anno 1653. ad annum 1676. quo rationabiliter fieri potuisset suspensio Missarum, & animadverso ulterius, quod onus perpetuum Missæ fuerat in Tabella descriptum absque ulla adnotatione, seu indicatione pacti.

XV. Pratens Visitationis Apostolicæ Fiscalis conatus est probare Patres malum jus fovere, tum quia de jure, quando quis non obstante taxatione congrui stipendii pro Missis celebrandis, incongruam acceptavit eleemosynam, non potest Missarum numerum minuere, nec compensare cum Missis in posterum celebrandis, nec ulterius stipendium postulare, tum quia pactum in Instrumento appositum suspendendi celebrationem Missarum, usquequo completa esset annua summa scutorum sexaginta, fuit mere facultativum, & non obligatorium; hinc, inferendo, quod si Patres loco suspensionis Missarum, continuare voluerunt in earum celebratione, & sic hanc viam elegerunt, nequeant ipsi ad aliam viam convolare modo, & instare pro reintegratione summæ quæ deficit, & eo fortius, quia per totum fere tempus, quo contigit fructuum locorum montium imminutio, fuit ab eis pro Missis celebratis recepta eleemosyna ultra manualem, quo stante sustinet verisimile admodum esse, quod Patres bene sciverint pactum; sed eodem uti noluerint, ne præsentanea commoditate eleemosynarum, quibus indigebant, carerent. Ex Thesauro Resolutionum S. Cong. Concilii Tom. 2. pag. 7.

XVI. Circa onus quod habent ii omnes, qui animarum curam gerunt, pro suis ovibus Sacrificium offerendi juxta monitum Sacrosanctæ Synodi Tridentinæ sess. 23. cap. 1. *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, &c.* non defuerunt Theologi, a quibus quæstio illa fuit excitata: num, *verba illa pro his Sacrificium offerre*, intelligenda sint de sola Sacrificii celebratione ad exhibendam suis ovibus opportunitatem audiendi sacrum; an etiam simul de applicatione ejusdem Sacrificii pro populo sibi commisso. In qua quæstione ea semper fuit Sacræ Congregationis sententia, ut omnes curam habentes animarum, sive sæculares sint, sive Regulares, ex præcepto teneantur Missam applicare pro populo omnibus Dominicis, & festis diebus, sive habeant, sive non habeant congruam; illudque dumtaxat Parocho, si sit pauper, concedit, ut die festo Missam quidem applicare possit pro eo, qui ei eleemosynam exhibet, dummodo alio per hebdomadam die pro Populo applicet in supplementum, &c. Equidem Tridentina Synodus non dicit præcise quod teneantur offerre coram illis, ut Missam audiant; sed *pro his Sacrificium offerre*, hoc est applicare; ex quibus infertur jure Divino Parochos omnes teneri Missæ Sacrificium applicare pro populo; & quidem quotidie, qui pingues habent reditus, & qui tenues, ut supra, omnibus saltem festis diebus, in quibus nec pro se, nec pro aliis adhuc gratis applicare Missæ Sacrificium possunt, sic etenim pluries expresse declaravit Sac. C. Concilii, cujus declarationes Innocentius, & novissime Benedictus XIV. confirmarunt; quæ ut ab omnibus expendi possint, ad litteram hic subduntur.

IN LUCANA.

„ XVII. Cum præcepto Divino iis, quibus animarum cura commissa est, mandatum sit pro ovibus suis sacrificium offerre, sæpe alias Sacra Congregatio Concilii censuit Parochos teneri pro Parochianis Sacrificium applicare, atque ea cum distinctione, ut si reditus pingues sint, singulis diebus, si vero tenues, saltem diebus festivis. Idem nunc censet quoad Parochos istius Civitatis, & Diœcesis, hoc insuper addens, ut detrectantes E. V. pro suo Pastorali zelo compellere non gravetur. Hanc Sacræ Congregationis sententiam E. V. significo, eique manus humillime deosculor. Romæ, 10. Maij, 1681.

Humillimus, & addictissimus servus.
F. Cardinalis Columna.

Stephanus Archiepiscopus Brancatius
Sac. Cong. Secret.

XVIII. Sic quoque declaratum fuit in una Civitatis Castellanæ 26. Augusti 1628. aliisque permultis in causis; quibus declarationibus, cum adhuc Parochi non acquiescerent, autumantes vi Tridentini Concilii, & Decretorum Sacræ Congregationis, non teneri Missæ Sacrificium applicare pro ovibus suis illos, qui beneficii tenuitate redituum, nec pro se ipsis congruam habent; Sacra eadem Congregatio 10. Maji 1692. respondit hos etiam teneri, ita quod memoratis diebus nullum stipendium pro Missa accipere valeant, sive habeant, sive non habeant ex beneficii reditibus congruam, ut plane eruitur ex præcisis Decreti verbis, pro inviolabili observantia ab Innocentio XII. specialiter confirmati die 24. Aprilis 1699. sequenti sua Constitutione.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

„ XIX. Nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum Sac. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum emanavit, super quodam dubio pro parte Venerabilis Fratris Moderni Pistoriensis Episcopi, & Pratensis Congregationis hujusmodi proposito, Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet Pistoriensi, & Praten. Cum Parochi Ecclesiarum Pistorien., & Praten. inter varias opiniones doctorum involuti, negligant in dies celebrationem, & respective applicationem Sacrificii pro populo juxta dispositionem Sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini, Episcopus ad consulendum nedum propriæ, verum etiam dictorum Parochorum conscientiæ, supplicat declarari, an dicti Parochi teneantur omnibus diebus festis applicare Sacrificium pro populo sive habeant congruam, sive non? Die 14. Februarii 1690. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit, dandas esse resolutiones, alias hac de re editas, & signanter in nullius Nonantulanæ Eminent. Abbati 30. Augusti 1689. tenoris, ut infra. Cum præcepto Divino iis, quibus animarum cura commissa est, mandatum sit pro ovibus suis Sacrificium offerre, sæpe alias Sacra Congregatio Concilii censuit, Parochos teneri pro Parochianis Sacrificium applicare, & præcipue in dubio applicationis Sacrificii proposito, & respective resoluto sub die 10. Maji 1692. bis præcisis verbis concepto: An Parochus Missam celebrare teneatur, & Sacrificium applicare pro Parochianis in Diebus Dominicis, & Festis, sive habeant congruam, sive non? Sacra Congregatio, juxta alias declarationes, censuit teneri, nec posse eisdem diebus aliam eleemosynam recipere, ac proinde idem nunc respondendum esse censuerunt Eminentissimi Patres quoad Parochos Nonantulanæ Diœcesis. addentes insuper quod E. V. pro suo Pastorali zelo compellere non gravetur &c.

I. Cardinalis Sacripantes Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

„ XX. Cum autem, sicut dictus Episcopus nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius consistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret; Nos specialem ipsi Episcopo gratiam facere volentes, eumque a quibuscumque excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus, ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium, decernentes easdem præsentes litteras validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 24. Aprilis 1699. Pontificatus nostri anno octavo.

S. Frater Cardinalis Albanus.

XXI. Neque per hoc, quod dura nimis, atque severa visa fuerit præfata decisio nonnullis Narnensis Diœcesis Parochis, tenuissimam pene scutorum vigintiquinque, aut triginta habentibus congruam, ac proinde ad memoratam Sacram Congregationem recursum facientibus pro aliqua talium Decretorum moderatione, haudquaquam potuit removeri; rescripsit enim, adhuc servandum esse Decretum emanatum in D. Nonantulana. Sapientissimæ hujus, ac justissimæ decisionis ea ratio potissima est, quia ex vi proprii muneris, seu officii, non autem ratione congruæ alimentariæ, obstringitur Parochus Sacrificium offerre pro Populo, pro cujus majori adhuc elucidatione, consulenda est subsequens novissima Benedicti XIV. dispositio.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque locorum Ordinariis per Italiam constitutis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

„ XXII. CUM semper oblatas nobis occasiones Apostolica scripta dirigendi ad Fraternitates Vestras libenter

„ ter amplectimur, ut sinceræ nostræ erga vos dilectionis argumenta frequenter eluceant; tum vero majori alacritate animi idipsum præstamus, cum ad excitandum Fraternitatum Vestrarum zelum, pro conservatione rectæ disciplinæ in Clero regimini vestro commisso, præsentibus rerum, aut temporum conditionibus commovemur. Nec enim impositum imbecillitati nostræ onus sollicitudinis omnium Ecclesiarum aliter sustinere Nos posse confidimus, quam si Divini cultus augumentum, atque exactam Ecclesiasticarum Sanctionum in singulis Diœcesibus custodiam, religiosæ vigilantium Pastorum curæ identidem inculcando, commendemus.

„ §. 1. Hujus porro Epistolæ ad Vos scribendæ occasionem Nobis, atque argumentum in primis præbet onus illud, quod omnibus animarum curam gerentibus incumbit, applicandi Missam Parochialem pro Populo ipsorum curæ commisso; tum etiam applicatio Missæ Conventualis, quæ pro Benefactoribus in genere facienda est ab iis, qui Missas canunt in Ecclesiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis; tum denique debitum psallendi, quo tenentur Canonici prædictarum Ecclesiarum Choro assistentes. Cujus quidem argumenti minime nova, sed a Scriptoribus frequenter habita tractatio est, cumque ea res in hujus Almæ Urbis Nostræ Congregationibus, & potissimum in Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, cujus Secretarii munere olim in minoribus constituti multos annos perfuncti sumus, multoties discussa, ac definita fuerit, quamvis earumdem Congregationum Decreta, plerumque circa eam uniformia, & sibi consona prodierint, eorumque Decretorum nonnulla etiam Pontificiam Prædecessorum Nostrorum approbationem, & confirmationem meruerint, minime tamen mirandum esset, eorum notitiam ad singulos quosque vestrum non adhuc pervenisse. Quapropter non modo opportunum, verum etiam necessarium duximus Encyclicam hanc Epistolam ad Vos scribere, per quam, sublata demum diversarum, in quas Scriptores abierunt, opinionum varietate, constans hujus Apostolicæ sedis sententia prædictis de rebus cuilibet innotescat, & Fraternitatibus Vestris quædam veluti norma, ac regula suppetat, juxta quam Synodales, aliasque vestras circa præmissa constitutiones, ordinationes, seu Edicta, quorum publicationem Vobis injungimus, dirigere valeatis. Eorum vero exquisitionem, dum juxta ea, quæ in præsentibus tenenda, atque servanda præscribimus, omni, qua decet, sollicitudine, ac vigilantia urgere studebitis, minime dubitandum Vobis erit, ne statutorum Vestrorum implemento, obicem, aut moram afferre valeant recursus ad hujus Nostræ Curiæ Tribunalia forsitan habendi; utpote quos omnino rejiciendos esse præcipimus, ac jubemus: quamobrem has ipsas litteras Nostras in singulorum Tribunalium Regestis asservari volumus, atque ad earum præscriptum, tam ipsorum Tribunalium resolutiones, quam de Vestris Decretis, quæ ipsis præsentibus inhærentes edituri estis, Judicia exigi, & conferri mandamus.

„ §. 2. Et quidem quod nuper enunciavimus, sacrosanctum Missæ Sacrificium a Pastoribus animarum applicari debere pro Populo ipsorum curæ commisso, id veluti ex divino præcepto descendens, a Sacra Tridentina Synodo diserte exprimitur sess. 23. cap. 1. de Reformat. per hæc notabilia verba: *Cum præcepto divino mandatum sit, omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre.* Et quamvis minime defuerint, qui per inanes, & frivolas interpretationes hujusmodi obligationem a Sancta Synodo memoratam de medio tollere, vel saltem extenuare contenderint; quum tamen relata Concilii verba satis clara, & perspicua sint, cumque prædicta Congregatio ejusdem Concilii interpretationi privative præposita constanter edixerit, eos, quibus animarum cura demandata est, non modo Sacrificium Missæ celebrare, sed illius etiam fructum medium pro populo sibi commisso applicare debere, nec illud pro aliis applicare, aut pro hujusmodi applicatione eleemosynam percipere posse, quodque magis interest, quum hæc intelligentia a Prædecessoribus Nostris Romanis Pontificibus approbata fuerit, & confirmata: nihil jam amplius ulli vestrum desiderandum superest, ut eam amplecti, eidemque obsequi, nec non illius promptam executionem in Vestris respective Diœcesibus omni studio procurare debeatis.

„ §. 3. Neque nos tamen, qui ut superius innuimus, in minoribus adhuc degentes, munus Secretarii prædictæ Congregationis Concilii Tridentini interpretis, plures annos obivimus, aliosque non paucos, partim in Anconitanæ Cathedralis, partim in Metropolitanæ Bononiensis Patriæ Nostræ dilectissimæ, quam adhuc retinemus, gubernatione assidue transegimus; non inquam Nos latent multiplicis generis effugia, per quæ nonnulli prædictæ obligationis implementum declinare satagunt, quibusque perinde opportune a Nobis est occurrendum.

„ §. 4. Quum enim Sacrum Tridentinum Concilium, ne Animarum Cura negligatur, non uno in loco Episcopis mandet, ut quotiescumque opus fuerit idoneos Vicarios cum certorum fructuum assignatione ad eamdem curam exercendam eligant, ut videre est *in sess. 6. cap. 2. & sess. 7. cap. 5. sess. 21. cap. 6. & sess. 25. cap. 16.* „ Non raro autem eveniat, ut aliqua Ecclesia Parochiali vacante, Vicarius pariter ad adimplenda hujusmodi Ecclesiæ onera, usque ad novi Rectoris electionem, ab Episcopo deputari debeat, eodem Concilio Tridentino id jubente *sess. 24. cap. 18. de Reform.* „ Nonnulli ex hujusmodi Vicariis nituntur seipsos a prædicta obligatione subtrahere, vel ex eo quod habituali cura penes alium, seu alios residente, ipsi actualem dumtaxat exerceant; vel quod ipsi sunt ad nutum amovibiles, vel ad breve tempus hujusmodi curæ sint addicti: ut nihil hic loquamur de Parochis Regularibus, qui a prædicta applicatione Missæ pro Populo nonnumquam alienos se ostendunt. Itaque mens Nostra, & sententia est, sicuti etiam pluries a prælaudatis Congregationibus judicatum fuit, ac definitum, quod omnes, & singuli, qui actu animarum curam exercent, & non solum Parochi, aut Vicarii Regulares, uno verbo omnes, & singuli, de quibus supra dictum est, atque alii quicumque, etiam specifica, & individua mentione digni, æque teneantur Missam Parochialem applicare pro populo, ut præfertur, ipsorum curæ commisso.

„ §. 5. Nonnulli vero, ad evitandum hujusmodi obligationis implementum allegare solent, congruos sibi Parochiæ suæ reditus non suppetere, alii denique ad inveteratam consuetudinem confugiunt, sustinentes id neque sibi, neque decessoribus suis per longum tempus, quod immemorabile affirmant, unquam in usu fuisse. Nos autem ad præcedentes prædictæ Congregationis Concilii resolutiones Nostram approbationem, & confirmationem extendimus, & quatenus opus sit, Auctoritate Apostolica iterum tenore præsentium decernimus, & declaramus, quod licet Parochi, seu alii, ut supra, animarum curam habentes, congruis præfinitis reditibus destituantur, & quamvis antiqua, seu etiam immemorabili consuetudine in ipsorum Diœcesibus, seu Parochiis obtinuerit, ut Missa pro Populo non applicaretur, eadem nihilominus omnino in posterum ab ipsis debeat applicari.

„ §. 6. Dum tamen diximus, omnes animarum curam habentes Missæ Sacrificium pro Populo sibi commisso applicare debere, non ideo statuere volumus, eosdem aut quotidie, aut quotiescumque celebraverint, ad prædictam applicationem pro populo teneri. Et quidem Sacrosancta Tridentina Synodus *Sess. 23. cap. 14.* „ præcipit Episcopis curare, ut Sacerdotes saltem diebus Dominicis, & Festis solemnibus Missarum Sacra faciant; *Si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent.* In pluribus autem Synodalibus Episcoporum Constitutionibus novimus provide constitutos, ac designatos esse dies, quibus animarum Pastores Missas celebrare debeant. At vero Nos id unum in præsenti suscepimus decernendum, quando nimirum iidem pro populo celebrare, & applicare teneantur. Et quamvis compertum habeamus id, quod alias a Congregatione Concilii responsum fuit, Parochum nempe pinguibus reditibus dotatum quotidie pro populo celebrare, & applicare debere, eum vero, qui uberioribus hujusmodi reditibus non gaudeat, festivis tantum diebus idipsum præstare teneri; Quum tamen pariter Nobis perspectæ sint tum controversiæ super hoc ipsum exortæ, nimirum, ad quam summam pertingere debeant Ecclesiæ Parochialis proventus, ut pingues, & uberes appellari possint; quoniam pingues minime habendi sunt reditus, etiam copiosi, quibus tamen multiplicia, & gravia sint onera adnexa: Tum etiam multorum querelæ adversus hujusmodi decretum, tamquam plus æquo rigidum, excitatæ nobis innotescant: Idcirco opportunum censemus Fraternitatibus Vestris declarare, Nobis abunde satisfactum fore, Vobisque proinde satis esse posse, dum ii, qui animarum curam exercent, Sacrificium Missæ pro Populo celebrent, atque applicent in Dominicis, aliisque per annum diebus festis de præcepto, cum prædicti Dominici aliique festi dies ii sint, in quibus juxta præceptum Concilii Tridentini *Sess. 5. cap. 2. & sess. 24. cap. 4.* „ quilibet animarum curæ præpositus Populum sibi commissum salutaribus verbis pascere debet, docendo ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem. Iidemque sint dies, de quibus eadem Sancta Synodus statuit, *ut moneat Episcopus populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei;* „ & quibus Parochi subditos suos in Doctrina Christiana erudire debent, juxta id, quod a prædicto Concilio in cit. cap. 4. Episcopis præcipitur, ut nempe *saltem Dominicis, & aliis festivis diebus pueros in singulis Parochiis fidei rudimenta & obedientiam erga Deum, & Parentes, diligenter ab iis ad quos spectabit doceri curent.*

„ §. 7. Et quia nonnullis Diœcesibus numerus dierum festorum de præcepto, de Apostolica Nostra Auctoritate, & consensu, eatenus est imminutus, ut nempe in aliquibus festis Christi fideles & Missam audire, & ab operibus servilibus abstinere debeant; in aliis vero populo permissum sit opera servilia exercere, firma remanente obligatione audiendi Missæ Sacrificium; Nos, ut obortæ jam dubitationes circa onus applicationis Missæ Parochialis in hujusmodi diebus festis penitus eliminentur, statuimus, & declaramus, quod etiam iisdem festis diebus quibus Populus Missæ interesse debet, & servilibus operibus vacare potest, omnes animarum curam gerentes Missas pro populo celebrare, & applicare teneantur.

„ §. 8. Quia vero propria nonnumquam experientia satis agnovimus aliquos esse Parochos adeo pauperes, ut ferme ex eleemosynis, quas a fidelibus pro Missarum celebratione accipiunt, vivere cogantur; eos vero, qui Ecclesia Parochiali vacante, ad animarum curam exercendam, sub Vicarii, seu Economi nomine, deputantur aliquibus in locis, adeo illiberaliter tractari, & exigui reditus ipsis constituti, & pauca incerta emolumenta eisdem obvenientia ægre ad eorum vitæ necesf-

„ necessaria sufficiant, quod iis quoque non raro evenire solet, qui in aliquibus Ecclesiis, habituali cura apud alios manente, actuali tantum exercitio sunt addicti, proindeque cum istis severe nimis agi videretur, si diebus festis, quibus potissimum hujusmodi occasio se offert, eisdem vetitum esset eleemosynam pro applicatione Missæ recipere. Idcirco Nos tam istorum, quam illorum inopiam summopere miserantes, eisdemque, quantum nobis integrum est, consulere volentes, quamvis, ut supradictum est, omnes, & singuli prædicti teneantur diebus festis Missam pro populo celebrare, & applicare, attamen, quod pertinet ad prædictos Parochos egentes, unicuique vestrum facultatem concedimus, cum iis, quos re vera tales esse noveritis, opportune dispensandi, ad hoc ut etiam diebus festis hujusmodi eleemosynam ab aliquo pio Offerente recipere, & pro ipso Sacrificium applicare, quatenus id ab eo requiratur, libere, & licite possint, & valeant; dummodo ad necessariam Populi commoditatem in ipsa Ecclesia Parochiali Missam celebrent; Ea tamen adjecta conditione, ut tot Missas infra hebdomadam pro Populo applicent, quot in diebus festis infra eandem hebdomadam occurrentibus juxta peculiarem intentionem alterius pii Benefactoris obtulerant.

„ §. 9. Quod autem spectat ad Vicarios, seu Œconomos Ecclesiarum vacantium, quum a Sacro Tridentino Concilio cit. sess. 24. cap. 18. cuilibet Episcopo tribuatur facultas eos deputandi, & constituendi, *cum congrua ejus arbitrio fructuum portionis assignatione*; Vestrum erit Vener. Fratres, cum iis agere, qui vacantis Ecclesiæ fructus exigunt, ut egenti Vicario, qui exigua hujusmodi certorum fructuum assignatione, paucisque incertis proventibus gaudeat, congruum aliquod augmentum præbeatur pro onere celebrandi, & applicandi Missam pro populo diebus festis; qua propter pro iis locis, in quibus Ecclesiarum vacantium fructus ad commodum Cameræ Nostræ Apostolicæ exiguntur, opportuna Thesaurario Nostro Generali mandata dirigimus, quæ is denunciare non prætermittet peculiaribus dictorum locorum Collectoribus, cum quibus Episcopi Ecclesiasticæ Nostræ ditionis, ceterorumque locorum, in quibus, ut præfertur, Ecclesiarum vacantium fructus ad Cameram prædictam pertinent, officii sui partes in eum finem, de quo supra diximus, interponere debebunt.

„ §. 10. Ac demum, quoad illos, qui tamquam Vicarii, sive perpetui, sive ad tempus constituti, Animarum curam administrant, quæ apud alios habitu residet, ratione alicujus Ecclesiæ Parochialis, ipsorum Ecclesiis, seu Monasteriis, Collegiis, aut Locis Piis, olim unitæ; quamvis a recol. mem. Prædecessore Nostro Sancto Pio Papa V. præfinita fuerit certa pars fructuum hujusmodi Vicariis assignanda, pro ut in ipsius Constitutione, quæ incipit, *Ad exequendum*, „ data Kalendis Novembris anni 1567. distincte statuitur; Nihilominus, ubi præscripta fructuum portio, vel nullo modo, vel non integre Vicariis prædictis assignata reperitur, vel etiam ubi ea, quæ ad normam prædictæ constitutionis eisdem fuerit attributa, minime sufficiens a vobis reputetur, propter temporum circumstantias, & signanter pro implendo onere celebrandi, & applicandi Missam pro Populo diebus festis de præcepto; utendum vobis erit potestate, quam fecit Episcopis Synodus Tridentina, *Sess. 7. cap. 7.* dum illorum arbitrio permisit, juxta temporum, & injunctorum onerum rationem, congruam prædictis Vicariis fructuum portionem assignare; quam ob caussam Nos etiam Fraternitatibus Vestris, quatenus opus sit, necessarias omnes, & opportunas facultates impertimur, quibuscumque appellationibus, privilegiis, aut exemptionibus, ut in eodem Concilio sancitur, adversus ea, quæ salubriter a Vobis constituta fuerint, minime suffragantibus.

„ §. 11. Hæc igitur circa Missam Parochialem statuenda, & Fraternitatibus Vestris denuncianda judicavimus. Indeque gradum facientes ad ea, quæ pertinent ad Missam Conventualem, neminem Vestrum latere putamus, Sacrorum Canonum sanctiones, quibus præcipitur, ut singulis diebus in Ecclesiis Parochialibus, Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis, tum Horæ Canonicæ debitis modo, & forma recitentur, tum etiam Missa Conventualis celebretur, quæ adeo claræ sunt, ut nulla supec iis oriri possit dubitatio. Eaque de re perspicuæ pariter, & per omnia uniformes existunt Resolutiones ab hac Congregatione Ven. Fratrum Nostrorum Concilii Tridentini Interpretum repetitis vicibus emanatæ, quas omnes Apostolica Auctoritate Nostra confirmamus, & approbamus, earum executionem vobis enixe inculcantes; ut scilicet Missa Conventualis, quæ singulis diebus canitur a Clero prædictarum Ecclesiarum pro earumdem Benefactoribus in genere quotidie applicetur; eodem prorsus modo, quo Missam Parochialem ab iis, qui curam Animarum gerunt, pro Populo sibi commisso singulis saltem diebus festis de præcepto applicari debere superius declaravimus.

„ §. 12. Itaque date operam, ut falsam quorumdam opinionem eliminetis, quam in aliquibus Ecclesiis ejusmodi, sive dolo malo, sive per errorem invectam esse novimus; quod nempe dum Missa Conventualis pro certo aliquo Ecclesiæ Benefactore, vel grati animi ergo, vel ex vi oneris impositi celebratur, & applicatur, satis impletum censeatur debitum applicationis Missæ Conventualis. Etenim hujusmodi debitum non quidem respicit singulares aliquos Benefactores, sed Benefactores in genere cujuslibet Ecclesiæ, cujus servitio addicti sunt quicumque in eadem, sive dignitates, sive Canonicatus, sive Mansionariatus, sive Beneficia Choralia obtinent, & Missam Conventualem suis respective vicibus celebrant.

„ §. 13. Neque minus improbandam noveritis aliorum sententiam, qui satis putant supradictam obligationem impletam esse, dum in earum Ecclesiis pro Benefactoribus in genere aliquæ interdum preces fiunt, vel anniversaria statis diebus Sacrificia pro illis peraguntur. Nemo enim id sibi arrogare debet, ut impositæ obligationi alia ratione satisfacere possit, quam ea, quæ in lege Ecclesiastica multoties præscripta fuit: Nimirum Missam Conventualem singulis diebus pro Benefactoribus celebrando, eandemque pro illis in genere applicando.

„ §. 14. Profecto non solum prioribus Ecclesiæ sæculis, verum etiam temporibus haud longe a nostra ætate remotis (quod Vos ex Historia Ecclesiæ didicisse non dubitamus) servabatur olim in singulis Ecclesiis series accurata omnium, & singulorum, quorum liberaliter unaquæque aucta fuerat, eorumque nomina Sacris Diptychis, sic enim vocabantur, ideo consignata erant, ut eorundem recordatio nunquam interierit, atque pro iis tum preces funderentur, tum etiam Missæ Sacrificium offerretur; quam ob causam etiam prædictus Catalogus in plerisque Ecclesiis ob oculos Presbyteri celebrantis apponi consuevit; licet iidem pii Benefactores in suis donationibus nihil penitus pro se pacti essent, sed tantummodo pro peccatorum suorum remissione se bona sua Deo offerre declarassent: Ecclesiarum siquidem Præsules preces pro iis imperandas esse duxerunt, quamvis illi propria bona offerentes, ne verbum quidem ea de re fecissent. Sacrorum hujusmodi Diptychorum usus sensim defecit, ob idque in oblivione jacent alicubi complurium Benefactorum nomina. At non idcirco deserere fas est usum, & disciplinam orandi pro iis, & Sacrificium Missæ pro illis offerendi. Atque inde præceptum tum applicandi Missam Conventualem pro Benefactoribus in genere originem, atque rationem desumit.

„ §. 15. Quemadmodum vero, loquendo de Missa Parochiali, superius dictum est, varias excusationes afferri solere ad declinandam illius applicationem pro Populo diebus festis de præcepto; Ita pariter usu venit quoad applicationem quotidianam Missæ Conventualis pro Benefactoribus in genere. Ut autem superiores illæ, sic etiam hæ posteriores proinde e medio sublatæ fuerunt, per opportunas Congregationis Concilii Tridentini resolutiones, quas proinde in his etiam auctoritate nostra approbamus, & confirmamus.

„ §. 16. Nonnulli siquidem obtentu contrariæ consuetudinis etiam immemorabilis in propria Ecclesia vigentis, se ab hujusmodi onere eximi posse sibi persuaserunt. Verum jam pluries responsum fuit, hujusmodi consuetudinem, licet immemorabilem, quæ potius abusus, & corruptela dicenda, est nemini suffragari.

„ §. 17. Alii a Missa pro Benefactoribus in genere applicanda se excusatos voluissent ex eo, quod alio quopiam Missarum onere obstricti inveniantur, vel ratione proprii Canonicatus, aut alterius beneficii Ecclesiastici, quod insimul cum Canonicali præbenda obtinent; vel quia præter munus Canonici, seu Beneficiari, aut Mansionarii in Ecclesia Cathedrali, seu Collegiata, quum etiam in eadem, vel in alia Ecclesia Parochialem curam exerceant, dum Missam Conventualem canunt diebus festis de præcepto, debent pro Populo sibi commisso eam applicare, ac proinde nequeunt eandem, pro Ecclesiæ Benefactoribus specialiter offerre, sed his quoque obviam itum est, jubendo singulis prædictis, ut Missam Conventualem, quam canunt pro Ecclesiæ Benefactoribus in genere applicent; pro aliis vero, pro quibus ipsi pecculiariter Missam applicare tenentur, alterum substituant, qui ipsorum loco Missam hujusmodi celebret, applicetque.

„ §. 18. Aliorum pariter exceptio fuit, quod Missa Conventualis non semper a Canonicis, aut Dignitatibus celebretur, sed aliquando etiam a Beneficiatis, aut Mansionariis: quos minus æquum videtur, pro Missæ celebratione omni eleemosyna carere, quæ unde desumi valeat ignoratur. Cui tamen rei pariter consultum est, demandando, ut ea desumatur ex massa distributionum.

„ §. 19. Alii denique obtenderunt exiguitatem hujusmodi distributionum, quæ ob detractam eleemosynam quotidianam pro Missa Conventuali ad nihilum fere redactæ, vix foret, ut ab aliquo curarentur, cum magno detrimento servitii Ecclesiæ præstandi. Tridentina quidem Synodus sess. 24. cap. 15. opportunas rationes ostendit, quibus Canonicalium Præbendarum inopiæ valeat provideri. Si vero designatam a Concilio viam ut fere evenire solet nequaquam iniri posse contingat, reliquum erit ad Congregationem Concilii recursum habere; cujus erit, perspecto ex Vestris relationibus rerum statu, Auctoritate Apostolica a Prædecessoribus Nostris eidem impartita, & a Nobis etiam præsentium tenore confirmata, quotidianam applicationem Missæ Conventualis pro Benefactoribus in genere, ut alias, ad festos tantummodo dies reducere.

„ §. 20. Non modo Ecclesiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis injunctum reperitur, ut quotidie Missa Conventualis in eisdem canatur, sed etiam in Rubricis generalibus, quarum exactissimam Fraternitatibus vestris custodiam commendamus, præscribitur, ut certis diebus non una, sed binæ, atque etiam aliquando tres Missæ Conventuales uno die celebrentur. Itaque quum nuper a Nobis

„ di-

„ dictum fuerit, primam Missam Conventualem quotidie pro Benefactoribus in genere celebrandam, & applicandam esse; Nunc expendendum superest, an earumdem Ecclesiarum Capitula Jurisdictioni Vestræ respective subjecta adigere debeatis, ut alias quoque Missas, si plures, ut præfertur, celebrari contigerit, pro Benefactoribus in genere similiter applicent.

„ §. 21. Hujusmodi Quæstio ab aliquibus ex Vobis Ecclesiastico zelo flagrantibus supradictæ Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum Concilii Tridentini Interpretum proposita est; Jamque antea illius propositionem compertum fuerat, alias ab eadem Congregatione responsum fuisse, concedendam esse exemptionem ab onere applicandi secundam, & tertiam Missam Conventualem pro Benefactoribus in genere, attenta Canonicatuum, & Beneficiorum tenuitate: Ex quo inferri poterat, hujusmodi applicationis debitum manere, ubi de Ecclesiis pauperibus non ageretur.

„ §. 22. Verum quum hanc definiendæ quæstionis regulam apud prædictam Congregationem non admodum veteri observantia firmatam probe noverimus, cumque hujusce dubii solutionem eadem Congregatio nuper Judicio Nostro remittendam esse censuerit; Nos ita judicamus, idque Vobis tenendum indicimus; laudandos nempe, & confirmandos esse quotquot sponte sua secundam, aut tertiam Conventualem Missam pro Benefactoribus in genere applicant; qui vero idem agunt ex vi consuetudinis in ipsorum Ecclesia vigentis, iis imperandum ut in ea consuetudine perseverent: Ubi vero id usu receptum non invenitur, liberam omnino secundæ, tertiæque Missæ Conventualis applicationem celebrantibus relinquendam esse dummodo in commemoratione pro Defunctis, Ecclesiæ Benefactorum in genere non obliviscantur.

„ §. 23. Huic demum Epistolæ nostræ finem imponentes, Fraternitates Vestras enixe hortamur, ut maximam curam, & vigilantiam in id conferatis, ut in Ecclesiarum Vestrarum Choris præter devotam celebrationem, debitamque applicationem Missæ Conventualis, Horæ Canonicæ non præpropere, sed exacte, pausa nempe interposita, & maxima qua decet reverentia, ac religione canantur.

„ §. 24. Equidem scimus in aliquibus Metropolitanis, & Cathedralibus Ecclesiis inter Canonicos eam opinionem invaluisse, ut se munus suum satis implere contendant, dum Choro psallentes assistunt, licet ipsi sibi silentium imperent, neque psallentibus Beneficiatis, aut Mansionariis in cantu se adjungant. In hujusce vero opinionis confirmationem adduci ab iisdem solent inveteratæ consuetudines, statuta peculiaria, aut etiam prætensa Ecclesiarum suarum privilegia. At quum Synodus Tridentina *sess.* 24. *cap.* 12. loquens de Dignitatibus, & Canonicis, qui Choro interesse debent, unum ex eorum officiis esse dicat, *In Choro ad psallendum instituto, Hymnis, & canticis Dei nomen reverenter distincte, devoteque laudare*; Quumque pauca omnino sint Capitula, in quibus eo modo a Canonicis in Choro assistitur, ideoque receptæ in universa Ecclesia disciplinæ paucos illos adversari dignoscatur; quum insuper opinio illa numquam in Congregatione Concilii Tridentini interpretationi præposita examinata sit, quin statim explosa fuerit, & improbata, quamvis præsumptis consuetudinibus aliisque fundamentis, & rationibus innixa perhiberetur, Canonicis etiam Ecclesiarum Patriarcharum hujus Nostræ Urbis super hoc instantibus; quum denique idem judicium prolatum reperiatur a pluribus Conciliis Provincialibus, ab hac etiam Apostolica Sede approbatis, & confirmatis, nihil jam reliquum esse videtur, quominus pauciores universorum legi se accomodent. Equidem minime nobis compertum est, quo peculiari titulo suffulti persuasum habeant unius vel alterius Ecclesiæ Canonici se muneri suo satisfacere per simplicem in Choro assistentiam, absque Divinæ psalmodiæ cantu. Verum nisi illis prælo sit Apostolicum, non præsumptum, vel abrogatum, sed legitimum, ac vigens privilegium, sive indultum, jure, ac merito verendum est, ne isti dum ita se gerunt, præbendarum, ac distributionum fructus minime suos faciant, & consequenter, ne ad eorum restitutionem teneantur. Quapropter Vestrum erit, Venerabiles Fratres, hæc omnia illis aperire, ut neque Nobis, neque Vobis, apud Divinum Judicem fraudi sit, si in hujusmodi re, quæ tanti est momenti, utpote quæ ad ipsius Dei cultum proxime spectat, abusus, & corruptelas, quas arguendo, & increpando evellere debebamus, dissimulatione, ac silentio vestro fovisse, & confirmasse inveniamur. Interea Fraternitatibus Vestris, quas intimo cordis affectu complectimur, Apostolicam Benedictionem amantissime impertimur, Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 19. Augusti 1744. Pontificatus nostri anno quinto.

XXIII. Sic nos ex scite dictis in hac Encyclica Epistola, seu magis ex illo generali Sacrosancti Concilii Tridentini monito sess. 23. supra citata: *Cum præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre*; cui omnia, quæ in præfata Epistola tenenda, atque servanda indispensabiliter omnibus animarum Rectoribus præscribuntur, innituntur, inferre volumus, atque concludere, Prælatos Regulares quoque sive Generales pro sibi subditis, sive locales respective pro suis de familia, eodem ipsissimo strictiori præcepto, quo Parochi pro suis ovibus, Missæ Sacrificium omnibus saltem diebus festis de præcepto applicare teneri. Novum profecto, & forsan futile validissimum argumentum hoc videbitur iis Prælatis Regularibus, quibus nunquam venit in mentem hujusmodi strictissimæ obligationis implementum; cum tamen si notabilia Sacrosancti Concilii Tridentini supra memorata verba solida, qua decet, ponderatione expendantur, minime dubitandum sit, eodem veluti Divino præcepto, nulla obstante antiqua, quin etiam immemorabili consuetudine in contrarium, ad supra dictam pro suis subditis Missæ applicationem teneri omnes Religionum Superiores, quibus animarum cura ordinaria, & ex officio inseparabiliter addicta est. Huic sententiæ favet admodum Pater Antonius Naldi *in Summa V. Parochus* n. 19. ubi sic legitur: *Revera non magis debet de jure Divino obligari Parochus in hoc pro suis ovibus, quam Prælatus Regularis pro suis subditis, Episcopus pro sua Diœcesi, atque etiam Summus Pontifex pro Universali Ecclesia, in quibus proportionaliter esset dicendum quod de Parocho.* Ita sentiunt alii non pauci Doctores cum Patre Suarez in tertiam partem D. Thomæ, Tom. 3. disp. 86. sect. 1. & Tom. 4. de Religione, Tract. 8. lib. 2. n. 7., ubi sequentia verba leguntur: *Hæc autem jura generaliter loquuntur de omnibus dignitatibus Ecclesiasticis habentibus curam animarum annexam, sub quibus sine dubio comprehenduntur etiam Prælationes Regulares; magnam enim sine dubio curam animarum habent ordinariam, & ex officio veræ Prælationes, & dignitates Ecclesiasticæ sunt.*

XXIV. Ad Missas Conventuales quod attinet, quæ non fuerunt in Ecclesiis Metropolitanis, Patriarchalibus, Cathedralibus, &c. ut supra pro Benefactoribus in genere applicatæ, Sacra Concilii Congregatio 19. Augusti 1713. in Balnearegen. ad secundum dubium respondit, *quod Canonici singuli tenentur a die adepti Canonicatus Missas Conventuales pro Benefactoribus in genere non applicatas satisfacere*; & eodem modo loquendo de Parochis 11. Maii 1726. in Comen. ad secundum dubium eadem Sacra Congregatio Concilii respondit, *Parochos Missas Parochiales omissas applicare debere.* Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.

XXV. Quæstio versatur inter Doctores, num Missæ Sacrificium applicari possit juxta ipsius Dei beneplacitum, hoc est fructus Sacrificii applicationem ponendo in Dei voluntate: & quidem loquendo de applicatione Missæ Conventualis pro Benefactoribus in genere facienda videtur, quod modus, seu formula sic applicandi Sacrificium non sit improbanda. Applicandi tamen Missæ Sacrificium regula tutior est, ut Celebrans antequam se transferat ad Altare, eam, vel eas personas determinet, pro qua, vel pro quibus celebrare intendit, eam, vel eas in genere actualiter etiam recensendo ad *Memento*. Esto enim vulgatior sententia circa intentionem Sacrificium applicandi existimet sufficere intentionem etiam tantum habitualem, ad differentiam intentionis Sacrificium conficiendi, quæ ad minus virtualis esse debet; quia applicatio fructus Sacrificii est veluti quædam donatio, seu translatio ejusdem fructus, quæ subsistit adhuc, etsi multo antea tempore fuerit facta, multisque actibus interrupta, dummodo non revocata: nemo tamen ignorare potest, quod magis proficua est actualis, quam virtualis, & virtualis, quam habitualis Sacrificii applicatio.

XXVI. Hic discuti solet in qua Missæ parte applicatio fieri debeat. Quidam autumant hanc fieri posse etiam consecratione peracta, dummodo sumptionem antecedat, ea fulti ratione, quod Sacrificii Missæ vis, & essentia non in sola consecratione, sed etiam in sumptione sita sit, ut videre est apud Salmanticenses Tom. 11. Tract. 23. de Eucharistia, disp. 13. §. 3. n. 35. nos autem, qui vim, & essentiam Sacrificii Missæ in consecratione ponimus, dicimus, quod applicatio fructus Sacrificii Missæ debet saltem consecrationem ipsam antecedere, & ut Sacerdos omnibus se expediat difficultatibus, antequam se Sacris vestibus induat, non debet Sacrificii applicationem omittere, juxta monitum Clericati de Sacrificio Missæ, decis. 36. n. 17. Pro pluribus si sit Sacerdos celebraturus sufficit quidem, quod illos generatim recenseat; sed teste Cardinali Bona Tractatu de Missæ Sacrificio cap. 1. §. 5. *Optimum quoque aliquibus visum est, quod Sacerdos qui pro pluribus offerre intendit, eos specialiter, & nominatim exprimat, non generaliter, & in confusa, quia singulis minus prodesset; suum enim effectum producit secundum modum, quo applicatur: perfectior autem applicatio est, cum omnes singillatim nominantur.* In hoc Tractatu insignis hic Doctor, ad omnes fugandos scrupulos ordinem applicandi Missæ Sacrificium assignat: sic primo debet fructum ei applicare, pro quo titulo Eleemosynæ, Beneficii, promissionis, aut præcipuæ alicujus obligationis celebrare tenetur; secundo sine illius præjudicio Sacrificii fructum etiam pro cæteris sibi in consanguinitate, charitateque conjunctis applicare, semper propriam subjiciendo intentionem intentioni ipsiusmet Summi Sacerdotis Christi.

XXVII. Titulo Beneficii tenetur Capellanus Beneficiatus Sacrificii fructum applicare pro Fundatore ejusdem Beneficii, esto in fundatione hæc applicatio expresse non exigatur; non tamen teneretur si fundator se arbitrio Celebrantis Sacrificii applicationem relinquere declarasset; sic Sacra Concilii Congregatio declaravit *in una Mediolanen.* 18. *Aprilis* 1654. 2. *Julii* 1669. *in Lucana* 18. *Februarii* 1702. & alibi pluries, & sic communiter sentiunt Doctores, *Barbosa de Offic., & potestate Episc. Tom.* 2. *alleg.* 24. *num.* 35. Bonacina, Azorius, aliique. Et præcipue si Beneficium sit ex recentibus, & reditus assignati id, quod vel ex jure, aut ex consuetudine erogari solet, pro onere applicationis Sacrificii in locis determinatis præscripto, excedant, vel adæquent; quia supponitur, quod Fundator omnino principaliter voluerit pro se, suisque Missarum fructum applicari, & de consequenti loci illius peculiaris venerationem. Si autem re-

ditus

ditus assignati pro onere Missarum celebrandarum inferiores sint stipendio, quod erogari solet pro onere Missarum cum applicatione, aut Beneficium sit ex pervetustis, in quibus ratione penuriæ Sacerdotum principalius opportunitas audiendi Sacrum pro populo, honor loci, aut Templi intendebatur; non desunt Auctores, qui Capellanum eximunt a Sacrificii applicatione pro Fundatore, inter quos Navarrus, Gobat, Riccius, aliique. Opinio tamen Sacræ Cong. Concilii super puncto applicationis Missarum ea profecto est, quod loquendo de Capellanis perpetuis cum Missarum onere regulariter applicatio fieri debeat pro Fundatore, nisi aliud declaraverit ejus voluntas, vel expressa, vel implicita, quæ ex urgentibus conjecturis dignosci valeat; sic enim sæpe sæpius fuit resolutum, & signanter *in Tiuen. Applicationes Sacrificii.* 18. *Augusti* 1668. *In Collen. Applicationis Sacrificii* 28. *Augusti* 1683. non obstante quacumque observantia in contrarium. Ex conjecturis indicantibus contrariam Fundatoris voluntatem duæ præcipue approbatæ videntur ab eadem Sacra Concilii Congregatione; videlicet una, cum Missæ celebratio fuerit demandata expresse pro Populi commoditate, aut Monialium, ut videre est in *Collen. Applicationis Sacrificii* 17. *Decembris* 1679. *In Mantuana Applicationis Sacrificii* 19. *Decemb.* 1718., & alibi. Altera est cum Fundator ex aliquo præfixo Missarum celebrandarum numero, v. gr. centenario, triginta tantum Missas expresse demandaverit pro anima sua celebrandas, & quoad cetera vel de applicatione absolute siluerit, aut illas arbitrio Capellani remiserit; Et ratio est, quia tunc ceteras ex vi discretæ illationis non pro se voluisse applicari est præsumendum, ut *in Collen. Applicationis Sacrificii* 28. *Augusti* 1683. *& in Ferrarien. Applicationis Sacrificii* 11. *Junii* 1729.

XXVIII. Capellanus, qui ratione Beneficii tenetur celebrare quotidie in tali Ecclesia, ita ut obligatio sit relate ad locum, seu Templum, aut Altare, tunc ulla absque vacantia quotidie celebrare debet, vel per se, vel per alium, si etiam obligatio sit relate ad Sacerdotis personam, cum libertate celebrandi, vel per se, vel per alium, adhuc nullo die vacante celebrare tenetur, ut supra; si autem quotidie celebrandi obligatio sit mere personalis, ita quod per se, numquam per alium Missam quotidie celebrare debeat, in tali casu honestatis titulo, vel ratione reverentiæ Sacramenti debitæ, aut alia justa de causa aliquando a celebratione vacare potest, imo etiam semel in hebdomada a celebrando abstinere, juxta Doctrinam Sancti Patris Augustini, de Ecclesiast. Dogmat. c. 53. diebus tamen, quibus se abstinere potest a celebratione, Missam nec pro se ipso, nec pro aliis, præterquam pro Fundatore, applicare potest; & multo minus stipendium aliquod accipere, ut patet ex responsione Sacræ Congregationis Concilii ad dubia sequentia ab Episcopo Collensi proposita.

DECRETUM VI.

I. An Sacerdotes obligati ratione Beneficii, Capellaniæ, Legati, aut stipendii celebrare quotidie Missam per se ipsos, possint aliquando a celebratione vacare? & quatenus affirmative.

II. Quando, & quoties a dicta celebratione vacare possint?

III. An diebus licitæ vacationis possint Missas pro se ipsis, vel aliis, præter quam pro Fundatoribus celebrare? & quatenus affirmative.

IV. An pro aliis celebrando possint stipendium pro hujusmodi celebratione percipere?

V. An aliis diebus, quibus licite vacant a celebratione, teneantur Missam ab aliis celebrare facere, juxta intentionem Fundatorum?

VI. An Sacerdotes ut supra obligati celebrare Missam quotidie, absque tamen onere celebrandi per se ipsos, possint aliquando a celebratione vacare?

Sacra Congregatio Concilii die 18. Septembris 1683. ad primum, & secundum respondit affirmative, concurrente aliqua rationabili causa; ad tertium, quartum, & sextum negative; ad quintum distulit resolutionem libro 33. fol. 311.

XXIX. Habens onus quotidie celebrandi apposita conditione solvendi v. gr. duos Julios quotiescumque a celebratione se abstineat, numquam vacare potest, nisi supplendo per alium, aut duos Julios pro qualibet Missa solvendo juxta appositam conditionem, uti declaravit Sacra Concilii Congregatio suo Decreto 17. Septembris 1695. secus est si vacet causa infirmitatis, tunc enim per quindecim dies circum circa, nec per alium supplere, nec duos Julios solvere tenetur juxta Sacræ ejusdem Congregationis declarationem sub die 17. Novemb. 1695. Non desunt tamen Doctores qui ægritudinis tempus protrahunt etiam usque ad integrum mensem; ut videre est in Concilio Provinciali Mediolanensi septimo, *titul. de Missis*, ubi sic: *Si Capellanus saltem per annum functus sit suo munere celebrandi in aliquo loco, si etiam per mensem ægrotet, adhuc integram eleemosynam judicio Episcopi accipere potest.*

XXX. Cum a Testatore demandantur Missæ celebrandæ in aliqua determinata Regularium Ecclesia, talis celebratio Missarum privative spectat ad ipsos Patres, quorum est Ecclesia ipsa, in qua debent Missæ celebrari; nec est in hæredis arbitrio onera illarum Missarum ad aliam transferre Ecclesiam, uti declaravit Sacra Concilii Congregatio die 13. Januarii 1748. in Uxentina per responsionem ad subsequentia dubia.

I. An celebratio Missarum relictarum a Josepho Russo, Archidiacono Gaballo, & Joanne Dattilo in Altari Sanctissimæ Trinitatis, & Beatissimæ Virginis, erecto in Ecclesia P. P. de Observantia Sancti Francisci Civitatis Uxenti, privative spectet ad dictos Patres, vel potius sit in arbitrio Annæ Mariæ Gabello alios deputare Sacerdotes? *& quatenus negative, quoad primam partem, & affirmative quoad secundam.*

II. An dicti Regulares teneantur patientiam præstare, ut in eorum Ecclesia Sacerdotes sæculares Missas relictas celebrent? *Et quatenus negative.*

III. An onera earumdem Missarum sint transferenda ad aliam Ecclesiam?

Sacra Congregatio Concilii die 13. *Januarii* 1748. respondit: *ad primum Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam in actu, de quo agitur: excepto legato Archidiaconi Gaballo; ad secundum teneri, quoad legatum Archidiaconi Gaballo, solutis utensilibus, & non attenta reductione; In reliquis provisum in primo. Ad Tertium negative.*

Item I. An Maria Gaballo teneatur celebrare facere Missas, de quibus agitur, pro anima Victoriæ de Montibus? *& quatenus affirmative.*

II. An sit in arbitrio dictæ Annæ Mariæ committere illarum celebrationem Sacerdoti sæculari sibi bene viso in casu, &c.

Sacra Congregatia Concilii die 13. *Januarii* respondit *ad primum affirmative, ad secundum negative.*

XXXI. Ad quæsitum: Num habens onus singulis annis celebrandi Anniversarium viginti, aut quadraginta Missarum pro Fundatoris anima, teneatur celebrare facere etiam unam Missam cantatam; Sacra Concilii Congregatio respondit negative, sub die 13. Januarii 1691. qoia nisi aliud exprimatur, tale Anniversarium intelligi debet de Missis privatis.

Cæsenaten. Onerum Missarum, in qua ad sequentia dubia.

I. An celebratio Missæ injunctæ ex præcepto Joseph Verzalia Testatoris in die sui Anniversarii fieri debeat dumtaxat in aliquo Altari privilegiato existente in Ecclesia Conventus Ordinis Servorum B. Mariæ Civitatis Cæsenæ, seu potius in singulis Altaribus Privilegiatis omnium aliarum Ecclesiarum dictæ Civitatis? *Et quatenus affirmative, quoad secundam partem.*

II. An dictarum Missarum numero, qui celebrari deberet in omnibus Altaribus Privilegiatis dictæ Civitatis, satisfieri valeat in solis geminis Altaribus Ecclesiæ dicti Conventus?

III. An celebratio aliarum duarum Missarum similiter ordinata ab eodem Testatore in qualibet die solemnitatum Festivitatis B. M. V. ac ipsius Sanctissimi Filii Jesu, fieri debeat dumtaxat in duobus festis solemnibus B. V. Septem Dolorum, nempe in 3. Dominica Septembris, & feria IV. post Dominicam Passionis, seu potius in omnibus solemnitatibus dictæ Ss. Virginis, & Domini Nostri Jesu infra annum occurrentibus?

IV. An omnium dictarum Missarum onus adimpleri debeat per solum decennium, sive potius in perpetuum in casu &c.

Sacra Congregatio Concilii die 4. *Junii* 1738. respondit, *ad primum negative, quoad primam partem, & affirmative quoad secundam; ad secundum negative; ad tertium & quartum negative, quoad primam partem, & affirmative quoad secundam, & amplius.* Advertendum hic, quod particula *& amplius*, quæ additur in hoc Decreto, & sæpe de more additur in aliis quoque ejusdem Congregationis resolutionibus, nihil aliud denotat, nisi quod omnes Eminentissimi Cardinales fuerunt in illis concordes, & quod cum materia, seu causa de se clare pateat, amplius non sit eis exhibenda pro resolutione. Sic Benedictus XIV. *Volum.* 3. *notificat.* 14.

XXXII. Papien. Oneris Missarum, in qua ad sequentia dubia.

I. An Missa quotidiana fundata a Balthasare de Magistris in Altari SS. Trium Regum, erecto in Ecclesia Sanctæ Crucis Patrum Reformatorum Sancti Francisci, privative celebranda sit a dictis Patribus, sive potius celebrari possit a Cappellano, ab hæredibus deputato? *& quatenus negative ad primam, & affirmative ad secundam partem.*

II. An dicti Patres teneantur præstare patientiam pro celebratione dictæ Missæ, soluta eisdem subventione pro utensilibus, sive potius sit locus translationi d. Missæ ad aliam Ecclesiam arbitrio hæredis in casu &c.

Sacra Congregatio Concilii die 12. *Decembris* 1733. respondit, *ad primum negative ad primam partem, & affirmative ad secundam. Ad secundum, negative ad primam partem quo vero ad secundam, affirmative ad aliam Ecclesiam designandam ab Episcopo.* In his decisionibus S. Congregatio diversimode procul dubio se gessit, ac supra in Uxentina pro Missis celebrandis in Ecclesia Patrum de Observantia Sancti Francisci relictis a Testatoribus, ubi declarat talem Missarum celebrationem privative spectare ad dictos Patres, ex quibus fit, quod in hujusmodi controversiis semper ad dictam Sacram Congregationem sit recurrendum, quæ juxta circumstantiarum concomitantium varietatem, diversimode quidem, sed optime semper decernit.

LETTERA
DELLA SANTITA' DI NOSTRO SIGNORE
BENEDETTO PAPA XIV.
A MONSIGNORE
IGNAZIO REALI
PRIMO MAESTRO DELLE CERIMONIE PONTIFICIE
SOPRA
IL CELEBRARE LA MESSA SEDENDO.

Dilecto Filio Magistro Ignatio Reali Apostolicarum Caeremoniarum Praefecto. BENEDICTUS PAPA XIV. Dilecte Fili, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

NELL' Estate dell' anno prossimo passato 1756. incominciammo a provare nella nostra complessione naturale varj pregiudizj e danni, cagionati in parte dalla grave età in cui ci ritroviamo, ed in parte dalle incessanti fatiche intraprese, e sopportate dai primi anni della nostra gioventù fino all' ultima nostra vecchiaja. Conforme suol accadere, il nostro male non fu tanto grave nel suo principio; per lo che credemmo di non essentarci dal consecrare in Vescovo di Capo d' Istria Monsignor Carlo Camucio, funzione da lei, come nostro primo Maestro di Cerimonie, molto bene diretta, e sopra la quale fu da Noi sotto il giorno 20. d' Ottobre 1756. scritta una Lettera al Prelato che dovea consecrarsi, la quale fu anche data alle stampe, e che è ancora inserita nel quarto tomo del nostro Bollario, che quanto prima sarà pubblicato colle stampe, ed è in ordine la LXIII.

II. Il male che dal suo principio non diede tutta l' apprensione, nell' andare avanti fece progressi non ordinarj: imperocchè ne' mesi susseguenti fummo due volte comunicati per Viatico; due volte ricevemmo l' Estrema Unzione; e due volte, giusta il lodevole costume de' Pontefici Romani, facemmo la Professione della Fede. Dopo tutti questi gravissimi pericoli è piaciuto al Signore Iddio di metterci nello stato presente, in cui ci ritroviamo, ed in cui abbiamo la testa libera, come per misericordia dell' Altissimo abbiamo sempre avuta nel furore del male; diamo del continuo udienza a chi la chiede: ammettiamo del continuo all' udienza i nostri Ministri: diamo loro le opportune providenze ne' bisogni che ci espongono: facciamo il Concistoro ne' giorni ne' quali s' intima, ad esso interveniamo, come pure alla Congregazione del S. Officio, che si tiene avanti di Noi una volta la settimana: dettiamo secondo il solito agli amanuensi quanto occorre e fa di bisogno, e qualche volta ancora visitiamo le Basiliche, e le Chiese di Roma, senza però escire dalla sedia a mano in cui sedendo partimmo dal Palazzo Apostolico, e ci facemmo portare alle predette Basiliche, e Chiese.

III. La Consecrazione di Monsignor Vescovo di Capo d' Istria fu fatta da Noi nel giorno 28. di Ottobre dell' anno passato, giorno dedicato alla commemorazione dei SS. Simone, e Giuda: e da quel giorno fino al giorno presente non abbiamo mai celebrata la Messa; non essendo possibile, che a Noi riesca lo stare in piedi. Abbiamo però sempre ricevuta la Sacra Eucaristia in quei giorni, nei quali secondo il solito avressimo celebrata la Messa, se non fossimo stati impediti; e la Comunione è stata ricevuta da Noi o sedenti in una sedia, o per lo più stando nel letto, e stando in esso a sedere: nè in questo tempo abbiamo mai pensato a celebrare la Messa, per la speranza dataci dai Professori, che venuto nell' estate la stagione calda, avressimo pel benefizio d' essa riacquistato ciò che avevamo perduto. Ma nulla avendo conseguito, ed essendo restati inabili come prima, ed avendo già esperimentate tutte le stagioni nel decorso d' un anno; ci sembra d' aver avuta la sentenza, da Noi ben volontieri accettata, di dover nel rimanente di nostra vita esser impediti, come ora siamo, e non potere per conseguenza reggerci in veruna maniera su i piedi. Per lo che è necessario il vedere che partito dobbiamo prendere; cioè, se dobbiamo continuare ricevendo la santa Comunione; o se dobbiamo procurare di celebrare la Messa stando a sedere.

IV. Si è detto, aver Noi ben volontieri accettata la sentenza; non avendo mai pregato Dio nella nostra grave malattia di vivere, o di guarire dal male. Ci siamo sempre con pienezza e sincerità di cuore rimessi in tutto e per tutto nella sua santissima volontà, ben sicuri, che non si sarebbe scordato dell' anima nostra, nè tampoco del governo della Chiesa, e di questa S. Sede Apostolica, quando la sua Divina volontà fosse stata, che dovessimo anche per qualche tempo sopravvivere. Si è detto, esser venuto il tempo di dover risolvere, se dobbiamo continuare ricevendo l' Eucharistia, come abbiamo fatto fin ora, o pure dire la santa Messa sedendo. Ma, perchè Salomone *nel cap. 3. de' Proverbj* dice = *Ne innitaris prudentiae tuae* = parole ancora, che si leggono nella Decretale *Ne innitaris de Constitutionibus*; e Giansenio *sopra i Proverbj* così soggiunge = *Vetat niti suae prudentiae, quod est sic illi fidere, quasi illa sufficiat ad directionem actuum nostrorum, & provisionem rerum necessariarum* = ed il Salazar *sopra il detto testo de' Proverbj al num. 26.* osserva con S. Gio. Grisostomo, che a questa legge sono ancora sottoposti i vecchj, non ostante la lunga esperienza degli affari, e che abbiano un bastone a cui si possano appoggiare = *Baculus, inquit Chrysostomus, senectutis sustentatio est. Quapropter dixerim, eo spectasse Salomonem, ut his verbis suadeat, sapientiae, vel prudentiae propriae non inniti. Nam, si qui possent certo propriis conciliis & prudentiae fidere, maxime senes, & grandaevi, propter experimentum, & canos. Ait ergo: ne prudentiae, quasi baculo, innitaris: id est, etiamsi ad senectam perveneris, cum opus est baculo, ne tunc quidem tua prudentia quasi baculo utaris* = quindi è, che dopo aver Noi dedotte in questa Lettera per l' una, e per l' altra parte le ragioni che possono assistere o al proseguire la Comunione, come insino ad ora si è fatto, o al celebrare la Messa sedendo, siamo risoluti di confidare queste nostre fatiche a varj uomini dabbene, e dotti, per prendere poi risoluzione, dopo aver inteso il loro consiglio. Il Cardinal Enea Silvio Piccolomini, che dipoi, fatto Papa, prese il nome di Pio II. nella sua celebre Lettera scritta a Martino Mayer Cancelliere dell' Arcivescovo di Magonza, e stampata ne' Commentarj dell' edizione di Roma del 1584. espone la necessità che ha il Papa di prender consiglio, colle seguenti parole: *Papa etsi doctus, & sapiens est, non tamen tam verbo suo sapit, quam consilio assistentium, & deciperetur forsitan aliquando, nisi astarent viri sapientes qui multa noscant.* Questo è un grande avvertimento per Noi, che non siamo nè dotti, nè sapienti, e che abbiamo alle mani un affare, che non è affare d' altri, ma nostro, ed in cui senza il lume dell' altrui consiglio l' amor proprio potrebbe far travedere.

RIFLESSIONE

Sopra il proseguire a ricevere la Communione, come si è fatto fino ad ora, lasciando il celebrare la Messa sedendo.

V. Per camminare con ordine, esporremo in primo luogo quanto risguarda il continuar la santa Comunione nel modo sin' ora praticato, lasciando di celebrare la Messa sedendo; per far poscia passaggio all' altra parte, in cui si ammette la celebrazione della Messa sedendo, lasciando da parte il costume di ricever sempre la sacra Comunione, come sin ora si è fatto.

VI. L' Angelico Dottore S. Tommaso 2. 2. *quest. 93. art. 1. Ad secundum* insegna, che avanti il tempo della Legge i giusti pel mezzo d' un interiore instinto erano istrutti del modo d' onorare Iddio, a cui poscia gli altri aderivano: *Ante tempus Legis justi per interiorem instinctum instruebantur de modo colendi Deum, quos alii sequebantur:* e che poi nella Legge furono stabiliti i precetti esteriori, de' quali restarono gli uomini a sufficienza istrutti, ed obbligati all' adempimento d' essi: *Postmodum vero exterioribus praeceptis*, prosiegue S. Tommaso, *circa hoc homines sunt instructi, quae praeterire pestiferum est.*

VII. Terminata poi l' osservanza della Legge Mosaica, e l' obbligo di adempirla, per la venuta di Cristo, e fattoci luogo al Vangelo, benchè non ogni rito spettante all' amministrazione de' Sagramenti, ed alla Messa, sia stato istituito dagli Apostoli, ma molti e molti siano istituiti dalla Chiesa, ciò non toglie, che questi pure debbano adempirsi ed osservarsi. Il Suarez *nel tom. 3. in 3. part. D. Thom. quaest. 83. art. 5. disput. 84. sect. 1.* dopo aver portato le parole dell' Apostolo S. Paolo *nella 1. ad Corinthios 14. omnia secundum ordinem fiant in vobis*, dice, essere stata la Chiesa necessitata a costituire ne' sacri riti spettanti all' amministrazione de' Sagramenti, ed alla celebrazione della Messa, un ordine fisso anche nelle cose più minute: *Et ideo oportet in omnibus, etiam minutissimis, certum ordinem ab Ecclesia constitui:* riflettendo, che, se le cose si fossero lasciate all' arbitrio di ciascheduno, *multa indecore & imprudenter fierent*: e che l' uniformità nelle predette cose serve per lodare l' unità della Chiesa, e la cura e sollecitudine de' Pastori: *Haec uniformitas, quae in his omnibus servatur, ad splendorem*

officii

officii Ecclesiastici spectat, & unitatem Ecclesiæ commendat, & Pastorum ejus curam ac sollicitudinem.

VIII. E però, venendo al caso nostro, se nelle Rubriche generali del Messale Romano *al tit.* 17. non si ammette il sedere nella Messa privata, ma bensì nella Messa solenne, quando si cantano dal Coro il *Kyrie*, la *Gloria*, ed il *Credo*, se quanto ivi è prescritto, deve esattamente eseguirsi esclusa qualsisia mutazione, secondo la definizione del sacro Concilio di Trento *alla sess. 7. de Sacramentis in genere can.* 13. e la Bolla di S. Pio V. prefissa al Messale, in cui si comanda un' esatta osservanza di quanto è prescritto nelle sopraddette Rubriche; sembra restar chiara la conseguenza, che non essendo permesso il sedere nella Messa privata, chi senza sedere non la può celebrare, dee contentarsi di ricevere la sacra Comunione *more laicorum*, lasciando di celebrarla.

IX. Ben vediamo, che si può replicare, che l' argomento prova, non doversi celebrare la Messa senza l'opportuna dispensa, non escludendo il celebrarla colla dispensa. Ma subentra la replica, ed è, che il celebrare la Messa sedendo, quando la Rubrica non lo permette, è una specie di disprezzo, che non può levarsi pel mezzo della dispensa. Teofilo Raynaudo nella sua Opera intitolata, *Sacrum Christianum Acathistum, seu sessionis expers, al tom. 6. pag.* 498. §. 4. *e seg.* pone in chiaro il sopraddetto disprezzo. Evvi pure un Opuscolo di S. Pier Damiano, che è *il* 39. *al tom.* 3. *della stampa del* 1743. in cui persuade al Vescovo Bituntino, che dalla sua Diocesi tenga lontano *opprobrium ignominiosæ sessionis*. E nel Decreto di Graziano sono registrati due Canoni, il 57. ed *il* 68. *de Consecratione dist.* 1. nel primo de' quali così si legge: *Nullus Episcopus, Presbyter, aut Diaconus ad solemnia Missarum celebranda præsumat cum baculo introire*: e nel secondo si ritrovano queste altre parole: *Apostolica auctoritate mandamus, dum sancta Evangelia in Ecclesia recitantur, ut Sacerdotes, & cæteri omnes præsentes, non sedentes, sed venerabiliter curvi in conspectu Evangelii stantes, Dominica verba intente audiant, & fideliter adorent.*

X. Tanto più che ora non si parla d' una dispensa di celebrare la Messa sedendo, stando però in piedi in tutto il tempo del Canone, come altre volte è stato concesso; ma di celebrare la Messa intera stando a sedere; e così ancora nel tempo del Canone, della qual dispensa si dice non ritrovarsi esempio. Il Pasqualigo *de Sacrificio novæ Legis tom. 1. quæst.* 227. propone la questione, *An Sacerdos, dum celebrat, sedere possit*, e dopo aver risposto di no pel motivo dell' irriverenza, parlando in ultimo della dispensa Papale, dice, che non sarebbe conveniente il concederla, quando la dispensa dovesse comprendere tutta intera la Messa; ma che piuttosto sarebbe cosa praticabile, se, non potendo il Sacerdote stare in piedi tutto il tempo del Canone, interrompesse la Messa, e andasse a sedere, prendendo in quella maniera il necessario riposo: *Satius esset, quod potius interrumperet Missam, & sedens quiesceret ad recuperandas vires, quam sedendo celebraret*: il che Noi abbiamo veduto praticarsi da un uomo dotto e dabbene, che era Inquisitore di Perugia, e che non poteva stare in piedi tutto il tempo del Canone, come doveva fare, a tenore della dispensa, per la gran debolezza a cui era sottoposto.

XI. Sappiamo, parere superfluo a taluno quanto sin ora si è detto contra il celebrare la Messa sedendo, e particolarmente quando il sedere comprende ancora il tempo del Canone; poichè derivando la proibizione del sedere nel detto tempo dal jus positivo, e non dalla Legge Divina, o naturale, ed essendo il Romano Pontefice superiore al jus positivo, può con ogni facilità derogare ad esso, e per conseguenza concedere di poter sedere celebrando la Messa o fuori del tempo del Canone, o anche nel tempo del medesimo.

XII. Ma chi la discorre così, non ha presenti que' casi ne' quali il Romano Pontefice non concede dispensa, ancorchè, concedendola, non deroghi al jus positivo, nè offenda il Jus Divino, o naturale.

XIII. Si controverte fra i Teologi, se sia prohibito dal Jus Divino, o naturale, o pure dal solo Jus positivo il matrimonio tra fratello e sorella; e S. Tommaso, il Gonzalez, il Pontio, il Parisio, l' Averla riducono la proibizione al solo jus positivo: e ciò non ostante, non si ritrova esempio di verun Pontefice Romano, che abbia ammesse le suppliche del fratello che voleva maritarsi colla sorella: essendo falsi gli esempj, che dagl' inimici della Santa Sede si portano per la concessione della dispensa; ed essendo solamente vero quello d' Arrigo VIII. Re d' Inghilterra, che avendo con gran premura domandato al Pontefice Clemente VII. che il Duca di Richemont suo figlio bastardo potesse maritarsi con Maria figlia legittima di lui e della Regina Catterina, ebbe una pronta repulsa; ed essendo pur vero l' altro esempio del Conte d' Armagnac, che si maritò colla sorella col mezzo d' una dispensa, ma falsa, di Calisto III. che sempre ricusò di concederla. Vedasi il tutto pienamente riferito e comprovato dal Riganti, che volontieri nominiamo, per essere stato da Noi trattato *in minoribus* con amicizia, e confidenza, e stima del suo valore, e sue virtuose fatiche. Vedasi il citato Riganti *ne' Comenti sopra la Regola* 49. *di Cancellaria dal num.* 13. *fino a tutto il num.* 17.

XIV. Il matrimonio in primo grado di affinità in linea retta non è proibito, che pel jus positivo, ed il Silvio, celebre Teologo, sostiene, che, concorrendovi causa di gran rilievo, può il Romano Pontefice concedere la dispensa fra patrino, e figliastra: ma insino ad ora non si è ritrovato Papa,

che abbia concessa anche con causa di gran rilievo dispensa in primo grado d' affinità di linea retta: come Noi abbiamo dimostrato *nel nostro lib. 9. de Synodo Diœcesana* dell' ultima edizione *al cap.* 13. *num.* 4.

XV. L' impedimento *criminis*, ancor quando sia seguita l' uccisione del conjuge, è impedimento di jus positivo. Ciò si vede nella Legge Ebrea, che non riconosce nullità di matrimonio, ancorchè sia preceduta la copula coll' uccisione del conjuge: e Noi ci ricordiamo, essersi nel Tribunale del S. Officio, quando *in minoribus* n' eravamo Consultore, rigettata l' istanza d' un Giudice Ebreo, che voleva introdurre l' impedimento *criminis* ne' matrimonj che si facevano fra gli Ebrei, quando v' era stata l' uccisione del conjuge, essendo troppo chiaro il fatto di Davide, il di cui matrimonio con Bersabea si ebbe per valido, ancorchè prima avesse colla medesima commesso adulterio, e macchinato nella morte di Uria di lei marito. Essendo la proibizione del matrimonio nel caso predetto di jus positivo, se fosse vera la regola generale della facilità di dispensare, quando la proibizione discende unicamente dal jus positivo, non vi dovrebbe essere stata, nè tampoco essere oggidì tanta difficoltà di dispensare, concorrendo causa legittima: e pure non v' è esempio, che da verun Romano Pontefice sia stata concessa simile dispensa, quando il fatto sia pubblico. Vedasi quanto in questo proposito è radunato dal Migliorucci *nelle sue Istituzioni Canoniche al lib. 2. tit. 14. nelle Spiegazioni al num. 9. e 10. Ubi conjugis occisio secuta sit, nunquam dispensatur, non quia Pontifex non possit*: e quanto al caso, che l' impedimento sia occulto, il Maggior Penitenziere concede la dispensa tanto ne' matrimonj contratti, quanto in quelli che debbono contrarsi, pel foro interno, se l' adulterio è seguito *neutro machinante*; ma, se l' impedimento nasce dall' adulterio, *utroque vel altero machinante*, essendo occulto l' impedimento, il Maggior Penitenziere ha la facoltà di dispensare, *raro tamen*, e sempre pel detto foro interno, e concorrendo una grave necessità, o sia qualche imminente pericolo, ma dopo aver proposto il caso nella piena Congregazione, o sia Segnatura della Penitenziera. Vedasi la nostra Constituzione XCV. che incomincia *Pastor bonus*, *nel tom. 1. del nostro Bollario, al* §. 44.

XVI. I sopraddetti esempj pienamente comprovano, non doversi correre alla cieca, e stabilire per regola, che, quando una cosa non è che proibita dal jus positivo, e non dal jus naturale, o Divino, sia in piena libertà del Romano Pontefice usare il diritto di derogarvi, anzi agli esempj poc' anzi riferiti può aggiungersi ancor quello del celebrare sedendo in tutto il tempo della Messa, e così anche nel tempo del Canone; giacchè, per quanto dice chi è contrario alla celebrazione della Messa nel modo predetto, non si trova esempio di simile concessione.

XVII. Nè a quanto si è esposto può in veruna maniera ostare, se mai si replicasse, impedirsi un gran bene, se non si concede la detta dispensa: sì perchè, consistendo il bene nell' edificazione che dà il Vescovo celebrando la Messa in quella maniera che può, questo gran bene non avrebbe luogo, ogni volta che si concedesse la dispensa; inserendosi in simili dispense, ed anche in quella di poter celebrare sedendo, purchè nel tempo del Canone si stia in piedi, la clausula, che la Messa si celebri in Oratorj privati, per non cagionare ammirazione e bisbiglio nel popolo: sì perchè, quando, prescindendo dal motivo poc' anzi addotto, si potesse l' accennato bene ottenere, non sembra doversi conseguire con introdurre nella Chiesa un esempio nuovo; potendo il Vescovo soddisfare alla sua divozione comunicando *more laicorum*; e potendo soddisfare alle Messe che deve offerire pel popolo commettendo ad altri il celebrare in sua vece.

XVIII. E' un gran bene, che un povero ammalato, che chiede il Santissimo Viatico, lo riceva: è un gran bene che il Sacerdote glielo amministri. Ma, se non si ritrova almeno una candela per celebrare la Messa, o se mancano gl' indumenti sacri, essendo partito, senza prevedere il caso, chi li tiene sotto chiave, che ha seco portata, nè l' ammalato riceve il Viatico, nè il Sacerdote glielo amministra: ma s' insinua all' ammalato il contentarsi del desiderio, che ha avuto, ed ha, di ricevere *in re* il Sagramento, bastandogli in questo caso il riceverlo *in spe*; ed al Sacerdote si dice pure, che si contenti della prontezza che aveva di celebrare la Messa per poter amministrare all' ammalato il Viatico; non essendo permesso pel bene di conferire il Viatico all' ammalato, il celebrare la Messa o senza i lumi, o senza i sacri indumenti; secondo la più vera opinione, della quale da Noi si è parlato *nel Nostro Trattato della S. Messa al tom. 2. sez. 2. cap. 1. §. 3. dell' edizione Italiana, e nell' edizione Latina alla sez. 2. n.* 52.

RIFLESSIONI.

Sopra il celebrare la Messa sedendo anche nel tempo del Canone, senza esser astretto di sempre ricevere la sacra Comunione, come la ricevono i Laici.

XIX. Chi crede, esser ben fatto il concedere la dispensa di celebrare la Messa anche sedendo nel tempo del Canone per la gran debolezza in cui si ritrova il Celebrante, e per la quale senza pericolo di gravi sconcerti non può stare in piedi nel tempo del Canone, premette, non essere il sedere nel tempo delle Divine preci cosa indecente, o piena d' obbrobrio. Negli Atti Apostolici *al cap.* 2. si legge, che lo Spirito Santo discese sopra gli Apostoli che sedevano nel cenacolo: *Et replevit totam do-*

mum, ubi erant sedentes. Onde il Cardinale Gaetano così scrive *sopra gli Atti degli Apostoli*, commentando il detto testo: *Non horreo sessionem corporalem, cum nihil indecens inducat*: ed il Navarro *nel Manuale de Oratione al cap. 4. num. 12.* soggiunge, che il predetto sito del corpo non è incongruo per quelli che pregano. Passando poi oltre, chi è parziale della dispensa, ammette, cha da ciò deriva l'esser cosa mal fatta e condannata, che chi celebra la Messa stia a sedere; ma soggiunge, che concorrendo una causa legittima, qual è quella della debolezza del corpo, questa tal debolezza, che non permette lo stare in piedi, ancorchè lo stare in piedi si restringa al tempo del Canone, deve aversi per una causa bastante a legittima per accordare la dispensa di celebrare, sedendo tutta la Messa, non ad ognuno, ma a quei rispettabili Sacerdoti, che per le dignità che ottengono, fanno una gran figura nella Chiesa, a molto più ai Vescovi, che per debito del loro ministero sono obbligati a celebrarla. S. Pier Damiano, che come poc' anzi si è avvertito, fu capitale nemico del sedere nelle preci, *nel fine del citato Opuscolo al cap. 4. pag. 336.* così soggiugne: *Nemo sedeat, nisi corporis eum valetudo compellat*. E Teofilo Raynaudo, inimico del sedere nelle sacre preci al pari di S. Pier Damiano, *nel luogo citato pag. 503. col. 1.* così scriva: *Quis sedere coram Deo audeat injussu ejus? At abest Dei nutus, vel jussum de sibi assidendo, si adsit ægritudo corporis sessionem deposcens: ea enim corporis imbecillitas, Divinæ indulgentiæ ad sedendum concessa tessera est ex natura rei*. E leggendosi *nel Canone 131.* del Concilio Aquisgranense: *Nec cum baculis in Choro, exceptis debilibus, sed religiosissime illis standum, & psallendum est* = l'erudito Padre Haesteno *nelle sue dotte Disquisizioni Monastiche lib. 7. disquisit. 1. p. 705.* così lo spiega e commenta: *Quod autem debilibus hic legimus baculum indulgeri, cæteris negari, id factum eo modo, quo de Zebina scribit Theodoretus in Philoth. c. 24. Postquam autem non permittebat senectus, ut citra molestiam stare posset assidue, sustentaculum ei præstabat baculus, cui innixus Dominum & laudabat & orabat*.

XX. E per vero dire, se, inabilitandosi qualche Sacerdote a poter celebrare la Messa, si prendono tutta le misure per concedergli la dispensa di poterla celebrare, non ostante il difetto in cui è incorso, se si fa quanto si può, acciò i laici, a gli altri non restino senza ricevere i Sagramenti, superando colla diligenze ed i mezzi termini le difficoltà, che ad essi impediscono di riceverli; non deve a chi si sia parer cosa strana, se oltre il concedere a chi non può per lungo tempo stare in piedi, il celebrare la Messa sedendo, eccettuato il tempo del Canone, si conceda ai Personaggi qualificati per le dignità Ecclesiastiche, che hanno nella Chiesa, e molto più ai Vescovi, che non possono stare in piedi nel tempo del Canone, il celebrare sedendo sempre, a così anche nel tempo del Canona, e della Consecrazione.

XXI. Quando il Parroco, o il Sacerdote non è affatto cieco, se gli concede la licenza di celebrare ne' giorni festivi, e doppj la Messa votiva della Beatissima Vergine, ne' giorni feriali la Messa da morto, ma con molte clausule, e particolarmente con quella, che *non sit omnino cæcus, nec recitet memoriter*; ordinando al Vescovo, che, diventando affatto cieco, gli neghi la licenza di celebrare. Ma, se si tratta d'un Sacerdote diventato affatto cieco, quella malattia, che gli sopravviene dopo ricevuto l'Ordine Sacerdotale, non lo priva dell'Ordine, ma dell'esecuzione dello stesso in ciò che appartiene alla consecrazione dell'Eucharistia, ma non agli altri uffizj che non richiedono la vista, come sarebbe il confessare, o il predicare; conforme molto bene riflette S. Tommaso *nella 3. part. quest. 82. art. 10. Ad tertium*. Non mancavano esempj di dispense date a' Vescovi ciechi di poter celebrare la Messa; leggendosi nell'Aimonio *negli Atti del Concilio Tricassino dell'anno 878.* appresso il Cardinale Baronio, ed appresso Natala Alessandro, che il Pontefice Giovanni VIII. accordò nel detto Concilio ad istanza de' Vescovi ad Incmaro Vescovo di Laon, cieco, nipote d' Incmaro Remense, il celebrare la Messa; ed attestando il Soto *in 4. Sent. dist. 9. quest. 1. art. 2.* di aver veduto nel Concilio di Trento un Vescovo cieco, che celebrava quotidianamente la Messa colla dispensa del Papa. Ma nel tempo che *in minoribus* eravamo Segretario della Congregazione del Concilio dopo essere stata ben discussa, ed esaminata la materia, dopo essersi veduti gli Autori più gravi, allegati da Noi nel foglio, che in quell'occasione pubblicammo, a che si ritrova stampato *nel tom. 4. del Tesoro delle Risoluzioni della detta Congregazione pag. 101. e seg. dell'edizione d'Urbino*, fu concessa ad un degno Parroco Fiorentino affatto cieco, al di cui favore concorrevano varia rilevanti circostanze, la grazia di poter celebrare la Messa coll'assistenza d'un altro Sacerdote, essendo stata proposta la causa ai 2. di Agosto del 1727. e risoluta nel giorno 23. dello stesso mese ed anno. Nè mancano altri simili esempj di concessioni di dispense fatte dipoi.

XXII. Non si può celebrare la Messa col capo coperto. I Canoni che ciò vietano, sono da Noi allegati *nella nostra Notificazione 14. del tom. 2.* che è *la 34. nell'edizione Latina, al §. 4.* il che pure vien comprovato da Noi *nel nostro tom. 1. della Santa Messa alla sez. 1. cap. 4. §. 2. dell'edizione Italiana*, ed *alla sez. 1. n. 53. dell'edizione Latina*; essendo, oltre gli altri Canoni, letterale quello che incomincia *Nullus Episcopus, de Consecrat. dist. 1.* le di cui parole sono le seguenti: *Nullus Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, ad solemnia Missarum celebranda præsumat cum baculo introire, aut velato capite Altari Dei assistere*. E, ciò che siasi di quello che racconta il Vasquez *nel tom. 3. sopra la 3. part. disput. 232. c. 4.* che nella Pollonia i Sacerdoti anche Regolari dicono la Messa nel tempo d'inverno tenendo il capo coperto fino alla Consecrazione, è introdotta l'usanza di concedere il celebrare la Messa col capo coperto, tenendolo però scoperto nel tempo del Canone, e della Consecraziona, quando vi concorra l'attestazione de' Medici della necessita in cui si trova il Sacerdote di tener coperta la testa celebrando la Messa per non recar pregiudizio alla sua salute. E del Pontefice Paolo V. si legge, cha in alcune Chiese Orientali concesse il celebrare la Messa col capo coperto anche nel tempo del Canone, e della Consecraziona; riputandosi in quella regioni cosa incivile il tenera il capo scoperto. E il Raynaudo *nel cit. t. 6. pag. 499. col. 2.* e l'Henao *nel tom. 2. de Sacrificio disput. 27. sez. 2. num. 10. e num. 20.* ammettono il tenere il capo coperto anche nel tempo del Canone, e della Consecrazione, pel timore del detrimento della salute, a cui sarebbero sottoposti i Sacerdoti che dicono la Messa ne' paesi soggetti al gran freddo, ancorchè lo tenessero scoperto nel solo tempo del Canone, a della Consecrazione. Onde il Navarro nel *lib. 3. de celebrat. Missar. consil. 7. num. 5. dell'edizione Veneta del 1621.* così la discorre: *Non desinunt Sacramenta Divina reverenter tractari, eo quod ex justa causa & necessitate vitandi frigoris, vel doloris capitis pileolo aliquo honesto caput tegatur*. Concorda il Salmerone *al tom. 14. nell'epist. 1. ad Corinth. cap. 11. disp. 18. pag. 144. della stampa di Colonia del 1614.* E l'Henao *nella cit. sez. 2. n. 20.* così conchiude coll' Arriaga *disp. 55. sez. 4. n. 19. Non est censendum, Deum malle omitti Sacrificium, aut quod graviter Sacerdotes de salute periclitentur, quam quod habeant tecta capita; cum hoc ipsum, quod extra necessitatem esset irreverentia, desinat esse talis in similibus casibus*. In oltre è proibito agli Ecclesiastici il portare la parrucca, come può vedersi ne' monumenti da Noi raccolti nel nostro Trattato *de Synodo Diœcesana* dell'ultima stampa *al lib. 11. cap. 9.* e molto più l'andare con essa all'Altare, e celebrare con essa la Messa: a, ciò non ostante, si è introdotta una specie di tolleranza a pro di quelli che hanno la licenza di portare la parrucca, di portarla anche all'Altare celebrando la Messa, purchè sempre resti scoperta la corona Clericale.

XXIII. Succede il discorrere delle facilità ritrovate, acciò i laici, non ostanti le difficolta che s'incontrano, possano ricevere i Sagramenti. E' noto ad ognuno, che, sebbene una volta in mare celebravasi unitamente la Messa, detta secca, che poi fu proibita, oggidì si concede il privilegio della celebrazione della Messa vera, acciò i laici a gli altri, che sono nella nave, non restino senz'assistere al Divin Sacrifizio, quando però la nave sia sicura, sia molto lontana dal lido, il mare sia tranquillo, ed oltre il Celebrante vi sia un altro Sacerdote, o Diacono, il quala sia pronto ad accorrere colla mano, nel caso che insorgesse qualcha moto, per cui potesse temersi, che il Calice si rovesciasse; come può il tutto vedersi *nel nostro t. 2. della Santa Messa sez. 2. cap. 1. §. 3. pag. 256. dell'edizione Italiana, e nell'edizione Latina sez. 2. n. 49. e seg.* E per non dilungarci di soverchio accenneremo, non essersi tralasciato di pensare al modo, con cui può amministrarsi il Sagramento dell'Eucaristia all'ammalato che non può inghiottire la Sacra Particola, ed ancora al modo d'amministrare il Sagramento dell'Eucharistia agli appestati, senza cha il Sacerdote, che l'amministra, contragga la peste; come, quanto al primo capo, può vedersi nel nostro Trattato *della Santa Messa al tom. 2. sez. 2. cap. 6. §. 4. dell'edizione Italiana*, ed *alla sez. 2. num. 170. dell'edizione Latina*; e quanto al secondo capo, nel nostro Trattato *de Synodo Diœcesana* dell' ultima stampa *al lib. 13. cap. 19. num. 21. e seg.* Per le quali cose tutte ripiglia vigore quanto poc' anzi si è detto, che, essendosi pensato a dare ogni possibile ajuto ai semplici Sacerdoti inabilitati a celebrare la Messa, acciò la possano celebrare, ed ai laici impediti a ricevere i Sagramenti, acciò li possano ricevere, non debbasi poi con tanti scrupoli e sottigliezze procurar d'impedire ai Personaggi costituiti nelle più sublimi dignità Ecclesiasticha, a molto più ai Vescovi cha non possono reggersi su i piedi, il celebrare la Messa sedendo in tutto il tempo della celebrazione, essendo particolarmente uffizio del Vescovo l'offerire a Dio il Sagrifizio della Messa pel popolo alla sua cura commesso, ed anche per se stesso.

XXIV. Ecco le parole di S. Paolo *nell'epistola agli Ebrei al cap. 5. vers. 1. e seg. Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis: qui condolere possit iis, qui ignorant & errant: quoniam & ipse circumdatus est infirmitate: & propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis*: e *nel cap. 8. della stessa lettera al vers. 3. Omnis enim Pontifex ad offerendum munera, & hostias constituitur*. Per lo che Giovanni Gagneo *sopra il detto capitolo 5.* dopo un lungo discorso così conchiude: *Munus ergo assumpti Pontificis est orare, & pro suis ac pro populi delictis sacrificia offerre, & agnoscere se peccatorem, atque ita populi peccatis condolere*. E col Gagneo concordano Guglielmo Estio, il Salmerone, e Cornelio a Lapide *ne' Comenti sopra il cit. c. 5.* non meritando d'esser valutata la riflessione addotta di sopra, che, dovendosi celebrare dal Vescovo sedente la Messa, non in Chiesa, ma nell'Oratorio privato, per non recar maraviglia al popolo che lo vedesse celebrare nel modo predetto, cessa il fine della predetta celebrazione, che è l'edificazione del popolo; imperocchè non è l'edificazione del popolo la causa principale della celebraziona della Messa, ma è l'offerire il Sagrifizio per esso, il che si fa celebrando anche la Messa nell'Oratorio: oltre di

che

che il popolo che sta intento alle operazioni del Vescovo, sapendo, che il Vescovo celebra la Messa in quella maniera che può, dee restar edificato del proprio Pastore, e non scandalizzato; tanto più, quando sa, che così celebra, avendo ottenuta dal Papa la dispensa.

XXV. Tutto va bene, dicassi; ma a buon conto non si ritrova esempio, che di dispense concesse anche ai Vescovi di celebrare la Messa sedendo, ma non nel tempo del Canone, e della Consecrazione; nè si ritrova esempio di dispense di celebrare la Messa sedendo in tutto il tempo della celebrazione, che è il punto della presente indagine. Scorrendo la Sacra antichità, ritrovasi, che S. Luciano Martire nella persecuzione di Massimiano, per soddisfare alla divozione de' Christiani, che seco rinchiusi in carcere bramavano d'assistere al Sagrifizio della Messa, si stese in terra, e nella Festa dell'Epifania si servì del proprio petto come d'un Altare, per celebrarvi la Messa: come si vede negli Atti appresso i Bollandisti *nel tom. 1. di Gennajo pag. 361. num. 14.* Ritrovasi, che Teodoreto Vescovo di Ciro, per far cosa grata ad un santo Romito, che stando nella sua solitudine, non era mai stato presente alla Messa, portatosi al di lui tugurio coi sacri vasi, fece, che le mani de' Diaconi servissero d'altare, e sopra esse fece la consecrazione della sacra Eucharistia; come esso stesso racconta *nel Filoteo al capo 20.* Uranio nella lettera *de obitu Paulini*, appresso i Bollandisti *al tom. 4. di Giugno pag. 198. num. 2.* attesta, ch'essendo infermo S. Paolino Vescovo di Nola, vennero altri due Vescovi per visitarlo, e che con essi celebrò, benchè infermo la Messa, avendo fatto alzare un Altare vicino al letto: *Et quasi profecturus ad Dominum, jubet, sibi ante lectulum suum sacra ministeria exhiberi: scilicet, ut una cum Sanctis Episcopis oblato Sacrificio animam suam Domino commendaret:* il che anche fu puntualmente eseguito, come si vede *nel num. 3. Et cum hæc omnia Sanctus Episcopus læto ac perfecto ordine celebrasset:* non potendosi ammettere l'intelligenza data da alcuni alle citate parole d'Uranio, cioè, che debbono intendersi, non della celebrazione della Messa, ma del ricevere la sacra Eucharistia, essendo contrarj a questa intelligenza, e favorevoli all'altra della celebrazione della Messa, il Tillemont *al tom. 14. nelle Gesta di S. Paolino art. 52. pag. 139. della Veneta edizione*, ed il dotto Padre Maestro Orsi, Maestro di questo Sacro Palazzo Apostolico, *nel tom. 12. della Storia Ecclesiastica lib. 28. num. 76. pag. 375.*

XXVI. Sono senza dubbio speciosi i sopraddetti esempi, e possono anche servire per l'assunto presente; ma sono antichi, e sono seguiti, prima che la Messa fosse ridotta al sistema ed all'ordine, in cui presentemente si ritrova. Morì S. Tarasio Patriarca di Constantinopoli nel principio del secolo nono, ed Ignazio Vescovo Niceno di lui Discepolo, e che scrisse le di lui gesta, come può vedersi appresso il Cardinale Baronio *all'anno 806.* ed appresso i Bollandisti *al tom. 3. di Febbrajo pag. 586. num. 47.* così descrive la celebrazione della Messa, che il Santo faceva nel tempo della sua grave malattia: *Ingruens morbus, & valde gravem ei dolorem afferens, non persuasit, ut oblivisceretur perpetui & Divini Officii. Nam & morbo & senio laborans, nequaquam satiabatur sacrosancti Mysterii celebratione, sed intenso amore ad Deum ardens, & morbi nullam ducens rationem, pectore innixus mensæ ligneæ, quæ ponebatur ante Aram Divinam, sancta peragebat, infirmus videlicet:* che vuol dire, appoggiando il ventre, ed il petto alla tavola di legno, e sostentando coi piedi l'altra parte del corpo. Morì nel 1303. S. Ivo Sacerdote e Parroco nella Brettagna Armonica; e di esso si legge, che non potendo stare in piedi, celebrava la Messa nel modo seguente: *Fuit adeo infirmus, & debilis, quod se non poterat sustinere; immo interdum sustentabatur per aliquos assistentes, & sic Missam celebravit in Cappella sua:* come può vedersi *nel tom. 4. di Maggio* dei Bollandisti *pag. 541. A. num. 17.* e lo depone un Testimonio *de visu* nel Processo fatto sopra le di lui Virtù appresso gli stessi Bollandisti *nel luogo citato pag. 560. C. n. 65.* e Maurizio Gaufrido nella lunga Vita che scrisse di S. Ivo, *nel cit. tom. 4.* de' Bollandisti *pag. 594. cap. 6. num. 59.* così descrive il tutto: *Erat autem adeo tunc infirmus, ut præ debilitate corporis nec induere nec exuere per se sufficeret sacras vestes, sed nec alia pro Missa necessaria præparare, ad Altare se sustinere, aut ad elevandum Corpus Domini se juvare, nisi ab assistentibus Abbatibus Bellipratus, & de Begar, & Archidiacono Trecorensi cum aliis præsentibus fulciretur.*

XXVII. Incominciano le cose ad accostarsi al suo dovuto segno: ma, non essendo in que' tempi introdotta per anche la disciplina della necessità della dispensa Apostolica per potere sedendo celebrare la Messa, disciplina saviamente introdotta, acciò non sia in petto di ciascheduno il figurarsi una malattia, e celebrare la Messa sedendo; porteremo gli esempj delle dispense de' Romani Pontefici, concesse ai Personaggi qualificati nella Chiesa, ed ai Vescovi infermi, e che non possono reggersi su i piedi, non già di celebrare la Messa sedendo, eccettuato il tempo del Canone e della Consecrazione, del che non si questiona, ma di sedere in tutto il tempo della Messa, al qual punto si riduce il presente esame.

XXVIII. Giovanni Renna Veneziano, che fu ai 3. di Novembre del 1534. fatto Vescovo d'Alghieri, e da questo Vescovado fu trasferito a quello di Pamplona ai 13. di Maggio 1538. domandò al Pontefice Paolo III. varie grazie. Fra le altre espose, ch'era maltrattato dalla podagra, in tal maniera che i suoi membri erano quasi resi affatto inabili: *Diversis infirmitatibus podagra dicentus, quibus fere ad membrorum invaliditatem redactus es:* per lo che non potendo celebrare la Messa stando in piedi, desiderava poterla celebrare in una sua sedia, che aveva fatto fare, ed in cui sedendo, pareva, che stesse in piedi: *Ac tibi, qui propter infirmitatem prædictam, Missam stando celebrare non vales, & zelo devotionis accensus Missam celebrare desideras, tibi, ut sedendo in quodam artificio sedis per te facta, in quo sedenda stare videris, quoties tibi placuerit, Missam celebrare, benedictionem elargiri, & alia, quæ ad Episcopalem Ordinem pertinent, etiam sedendo exercere... tenore præsentium de speciali gratia indulgemus: proviso, quod Divinum Sacramentum debita cum reverentia tractetur, & scandalum non sequatur; &, si celebratione tua in artificio prædicto astantes scandalizari verisimiliter credi possit, celebrationem hujusmodi, non publice, sed privatim facias.* Il Breve si ritrova sottoscritto dal Cardinale Girolamo Ghinucci, che era quello che aveva l'incombenza di sottoscriverli, come può vedersi nel Ciacconio *al tom. 3. pag. 560.* e da uno de' Segretarj Apostolici, il di cui nome è abbreviato. Il Breve poi si ritrova fra le minute originali de' Brevi di Paolo III. nell'Archivio segreto all'anno 1538. *num. 466.* ed intero si trascrive nel fine di questa Lettera, acciocchè ognuno, leggendolo, possa soddisfarsi. Noi qui non c'innoltreremo a discorrere della sedia artificiosa, in cui sedendo chi celebrava la Messa, pareva, che stesse in piedi, non avendo Noi pratica di simili cose; ma diremo, essere stata da Paolo III. concessa la facoltà al Vescovo di Pamplona di celebrare la Messa stando sempre a sedere, e senza l'obbligo di stare in piedi nel tempo del Canone e della Consecrazione.

XXIX. Il Pontefice S. Pio V. nel primo anno del suo Pontificato concesse al Cardinale Pietro Francesco Ferreri del Titolo di S. Agnese il celebrare la Messa nella sua Cappella privata sedendo, mentre per la grave indisposizione della podagra non la poteva celebrare in piedi: *Nos specialem gratiam tibi facere volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, circumspectioni tuæ, ut, quotiescumque devotionis gratia Missam celebrare volueris, si eam pedibus stando ob ipsas indispositiones commode celebrare nequiveris, illam sedendo in Oratorio domus tuæ, seu Cappella tua privata, coram familiaribus, & domesticis tuis dumtaxat, ita ut exinde nullus scandalum, aut offendiculum capere possit, alias tamen rite celebrare valeas, auctoritate Apostolica tenore præsentium licentiam concedimus & facultatem.* La minuta originale del Breve è sottoscritta da Monsignor Cesare Glorieri antico Segretario de' Brevi, ed è nell'Archivio segreto fra le minute originali de' Brevi di S. Pio V. dell'anno 1566. *num. 572.* Si dà pure nel fine di questa Lettera il Breve intero, acciò non solamente possa ognuno soddisfarsi, ma resti ancora persuaso, dirsi da taluni con molta facilità, che non v'è esempio della tal cosa perchè essi non ne hanno notizia; ed il comodo che si riceve dalla sopraddetta asserzione, che trasfonde in altri il peso di faticare, liberandone l'asserente, suol finire in amarezza, comparendo ciò, che lo stesso asserente aveva detto o non esservi, o non ritrovarsi.

NARRATIVE

DI FATTI,

Che risguardano il Romano Pontefice, che sembrano necessarie a chi dee dare il suo giudizio sopra il caso che è in questione.

XXX. A taluno sembrerà superfluo tutto ciò che or ora riferiremo: imperocchè, se il Sommo Pontefice concede ad altri impediti, e che non possono stare in piedi, il celebrare tutta la Messa sedendo, cosa mai potrà dirsi, se, concorrendo la stessa causa, prende per se quel comodo, che dà agli altri? Ma la riflessione in tutto e per tutto non soddisfa; potendovi essere alcune cose, che non accordino colla dignità Pontificia, ancorchè il Papa ed altri le conceda. E però, acciò si veda, se disdica al Papa il celebrare sedendo, è d'uopo vedere, se vi siano esempj de' Sommi Pontefici, che non potendo stare in piedi, abbiano celebrata la Messa sedendo in tutto il tempo d'essa. Ciò a Noi non sarà di gran fatica, avendo radunato quanto potemmo radunare in questo proposito, quando demmo alla buona memoria del Cardinale di Rohano, Vescovo d'Argentina, la licenza di celebrare la Messa sedendo, eccettuato il tempo del Canone, e della Consecrazione, per l'impedimento della podagra, che non l'avrebbe lasciato stare in piedi in tutto il tempo della Messa, ma unicamente in quello del Canone, e della Consecrazione. L'unione delle notizie, che allora facemmo, non ci sarebbe oggi riuscito di fare, non solo pel grave peso degli anni, e della nostra non perfetta guarigione, ma perchè avendo destinata la nostra copiosa, e scelta Libreria all'Istituto di Bologna, ed avendo ad esso trasmessa una gran parte de' Libri, de' quali avevamo tutta la pratica, ciò ci astringe a chiedere ad altri que' Libri più rari, de' quali abbiamo bisogno, il che ci è di non piccolo incomodo, e perdita di tempo, di cui poscia abbiamo gran carestia.

XXXI. Onorio IV. fu eletto Sommo Pontefice nel 1286. e non era, che Diacono; in tal maniera che fu d'uopo consecrarlo Prete, e Pontefice. Gl'Istorici attestano, ch'era abitualmente infermo: Martino Minorita *nel suo Flores Temporum*, Giovanni Vitodurano *nella Cronaca*, Andrea di Ratisbona pure *nella Cronaca*, Ermanno Cornero parimente *nella Cronaca*, appresso Gio: Giorgio Eccardo *nel suo Corpo istorico del medio evo al tom. 1. pag. 1631. pag. 1758. pag. 2088. ed al tom. 2. pag. 936.* Altri, ch'era talmente infermo ne' piedi, che non poteva cam-

camminare: Riccobaldo Ferrarese *nella Storia de' Pontefici Romani all' anno 1285. nel tom. 9. Rer. Ital. Script. pag. 182.* Altri, ch'era talmente oppresso dalla gotta, che non poteva unire un dito coll'altro: Muratori *negli Annali d' Italia tom. 7. pag. 460.* Altri, che non poteva celebrare la Messa, se non coll'ajuto d'alcuni strumenti: Tolomeo Lucense *al lib. 24. della sua Storia Ecclesiastica cap. 13. nel tom. 11. Rer. Ital. Script. pag. 1191.* il Raynaldi *all' anno 1285. num. 14.* il Fleury *al tom. 18. della Storia Ecclesiastica pag. 371.* e *nella Vita del detto Pontefice* il Ciacconio *al tom. 2. pag. 246.* il Burio, il Pagi *al tom. 3. pag. 455. num. 3.* l' Autore delle Vite de' Papi stampate all' Haya *al tom. 3. pag. 289.* Non manca poi chi descrive ancora gli strumenti coll'ajuto de' quali sedendo celebrava la Messa. Questi è il P. Francesco Pipino di Bologna, dell'Ordine de' Predicatori, che *nella sua Cronaca al lib. 4. cap. 22.* così lasciò scritto: *Pedibus erat ita ægrotus, ut nec ambulare, nec stare posset: manus autem sic contractas habebat, ut digitos, exceptis pollicibus, unum ad alterum jungere non posset; immo etiam carne superexcrescente fere unus ab altero secerni non poterat. Et, cum celebraret, ponebatur Corpus Domini inter ipsos pollices, & quodam instrumento ligneo, quo insidebat, volvebatur ad populum:* conforme si può vedere *nel cit. tom. 9. Rer. Ital. Script. alla pag. 727.*

XXXII. Ne' Commentarj di Pio II. che fu eletto Sommo Pontefice l'anno 1458. *alla pag. 203.* dopo una lunga narrativa della Processione fatta nel trasporto del Capo di S. Andrea Apostolo, venuto dall' Acaja in dono allo stesso Pontefice, si leggono le seguenti parole: *Die Sabbathi, qua fuit Aprilis 17. celebrato grandi Officio, cum benediceret populo Pontifex Maximus, promisit in crastinum, ob reverentiam Resurrectionis in Ecclesia Principis Apostolorum se se rem Divinam facturum, portaturumque eo sacrum Andreæ Caput, ut iterum atque iterum videretur, quod ex Altari Beati Petri abductum, in Palatio clauserat. Res nova & inspirata fuit. Nam propter ægritudines, & absentiam Pontificis ante quatuor annos, non viderant Romani suum Pontificem Divinam Hostiam offerentem. Cumque suis pedibus stare Pius Præsul nequiret, excogitata ingenia sunt, ut quasi sedens celebraret.*

XXXIII. Pio III. fu eletto Sommo Pontefice nel 1503. e non era, che Diacono, ed aveva in una gamba una piaga mortale, in tal maniera che non poteva stare in piedi. Sedendo fu ordinato Prete dal Cardinale di S. Pietro in Vincoli ai 30. di Settembre 1503. e dallo stesso fu consecrato Vescovo nel giorno 1. d' Ottobre; e nel giorno 8. dello stesso mese fu coronato, e celebrò sedendo la Messa Pontificale nella Basilica Vaticana. Il tutto si vede nel libro ultimo dei Diarj di Giovanni Burcardo, Maestro delle sacre Cerimonie, *alla pag. 56. 58. e 50.* che era nella Libreria del fu Cardinale Silvio Valenti nostro Segretario di Stato, e che oggi è nelle mani di Monsignor Luigi Valenti di lui Nipote.

ANNO MDIII.

Die Veneris 29. Septembris ordinavi sedem pro Papa, in qua sedens cruribus extensis ordinaretur, & celebraret, & mensam longam pro Altari, ut pedes subtus extendi possent.

Die Sabbathi..... Cardinalis S. Petri ad Vincula ordinavit Papam..... accessit in Planeta ad Papam in illa sede ordinata ad omnia sedentem &c.

Die Dominica 8. Octobris, S. D. N. delatus in sede ad hoc ordinata, de qua per totum officium non descendit. Sed in ea post introitum Ecclesiæ..... accepit in ea Pallium, & portatus in ea super solium, deinde in ea celebravit.

XXXIV. Celebrando Pontificalmente il Romano Pontefice, dopo la Consecrazione fatta all' Altare, ritorna al Soglio, ed ivi riceve l' Eucaristia sotto le specie del pane e del vino, ma stando in piedi; non essendo vero ciò che da alcuni viene scritto, che si comunichi sedendo, come può vedersi *nel tom. 2. del nostro Trattato della Santa Messa sez. 1. cap. 20. §. 1. dell' edizione Italiana*, e *nell' edizione Latina alla sez. 1. num. 339.* Ma nel Ceremoniale della Cappella Papale si lascia il Sommo Pontefice in libertà di comunicare i Cardinali Diaconi, e gli altri Personaggi del Soglio, sedendo; il che da Noi mai è stato fatto, avendo sempre comunicato i predetti stando in piedi. Dovendosi il Papa eletto consecrar Vescovo, si dice, che dal Cardinale Vescovo che fa la Consecrazione, gli s'impone il libro degli Evangelj sopra le spalle, e le mani sopra il capo, e successivamente se gli fa la sacra unzione col Crisma, tanto nel capo, quanto nelle mani, stando in tutte le dette azioni il Papa a sedere. Parimente, se il Papa eletto non fosse Suddiacono, o non fosse Diacono, o pure non fosse Sacerdote, nel Suddiaconato il Cardinal Vescovo, che conferisce l' Ordine stando in piedi, dà al Sommo Pontefice eletto *sedenti Calicem vacuum cum Patena, & urceolos cum vino & aqua, bucale, & manutergium*; e gli consegna il Libro Epistolario, seguitando esso a sedere. Conferendosegli il Diaconato, il Cardinale che ordina, sta in piedi, pone la mano sopra il capo del Papa sedente, dicendo: *Accipe Spiritum Sanctum*: ed al Papa sedente si consegnano i sacri paramenti, ed il Libro degli Evangeli. E finalmente nell' Ordinazione Sacerdotale s'impongono le mani dall' Ordinante sopra il capo del Papa sedente, che pure sta sedendo quando il detto Ordinante gli unge le mani coll' Olio santo de' Catecumeni, e gli consegna il Calice col vino e l' acqua, e la Patena coll' ostia. Cose tutte, che dimostrano, non disdire al Sommo Pontefice nelle più sacre azioni lo stare sedendo, e rende più facile quanto di sopra si è detto, discorrendo del celebrare la Messa sedendo anche nel tempo del Canone, non potendo reggersi su i piedi in tutto il tempo del Canone, e della Consecrazione.

XXXV. Ed ecco quanto abbiamo creduto bene d' esporre in questa nostra Lettera, che comunichiamo anche a quelli, il consiglio de' quali desideriamo d' avere, prima di prendere veruna risoluzione. E quando si arrivasse a prendere la risoluzione favorevole alla celebrazione della Messa, sarà suo pensiere il far preparare una tavola d' Altare colla Pietra sacra, coll' Immagine del Crosifisso, coi lumi, ed ogni altra cosa che si richiede per la Messa, lasciando vacuo ciò che resta sotto l' Altare, per potervi distendere i piedi; essendo sicurissimi, che il tutto sarà fatto ed eseguito colla solita sua inarrivabile diligenza. E Noi intanto di vero cuore le diamo l' Apostolica Benedizione.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die XI. Octobris MDCCLVII. Pontificatus Nostri Anno Decimo octavo.

P A U L U S   P P. III.

VENERABILI FRATRI

JOANNI EPISCOPO PAMPILONEN.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem

CUpientes commodis tuis, qui diversis infirmitatibus podagræ detentus, quibus fere ad membrorum invaliditatem redactus es, limina Apostolorum Petri & Pauli visitare personaliter de triennio in triennium commode, ut jurasti, non vales, providere, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, ut, tua vita durante, per Procuratorem tuum ad hoc a te specialiter constitutum dicta Limina visitando, ad ea aliter visitandum minime tenearis, nec ad id invitus a quoquam compelli possis; ac tibi, qui propter infirmitatem prædictam, Missam stando celebrare non vales, & zelo devotionis accensus Missam celebrare desideras, tibi, ut sedendo in quodam artificio sedis per te facto, in quo sedendo stare videris, quoties tibi placuerit, Missam celebrare, benedictionem elargiri, & alia, quæ ad Episcopalem Ordinem pertinent, etiam sedendo exercere; & Horas Canonicas, diurnas, & nocturnas, cum uno, vel duobus Capellanis juxta ordinem Romanæ Curiæ per dilectos filios nostros Cardinalem Sanctæ Crucis, vel alios antiquitus institutum, prout tibi placuerit, libere & licite dicere, ac easdem Horas anteponere, & postponere, & cumulative unico contextu recitare sine scrupulo conscientiæ libere & licite possis & valeas, tenore præsentium de speciali gratia indulgemus, proviso, quod Divinum Sacramentum debita cum reverentia tractetur, & scandalum non sequatur; & si celebratione tua in artificio prædicto astantes scandalizari verisimiliter credi possit, celebrationem hujusmodi, non publice, sed privatim facias. Non obstantibus Apostolicis ac in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum in Domo Sanctæ Crucis extra muros Nicen. sub Annulo Piscatoris VI. Junii MDXXXVIII. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

Hieronymus Card. Ghinuccius
Fab. Vigil.

P I U S   P P.   V.

DILECTO FILIO NOSTRO

PETRO FRANCISCO

TITULI SANCTÆ AGNETIS IN AGONE

PRESBYTERO CARDINALI FERRERIO VOCATO.

Dilecte Fili Noster, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

EXimia virtutum dona, quibus personam tuam illarum largitor illustravit Altissimus, promerentur, ut votis tuis, præsertim quæ ex devotionis fervore prodire dignoscuntur, benigno annuamus affectu. Cum itaque, sicut Nobis nuper exposuisti, tu adeo frequenter gravibus tui corporis indispositionibus, & præsertim podagra, quæ te assidue impeditum tenet, laborare solitus sis, ut, quando devotionis tuæ causa Missam celebrare desideras, quoniam pedibus stare non potes, id facere nullo modo valeas; quare Nobis humiliter supplicasti, ut tibi in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur: Nos igitur specialem gratiam tibi facere volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, circumspectioni tuæ, ut, quotiescumque devotionis gratia Missam celebrare volueris, si eam pedibus stando ob ipsas indispositiones commode celebrare nequiveris, illam sedendo in Oratorio domus tuæ, seu Capella tua privata, coram familiaribus & domesticis tuis dumtaxat, ita ut exinde nullus scandalum, aut offendiculum capere possit, alias tamen rite celebrare valeas, auctoritate Apostolica tenore præsentium licentiam concedimus & facultatem. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Septembris MDLXVI. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Cæsar

Cæſar Glorierius

TErminata l'unione delle notizie appartenenti al celebrare, o non celebrare la Meſſa, ſedendo anche nel tempo del Canone e della Conſecrazione, mentre ſi ſtava per traſmettere il tutto a chi doveva ſomminiſtrarci il proprio parere e conſiglio, eſſendo piaciuto al Grande Iddio di viſitarci con una nuova ſuſſeguente infermità, abbiamo ſtimato neceſſario ſoggiugnere quanto in appreſſo; ad effetto che, conſiderato ed avvertito quanto è di poi ſeguito, poſſano i noſtri conſiglieri darci ſopra il tutto un adeguato conſiglio.

Fummo dunque nel giorno 14. del corrente meſe di Ottobre moleſtamente aſſaliti da un graviſſimo bruciore d'urina, che comparve miſta e tinta di ſangue: il che benchè non deſſe veruna apprenſione al Profeſſore, non laſciò però di riempirci di ſpavento, e di tirarci addoſſo una febre riſentita: alla quale fu poſcia riparato con una cavata di ſangue, e con repetite preſe di China China: nè in quella congiuntura punto ci ſcordammo della Noſtra grave età, e di quanto ſi legge *nel Salm.* 89. *Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni. Si autem in potentatibus, octoginta anni & amplius eorum, labor & dolor*: indicandoſi nelle accennate parole, che *dies annorum noſtrorum in ipſis, ſeptuaginta anni; id eſt tempus vitæ noſtræ in ſe ipſo concluſum & definitum, non traſcendit ultra ſeptuaginta annos*: e nelle perſone più robuſte arriva agli ottanta; *& in robuſtioribus uſque ad octoginta*: e che, ſe ſi trapaſſano gli ottanta, come in Noi ſuccede, tutto deve eſſer malattia, tutto diſgrazie: *& ſi quid ultra erit, erit Labor & dolor, ætas videlicet infirma, & variis malis & ærumnis noxia*. Sono tutte parole del Venerabile Cardinale Bellarmino *ſopra il Salmo allegato*.

Proſeguendo poi la narrativa di quanto è ſeguito, ritornata l'urina al ſuo color naturale, eſcluſo in tutto e per tutto il colore ſanguigno, ci ritroviamo e quanto alla teſta, e quanto al lavoro, in quello ſtato, in cui eravamo prima che foſſimo aſſaliti dal nuovo male: e quello che ora v'è, e che una volta non v'era, ſi è, che ſiamo neceſſitati ogni due ore e mezza in circa a far eſtrarre dalla veſcica colla ſiringa l'urina, che, paſſato il detto tempo e non eſtratta, ci cagionerebbe dolori inſopportabili.

Potendoſi dunque nel termine delle due ore e mezza poc'anzi accennato celebrare comodamente la ſanta Meſſa, dovrà ognuno chiamato a conſiglio, accennare liberamente quanto crede a propoſito o per la parte affermativa, o per la parte negativa, riſpetto al celebrare la Meſſa ſedendo anche nel tempo del Canone e della Conſecrazione. Compatiraſſi, come preghiamo, il nuovo incomodo: dando con pienezza d'affetto a chi ſe lo prenderà, l'Apoſtolica Benedizione. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die XXVIII. Octobris MDCCLVII. Pontificatus Noſtri Anno Decimo octavo.

C O L L E C T I O
QUORUNDAM RECENTIORUM DECRETORUM
NUNQUAM ANTEA EDITORUM.

M O N I T U M.

Postquam Editio hæc nostra jam tota penitus perfecta esset, ad aures nostras pervenit, Recentiora quædam Decreta a S. R. Congregatione edita fuisse, quæ nondum publicam lucem aspexerunt. Ut igitur nihil esset, quod in Opere hoc nostro desideraretur, ex Regestis Decretorum ejusdem Sacræ Rituum Congregationis ea summa fide eruenda, & Roma ad nos statim mittenda curavimus. En illa iisdem omnino verbis, ut in jam dictis Regestis scripta sunt. Iis utere, Lector humanissime, & diligentiam nostram ne asperneris.

Ordinis Carmelit. Excalceat. Provinciæ Poloniæ.

CUM Fratri Josepho a B. Virgine Maria Ordinis Carmelitarum Excalceatorum Provinciæ Poloniæ nonnulla occurrerint dubia circa rubricas, S. Rituum Congregationi humillime supplicavit, quatenus ea benigne resolvere dignaretur. Dubia sunt sequentia.

I. Cum Regulares teneantur recitare Officium de Dedicatione Ecclesiæ Cathedralis sub ritu duplici secundæ classis, utrum tantum intra Civitatem constituti, ubi adest talis Ecclesia Cathedralis, an etiam per totam Diœcesim?

II. Cum in omnibus Diœcesibus Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ Officio Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis assignata sit dies Dominica in perpetuum, & in eadem Dominica recitetur quotannis, utrum aliquando apud Regulares occurrente in illa Dominica alio festo altioris ritus, vel Dignitatis, debeat prædictum Officium Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis apud Regulares transferri in aliam diem non impeditam etiam ultra duas septimanas, an omitti juxta Decretum Sacræ Rituum Congregationis emanatum in Anno 1683. 20. Martii, & insuper utrum cedere debeat prædictum Officium Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis Officio solemniori alicujus Religionis occurrenti eadem die Dominica sub eodem ritu?

III. Dum fit expositio Sanctissimi Sacramenti ratione solemnitatis ad Populum in Dominicis privilegiatis, vel aliis, qualis debeat adhiberi color in Missis celebrandis de Dominica ad Altare Majus, ubi manet expositum Sanctissimum Sacramentum, an albus competens solemnitati ratione expositionis Sanctissimi Sacramenti, an violaceus?

IV. Cum in Provincia Polona, & Lithuania ob occursum perpetuum cum festo S. Stanislai Episcopi Martyris Patroni Principalis ex die 8. Maji Officium Apparitionis Sancti Michaelis Archangeli translatum in diem X. Maji tamquam propriam recitabatur, quæritur utrum nunc cum Sacra Rituum Congregatio Officio S. Antonini de Præcepto Semiduplici eamdem decimam Maii assignaverit pro universali Ecclesia debeat cedere Officium Apparitioni S. Michaelis Archangeli, ad uniformitatem Officio S. Antonini?

V. Utrum occurrente aliquando festo altioris ritus in Dominica secunda post Pascha, in qua ex Indulto Sacræ Rituum Congregationis recitatur in Polonia Officium affixum hujus Dominicæ Sanctissimi Sepulchri, debeat ne prædictum Officium Sanctissimi Sepulchri transferri in aliam diem non impeditam, an omitti juxta Decretum in Anno 1683. 20. Martii emanatum?

VI. Cum in Regno Poloniæ cum maxima solemnitate & concursu populi cantetur ab immemorabili tempore in Adventu Domini singulis diebus Missa votiva de Beata Virgine Maria, quæ vocatur = Rorate = quæritur, utrum hæc Missa censenda sit solemnis ratione concursus Populi, & pro re gravi instituta a Synodo Provinciali Regni Poloniæ 1628. a SS. Domino Nostro Paulo V. approbato?

VII. Utrum ex præscripto Fundatorum, & institutione eorumdem possit dici Missa de Assumptione, Purificatione, Conceptione Beatæ Mariæ Virginis in Sabbathis, vel aliis festis per annum non impeditis festo duplici?

VIII. Cum in Regno Poloniæ ab immemorabili consuetudine recitetur 28. Septembris Officium Sancti Wenceslai Martyris sub ritu duplici minori & sub eodem similiter ritu duplici minori Officium Translationis ejusdem Sancti Wenceslai Martyris recitetur 5. Martii, utrum licite tolerari possit, ut festum Principale, & ejus Translatio sub eodem ritu celebretur, sicut in Magno Ducatu Lithuaniæ Officium S. Adalberti, & ejus Translatio, & an debeat cessari a recitatione Officii Translationis S. Wenceslai Mart. sub Ritu duplici in Regno Poloniæ; sicut, & in Lithuania a recitatione Officii Translationis S. Adalberti?

IX. Iis in Ecclesiis Regularium, in quibus non est consuetudo cantandi quotidie Missam currentis Officii; Utrum in Missa solemni, quæ sola canitur pro re gravi, vel ob occursum festi solemnis, de quo eodem die Officium nequit fieri, non cantata Missa Officii diei, nempe de Dominica privilegiata, feria majori, vel festo aliquo, debeat addi collecta illius diei Officii currentis, nempe festi alicujus, Dominicæ, feriæ majoris?

X. Utrum Sacerdos Sæcularis, vel Regularis habens Officium duplex, & quid si duplex primæ, vel secundæ classis, celebrans in aliena Ecclesia ex devotione ubi celebratur festum solemne, debet ne celebrare Missam conformando se illi Ecclesiæ ubi celebrat etiam quoad solemnitatem, & colorem apparamentorum?

XI. Utrum etiam Sacerdos Sæcularis, vel Regularis habens Officium duplex, & quid si duplex primæ, vel secundæ classis, celebrans in aliena Ecclesia ex obligatione in sepultura solemni alicujus Cadaveris vel exequiis solemnibus, debet se conformare illi Ecclesiæ celebrando Missam de Requiem?

XII. Invaluit consuetudo in Regno Poloniæ celebrandi Missam de Requiem in solemnibus sepulturis præsente Cadavere in festo duplici minori, non tamen celebri. Utrum hoc licite tolerari potest?

XIII. Utrum in majori hebdomada excepto triduo ante Pascha, & biduo post & infra octavam Paschæ & Pentecostes, ac etiam in festis duplicibus primæ Classis non tamen celebribus, potest cantari Missa unica solemnis de Requiem in sepultura Cadaveris?

XIV. Quænam dicenda sit Missa in die obitus, vel depositionis alicujus Defuncti Sacerdotis, an prima quæ est pro Episcopis assignata, ut in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum cum Oratione *Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes* &c. an illa quæ est secundo loco posita, quæ est in die Obitus, seu depositionis in Communi cum Oratione *Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes* &c. Et insuper quænam dicenda sit Missa in Exequiis solemnibus post sepulturam Cadaveris?

Et Sacra eadem Congregatio audito prius voto unius ex Apostolicarum Cæremoniarum Magistris, respondendum censuit.

Ad I. Regulares degentes in Civitate tenentur ad Officium Dedicationis Cathedralis, extra Civitatem non tenentur, neque ad recitationem Officii in die festo.

Ad II. Ad primam ejusdem dubii partem esse transferendum ad primam diem non impeditam. Ad secundam dubii partem servetur Rubrica X. Breviarii Romani de concurrentia festorum n. secundo.

Ad III. In Altari ubi est publice expositum Sanctissimum Sacramentum, si celebretur Missa diei, celebrari debet cum Paramentis festo, seu Officio convenientibus.

Ad IV. Officium jam translatum Apparitionis S. Michaelis Archangeli ob occursum festi S. Stanislai Episcopi & Mart. quod in Polonia sub ritu duplici primæ classis celebratur, & perpetuo assignatum die X. Maji non erit ulterius amovendum propter Officium S. Antonini Episcopi, & Confessoris en die in Ecclesia universali celebrandum, sed firmo remanente Officio Apparitionis illud S. Antonini transferatur in primam diem non impeditam.

Ad V. Officium Sanctissimi Sepulchri si occurrerit altioris ritus, non erit ad aliam Dominicam transferendum, sed prorsus omittendum.

Ad VI. Missa Rorate, etsi solemniter decantetur in Adventu, non est tamen recensenda inter Missas votivas pro re gravi, vel pro publica causa, sed haberi dumtaxat poterit, ut mera Populi devotio.

Ad VII. Non sunt violandæ rubricæ imperitorum, Laicorum causa, & ideo petentibus Missam votivam de Assumptione &c. fiet satis celebrando unam ex Missis votivis Beatæ Mariæ Virgini juxta temporis occurrentiam.

Ad VIII. Serventur solitum.

Ad IX. In Missis votivis solemnibus, quæ pro re gravi, vel ob occursum festi solemnis in aliam diem transferendi, etsi unica tantum canatur Missa, unica tantum Oratio dicenda est.

Ad X. & XI. Serventur Decreta alias edita in una Tertii Ordinis Sancti Francisci 11. Januarii 1701. Sacerdotes tam Sæculares, quam Regulares conformari se debent ritui Ecclesiæ in qua celebrant.

Ad XII. Missæ privatæ de Requiem etiam corpore præsente, & insepulto dici non possunt diebus, quibus fit de Officio duplici, vel aliis a Rubrica exceptis, & quæcumque consuetudo in contrarium abusus esse declaratur, Missa tamen unica sole-

lemnis insepulto Corpore celebrari poterit etiam in Dominicis, & festis diebus, non tamen solemnioribus primæ classis.

Ad XIII. Affirmative.

Ad XIV. Una, vel altera Missa dici poterit in Sepultura Cadaveris, vel Anniversario pro Sacerdote Defuncto, dummodo Oratio pro eo designata, *Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes* &c. omnino adhibeatur. Et ita declaravit. Die 29. Januarii 1752.

Gadicen.

Cum hodierno Magistro Cæremoniarum Ecclesiæ Cathedralis Gadicen. nonnulla occurrerint dubia circa Rubricas Sacræ Rituum Congregationi humillime supplicavit, quatenus ea benigne resolvere dignaretur: dubia sunt sequentia.

I. Num Missæ, quæ cohærenter ad Officia semel in mense, vel hebdomada recitari concessa celebrantur cum Gloria in excelsis, puta de Sanctissimo Sacramento feria quinta, de Sanctissimo Nomine B. V. M. in Sabbatho, de Patrono Principali in alia feria, habere etiam debeant Credo.

II. Cum ex Fundatorum voluntate muneris sit Capituli Ecclesiæ Gadicensis, quotannis ultra Officium diei plura Anniversaria adimplere, & de pluribus festivitatibus Sanctorum Officium cum Vesperis & Missa celebrare; quæritur, num Vesperæ dictarum Festivitatum Sanctorum Pontificum v. g. seu Virginum tempore Paschali si celebrentur Antiphonæ psalmorum, & reliquæ dici debeant cum Alleluja ob citati temporis Paschalis occurrentiam. Et similiter in iisdem Vesperis, utpote extra diem proprium earum festivitatum, ultimus psalmus esse debeat in Sanctis Pontificibus ver. gr. *Memento Domine David*, & in Sanctis Martyribus psalmus: *Credidi*; Num vero psalmus *Laudate Dominum omnes gentes*.

III. Et cum citatæ Missæ solemnes Anniversariorum, ut supra in majori ejusdem Cathedralis Altari præsente toto Capitulo celebrentur, quæritur, num propositæ Missæ solemnes celebrari possint occurrente festo duplici, & maxime quia tunc casus, si celebrentur, datur, quod de eadem festivitate in eodem die duæ Missæ solemnes, in eodem principali Altari dicantur, e. g. una solemnis post primam ut accidit in eadem Cathedrali in simili occurrentia, & altera eadem post Tertiam.

IV. Quæritur, num in Officio eidem Cathedrali Gadicensi, & Clericis ejus Choro tantum adscitis concesso nomine, & privilegio D. D. Clericorum Cathedralis gaudere possint Clerici Curati in eadem Ecclesia curam animarum exercentes, qui quidem eidem Choro de rigore non sunt adscripti.

V. Quæritur, num Lignum Sanctissimæ Crucis, & Sacræ Spinæ Coronæ Domini Nostri Jesu Christi, dum ab eodem Capitulo Gadicensi in eorum Festivitatibus processionaliter portantur ex inveterata ejusdem Ecclesiæ consuetudine sub Baldachino, vulgo Hispanice *Pallio*, & cum duorum Thuribulorum incensatione conduci & portari debeant.

Et Sacra Eadem Congregatio audito prius voto unius ex Apostolicarum Cæremoniarum Magistris censuit rescribendum.

Ad I. Negative.

Ad II. Quando ultra Officium diei recitatur aliud de aliquo Sancto ex Fundatorum voluntate; si tempus currerit Paschale, ritum pro tempore convenit imitari, addendo Antiphonis, versiculis, & singulis responsoriis Alleluja, uno excepto B. M. V. Officio parvo, in quo dum feriali conjungitur Officio diei, nullum additur Alleluja secundum peculiarem illius Rubricam juxta alias resoluta; Psalmi quoque Vesperarum erunt, ut jam alias designati in festo, scilicet, ut in primis, si primæ decantantur Vesperæ, ut in secundis, si secundæ.

Ad III. In casu de quo agitur duplex de eodem occurrenti solemni festo cantabitur Missa, una videlicet pro fundatione post primam, altera Conventualis post Tertiam.

Ad IV. Servetur Decretum Sacræ Rituum Congregationis 30. Augusti 1602., nempe: Clerici, licet adscripti alicui Ecclesiæ non tamen obligati Choro, non tenentur recitare Officia, quæ in Choro propria dicuntur.

Ad V. Lignum Sanctissimæ Crucis, & Spinæ Coronæ Domini Nostri Jesu Christi ubi adest immemorabilis consuetudo, licitum est Capite aperto sub Baldachino processionaliter deferre, easdem Reliquias incensantibus duobus thuriferariis. Et ita declaravit die 26. Augusti 1752.

Renovatio SS. Sacramenti debet fieri qualibet Dominica, non autem differri ad quindecim dies. S. R. C. 5. Aprilis 1753.

Conimbricen. Dubiorum.

Cum Reverendissimus Episcopus Conimbricen. S. Rituum Congregationi exposuerit plures in sua Cathedrali vigere usus contra præscriptum Sacrarum Rubricarum, & Cæremonialis Episcoporum, pro quorum observantia Capitulum dictæ Cathedralis antiquam consuetudinem adducebat, cumque ad Sac. Congregationem suam relationem transmiserit Eminentissimus, & Reverendissimus D. Cardinalis Tamburinus Sacræ Rituum Congregationis Præfectus, & Causæ Ponens infrascripta dubia coram se inter partes concordata decidenda proposuit, nempe

I. An attentis circumstantiis toleranda sit asserta consuetudo cantandi unicam Missam, aliamque legendi iis diebus, quibus a Rubrica duæ præcipiuntur Missæ?

II. An in Missa Conventuali cani semper debeant Gloria, Credo, totum Graduale, Offertorium, Præfatio, & Pater Noster?

III. An servari possit asserta consuetudo, qua diebus non festivis in Missa Conventuali non adsistit Magister Cæremoniarum, nec adhibetur incensum?

IV. An servari possit asserta consuetudo pulsandi Organum tempore Quadragesimæ, Adventus, ac Vigiliarum in Missis votivis B. M. V. quæ singulis Sabbatis solemniter celebrantur, & in ejusdem Litaniis, quæ post Vesperas cantantur?

V. An Canonici possint, ac teneantur in Feria quarta Cinerum transferre Processionem quamdam, & aliquas Commemorationes pro Defunctis, ad quas ex Legato tenentur, ut expositionem SS. Sacramenti quadraginta horarum facere possint; seu potius an melius sit dictam expositionem in aliam diem transferre, ut prædictis functionibus mentem Testatorum adimpleant?

VI. An in elevatione SS. Sacramenti in Missis solemnibus cani possit Tantum ergo &c, vel aliqua Antiphona tanti Sacramenti propria?

VII. An a Cantoribus in Choro incipi possit Introitus Missæ, priusquam Sacerdos eamdem Missam celebraturus ad Altare pervenit?

VIII. An hebdomadarius in Choro intonare possit initium horæ sequentis, priusquam Sacerdos Evangelium S. Joannis terminaverit?

IX. Utrum servari possit asserta consuetudo, ut Feria quarta Cinerum Canonicus Turnarius, impedito, vel nolente Episcopo, Cinerum benedictionem peragat, & Missam cantet?

X. An servari possit asserta consuetudo, ut in Processionibus Palmarum, & Candelarum, functionem non peragente Episcopo, Crucem portet Cappellanus per turnum paratus?

XI. An servari possit asserta consuetudo, ut in Processionibus Litaniarum, earumdem Cantores incedant Pluvialibus induti?

XII. An in Ecclesiis, quas Processio Litaniarum per viam ingreditur, fieri possint Commemorationes pro Defunctis in adimplementum Legatorum a Personis in eisdem Ecclesiis sepultis relictorum?

XIII. An servari possit asserta consuetudo, ut duo medii Canonici seu Tertienarii Tunicella, seu Dalmatica induti in Processione Corporis Christi Thuribula deferant, & Sanctissimum Sacramentum incensent?

XIV. Utrum asserta consuetudo, ut quatuor Canonici, vel medii Canonici Pluvialibus induti quædam [illegible] insignia sine Palmis & Candelis præ manibus [illegible] in Processionibus Palmarum, & Candelarum, licite retineri possit.

Et Sacra eadem Congregatio, re mature discussa, perpensisque tam Reverendissimi Episcopi, quam Capituli, & Canonicorum juribus per eorum Procuratores voce & scripto expositis rescribendum censuit.

Ad I. Negative reservato jure probandi antiquam consuetudinem, & amplius.

Ad II. Affirmative juxta præscriptum Cæremonialis Episcoporum, & amplius.

Ad III. Affirmative quoad Magistrum Cæremoniarum, Negative quoad Thurificationem & amplius.

Ad IV. Affirmative & amplius.

Ad V. Negative quoad primam partem: Affirmative quoad secundam: nempe, Expositionem Sanctissimi Sacramenti esse transferendam in aliam diem commodiorem arbitrio Episcopi, & amplius.

Ad VI. Affirmative, & amplius.

Ad VII. Negative, & amplius.

Ad VIII. Negative, & amplius.

Ad IX. Affirmative, & amplius.

Ad X. Affirmative, & amplius.

Ad XI. Affirmative, & amplius.

Ad XII. Affirmative.

Ad XIII. Affirmative, & amplius.

Ad XIV. Affirmative, & amplius. Et ita declaravit, ac servari mandavit. Die 14. Aprilis 1753.

Vilnen.

Porrectis per Capitulum, & Canonicos Ecclesiæ Cathedralis Vilnen. in Lithuania Sacr. Rituum Congregationi humillimis precibus pro declaratione sequentium dubiorum, nempe

I. Num Anniversaria, quæ ex diversorum Testatorum voluntate sunt a Capitulo præsertim circa singula quatuor anni tempora in cantu celebranda, absolvi possint in festo duplici majori per annum, non tamen de præcepto, etiam si dies ille non sit vere dies Anniversarius Defuncti.

II. Translato Anniversario a proprio die obitus Testatoris ob occurrens impedimentum in alium diem non impeditum, si de Requiem cantanda sit Missa, quæritur quænam cantari debeat, an ut in Anniversario, an etiam ut in Missis Quotidianis.

III. An obitus die impedito, possit pro Defunctorum Anniversario cantari Missa de occurrenti festo, vel feria Privilegiata per applicationem.

IV. Specialiter idem quæritur de Anniversariis, quæ occurrunt absolvenda circa quatuor tempora Paschalia, & infra octavam Pentecostes, & non possunt omnia absolvi, aut finiri ante octavam Sanctissimi Corporis Christi, hæc inquam, quomodo, & qualiter absolvenda.

V. Cum multæ fundatæ sint Missæ Votivæ quotidianæ in canto: nempe in Capella Sanctissimi Nominis Mariæ Missa Votiva de Assumptione Beatæ Mariæ Virginis. In Capella Immaculatæ Conceptionis, Missa votiva de Immaculata Conceptione. In Capella Assumptionis Missa Votiva de Beata Maria prout de tempore: Et certis diebus de Sancto Casimiro Conf. in Capella, ubi requiescit ejus Corpus.

VI. Quando per rubricas Missalis, ac decreta Sacræ Congregationis, videlicet per octavas Nativitatis, Epiphaniæ, per

feriam IV. Cinerum, a Dominica Palmarum usque post octavam Paschæ, per octavas Pentecostes, & Sanctissimi Corporis Christi, prohibentur Missæ votivæ privatæ; an etiam hæ votivæ in cantu prohibeantur?

VII. Si prohibentur, an debeant pro votivis substitui Missæ de festo? Et hæc an in cantu.

VIII. An lectis, loco cantatarum satisfieri possit fundationi.

IX. Num saltem in primis diebus solemnibus possint substitui loco Votivarum cantatæ de festo; Reliquis vero diebus infra prædictas octavas, & aliis diebus supra enumeratis cantari votivæ.

X. Quando juxta rubricas Missalis in feriis Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Rogationum, ac Vigiliarum præscribuntur duæ Missæ cantatæ in Cathedralibus, & Collegiatis, una de festo post Tertiam, altera de feria post Nonam; An in dicta Cathedrali Vilnen. propter insufficientiam temporis ratione multarum votivarum cantandarum ex fundatione, possit una ex his duabus substitui, lecta pro cantata: & quæ potius an de festo post Tertiam; an post Nonam de feria.

XI. Denique an securius una ex dictis Votivis legi possit, ut ambæ Conventuales de Sancto, & de feria per Rubricas præscriptæ decantentur.

XII. An in Dominicis infra octavam sive privilegiatam, sive non, præter Missam Conventualem, quæ cantatur per Hebdomadarium ex Venerabili Capitulo de Dominica, debeat etiam alia Missa cantari de die infra octavam. Item in Dominicis per Annum, in quibus fit de aliquo festo cum Commemoratione Dominicæ: An item præter Missam Conventualem de festo celebrandam per Hebdomadarium ex Venerabili Capitulo, debeat etiam alia Missa cantari de Dominica per Vicarios ejusdem Cathedralis.

XIII. Quando absolvitur Missa lecta coram Sanctissimo Sacramento in monstrantia exposito, attamen velato; Item coram Sanctissimo Sacramento in Pixide exposito, an debeant omnes genuflexiones observari in tali Missa, quæ alias observantur coram Sanctissimo Sacramento publice exposito, & non velato, conformiter ad Rubricam Missalis Feriæ quintæ in Cœna Domini, vel non.

XIV. Quando Episcopus pro publicis supplicationibus injungit in sua Diœcesi recitari publice in Templis Litanias de Sanctissimo Nomine Jesu, utrum Parochi scientes easdem Litanias de Sanctissimo Nomine Jesu esse prohibitas, debeant satisfacere huic edicto.

XV. Est consuetudo in plurimis Poloniæ, & Lithuaniæ Ecclesiis decantandi Officium parvum de Immaculata Conceptione B. M. V. sunt insuper in aliquibus Ecclesiis relicta Pia Legata ad hunc effectum, ut idem Officium parvum de Immaculata Conceptione B. M. V. certis diebus publice decantetur: in tali casu Rectores Ecclesiarum quid facere debeant, cum idem Officium sit prohibitum?

Sac. eadem Cong. habita prius Reverendissimi Episcopi informatione, auditoque super præfatis dubiis voto unius ex Cæremoniarum Apostolicarum Magistris ad relationem Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Cardinalis Tanari Ponentis rescribendum censuit.

Ad I. Affirmative.

Ad II. In Anniversariis Defunctorum ob aliquod impedimentum a proprio die translatis, quævis dicatur Missa, sive ut in Anniversario, sive ut quotidianis, verba in Oratione, *cujus Anniversarium depositionis diem commemoramus* &c. non sunt varianda.

Ad III. Negative.

Ad IV. Servetur Decretum die 4. Maji 1686. in una Canonicorum Regularium Lateranensium.

Ad V. Pro Missis ex fundatione, aut ex alia quacumque caussa in cantu celebrandis, sive de Assumptione, sive de Conceptione &c. B. M. V. extra ejus festos dies, vel octavas earumdem Solemnitatum assumi nequit propria festivitatis, sed substituenda est ei una ex quinque votivis Missis B. M. V. quæ habentur in Missali Romano juxta congruentiam temporis.

Pro Missa votiva S. Casimiri, si habeatur propria, mutanda sunt verba *Natalitia* vel *festivitas* in aliis congruentibus votivæ, scilicet *Commemoratio*, aut *memoria*.

Ad VI. Affirmative.

Ad VII. Affirmative.

Ad VIII. Affirmative ex rationabili causa ab Ordine dignoscenda & approbanda.

Ad IX. Negative.

Ad X. Non posse omitti alteram ex his duabus Missis cantandis.

Ad XI. Quoad Missam votivam lectam cantatæ substituendam, jam provisum sub numero octavo.

Ad XII. Negative, scilicet in Dominicis infra octavas, vel aliis a festo duplici impeditis unicam tantummodo cantandam esse Missam: In Dominicis quidem infra octavas de Dominica cum commemoratione octavæ; in aliis vero Dominicis non privilegiatis, & in quibus fit de occurrenti festo duplici, Missa de festo cum commemoratione Dominicæ, ejusque Evangelio in fine.

Ad XIII. Affirmative.

Ad XIV. Et XV. Dilata, & exhibeantur Litaniæ, & Officium. Et ita declaravit die 22. Decembris 1753.

Bahien.

Cum Reverendissimus Archiepiscopus Civitatis Bahiæ alias S. Salvatoris nuncupatæ occasione controversiæ in sua Civitate exortæ circa commemorationem faciendam inter Communia suffragia de Sanctissimo Salvatore Titulari Civitatis prædictæ, ejusque Cathedralis, ac de Santo Francisco Xaverio Patrono Principali rite electo, & confirmato ejusdem Civitatis, per supplicem libellum humillime supplicaverit Sanctissimo Domino Nostro Benedicto Papæ XIV. pro solutione sequentium dubiorum, ac Sanctitas Sua preces Oratoris Sacræ Rituum Congregationi remiserit, prædicta dubia ab Eminentissimo & Reverendissimo Domino Cardinali Tamburino ejusdem Sac. Congregationis Præfecto, ac Ponente in ea proposita fuerunt, nempe

I. An Archiepiscopo prædicto liceat declarare per literas Pastorales Sanctissimum Salvatorem non esse Patronum, sed semper fuisse, & esse Titularem Civitatis Bahiensis, ejusque Cathedralis, adeoque in posterum pro Titulari habendum, & colendum sub eodem ritu, quem nunc habet, & semper habuit, quandiu Patronus existimabatur?

II. An eidem liceat declarare per literas Pastorales S. Franciscum Xaverium esse Patronum Principalem Civitatis Bahiensis rite constitutum; adeoque imposterum pro Patrono Principali habendum, & colendum sub eo ritu, qui Patronis Principalibus Civitatum conceditur, itaut infra annum in Officio Divino, quando dicuntur suffragia Sanctorum, de eo ut Patrono Principali fieri debeat commemoratio loco competenti, & propterea in Missa quando dicitur Oratio: *A cunctis* sub littera N. ejus nomen exprimi debeat?

Et Sacra eadem Congregatio audito prius voto ab Apostolicarum Cœremoniarum Collegio scriptis exarato, typisque vulgato rescribendum censuit.

Ad I. Licere prout in dubio.

Ad II. Pariter licere prout in dubio, dummodo non omittatur in Metropolitana Commemoratio Sanctissimi Salvatoris tamquam Titularis ejusdem. Et ita declaravit, ac servari mandavit die 16. Februarii 1754.

Urbis.

Prior Conventus Carmelit. Discalceat. Sanctæ Mariæ de Scala Urbis Sacræ Rituum Congregationi humillime supplicavit pro resolutione sequentis dubii.

Festum duplex secundæ Classis habens octavam, cadit in Dominica impedita Officio altioris ritus, sed sine octava, quæritur utrum Officium prædicti Festi possit reponi in subsequenti Dominica, cum alias sit octava ejusdem Festi, & tota hebdomada sit impedita, vel potius debeat fieri de Dominica, & dictum Officium reponi prima die non impedita post dictam Dominicam.

Et Sacra eadem Congregatio ad Relationem mei Secretarii respondit

Negative quoad primam partem, Affirmative quoad secundum. Et ita declaravit die 16. Februarii 1754.

Ordinis Minorum de Observantia Sancti Francisci Provinciæ Majoris Poloniæ.

Regulares Ordinis Minorum de Observantia Sancti Francisci Provinciæ Majoris Poloniæ humillime Sacræ Rituum Congregationi supplicarunt pro declaratione infrascriptorum dubiorum.

I. Cum in omnibus Conventibus erectæ sint Confraternitates Sanctæ Annæ, Sancti Patris Francisci, Sancti Antonii, & aliorum Sanctorum, quæritur an votivæ simplices de hujusmodi Sanctis cantari possint in Festo duplici minori, & majori, sed non de præcepto, seu festivo ut antiqua consuetudo in hac Provincia viget, & ad quas Populus concurrit, easque libenter audit, & cantari procurat?

II. An Missæ de Requiem pro Parentibus Fratrum dictæ Provinciæ quavis feria secunda in quolibet Conventu possint cantari exposito Castro doloris occurrente festo duplici minori & majori, sed non de præcepto, seu Festivo?

III. An Missæ de Requiem possint cantari in nostris Ecclesiis pro Benefactoribus defunctis, (qui apud nos non sepeliuntur) in die obitus illorum occurrente festo duplici minori & majori, sed non de præcepto, seu festivo?

IV. An Missæ de Requiem (ut Populus semper prætendit, & non per applicationem Sacrificii) possint cantari pro Benefactoribus Defunctis ad petitionem hæredum quavis die etiamsi non sit dies obitus, vel Anniversarii occurrente festo duplici minori & majori, sed non de præcepto, seu festivo? In omnibus supradictis quæsitis excludimus festa primæ & secundæ Classis, Dominicas per annum, Dominicas, ac Octavas privilegiatas.

V. Cum Sacra Rituum Congregatio decreverit in festo duplici minori, & majori, sed non de præcepto posse cantari Missam de Requiem, cum accipitur nuntius de obitu alicujus in loco dissito &c. sub die 4. Maji 1686., & Anniversaria quæ ex dispositione Testatorum cum cantu quotannis sunt celebranda, possint cantari etiamsi eorum dies inciderit in festum duplex majus, non tamen de præcepto sub die 20. Julii 1669. annuente Sanctissimo Domino Nostro Clemente IX. Quæritur quomodo intelligendum duplex majus de præcepto, an quod sit celebre ad Populum, seu festivum, vel alio modo &c.?

Et Sacra eadem Congregatio audito prius voto unius ex Apostolicarum Cæremoniarum Magistris, ad relationem Eminentissimi & Reverendissimi Domini Cardinalis Tamburini ejusdem Sacræ Congregationis Præfecti censuit rescribendum.

Ad I.

Ad I. Negative;
Ad II. Negative.
Ad III. Affirmative.
Ad IV. Negative.
Ad V. Festum duplex majus de præcepto est illud, in quo occurrit Officium recitandum sub ritu duplici majori, cuique a legitimo superiore adnexum est præceptum audiendi Sacrum, & abstinendi ab Operibus servilibus. Et ita declaravit die XI. Maji 1754.

Lisbonen.

Cum Ruy Correa Lucas, & Militia de Silveira Conjuges Lisbonen. in ultimo quo decesserant Testamento Hospitium fundaverint pro duodecim Sacerdotibus ultra Rectorem, qui teneantur per Turnum singulis diebus in perpetuum celebrare duas Missas, & ultra prædictas deberent etiam celebrare alias singulis diebus festivis, duodecim Apostolorum, Sancti Pauli, Evangelistarum, Doctorum Ecclesiæ, Patriarcharum Religionum, Sancti Josephi &c. propterea ad tollendum omne dubium in adimplemento prædictorum onerum, Franciscus Carneiro hodiernus administrator prædictæ piæ operæ Sacræ Rituum Congregationi pro declaratione infrascriptorum dubiorum humillime supplicavit, nempe

I. An in festis Sanctorum Apostolorum, & Evangelistarum Joannis & Matthæi ultra duas Missas quotidianas sufficiat alias duas celebrare? vel potius quatuor celebrandæ sint, ex eo quia prædicti Santi non solum Apostoli, sed etiam sunt Evangelistæ?

II. Quinam pro Doctoribus Ecclesiæ intelligendi sint? an quatuor Primarii dumtaxat, sive etiam alii posteriores?

III. Quinam pro Patriarchis Religionum intelligendi?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Cardinalis Millini Ponentis censuit rescribendum

Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad II. In casu, de quo agitur intelligendos illos, in quorum Officio Ecclesia utitur Antiphona = O Doctor optime, &c.

Ad III. In casu de quo agitur intelligendos esse omnes illos, de quibus Ecclesia Catholica celebrat Officium & Missam. Et ita declaravit die 7. Septembris 1754.

Ordinis Minorum Reformatorum S. Francisci in Provinciæ S. Mariæ de Arrabida in Regno Portugalliæ.

Propositis Sacræ Rituum Congregationi per Fratrem Joannem a S. Joseph Ordinis Minorum Reformatorum Provinciæ S. Mariæ de Arrabida in Regno Portugalliæ Cæremoniarum Magistro in Cœnobio S. Antonii necnon Beatæ Mariæ prope Mafram sequentibus dubiis, nempe

I. An Fratres memoratæ Provinciæ infra octavam Omnium Sanctorum Anniversarium a Joanne V. Rege Fidelissimo fel. rec. Cœnobii & Ecclesiæ Fundatore institutum pro Animabus Regis Petri II. & Reginæ Mariæ Parentum suorum, necnon alia tria Anniversaria pro omnibus Defunctis Religiosis Provinciæ, eorumque Parentibus, & Provinciæ Patronis solemniter celebrare possint illis diebus ab Officio sub ritu duplici impeditis?

II. An Patres prædictæ Provinciæ debeant, vel possint continuare recitationem Officiorum specialium Kalendarii Diœcesani, vel ab illa totaliter abstinere?

Sacra eadem Congregatio ad relationem Eminentissimi & Reverendissimi D. Cardinalis Cæsarei Ponentis rescribendum censuit.

Quoad primum Anniversarium pro gratia, & in reliquis servetur Decretum Alexandri VII. 5. Augusti 1662.

Ad II. Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam, & serventur Decreta Sacræ Congregationis & Constitutiones Ordinis. Et ita declaravit, die XI. Januarii 1755.

Lucana.

Cum Reverendissimo Archiepiscopo Lucano nonnulla occurrerint dubia circa Sacros Ritus humillime Sac. Rituum Congregationi supplicavit, quatenus ea benigne decernere dignaretur; dubia sunt sequentia.

I. An ferenda sit immemorabilis, aut antiqua consuetudo Parochorum benedicentium Sacrum Fontem de mane, aut in Vesperis dierum festorum Paschatis & Pentecostes, aliorumve festorum juxta præscriptum Ritualis Romani, ubi agit de benedictione Fontis Baptismi extra Sabbatum Paschæ, & Pentecostes cum Aqua consecrata non habetur?

II. An Parochis, quibus in die Sabbati Sancti imminet onus adeundi Ecclesiam Matricem, aut Plebanalem, ut functioni Fontis intersint, aquamque benedictam, atque Olea Sacra recipiant, possint aut teneantur idem onus in alium Sacerdotem ab iis deputandum, ac delagandum rejicere: ut qui habent fontem Baptismalem illum benedicant, & cum quo numero Ministrorum, aut saltem Sacrum faciant pro commoditate & devotione suorum Parochianorum?

III. An fas sit Parochis uti in collatione Sacramenti Baptismatis aqua in Ecclesia Matrice, aut Plebanali benedicta, cui privatim, & separatim, & non in ipso actu benedictionis Baptismalis infusa fuerint Olea Sacra?

IV. An Parochi in alienas Ecclesias convenientes aut non convenientes possint attenta consuetudine immemorabili, aut saltem antiqua Sacrum facere in die Sabbati Sancti cum cantu, aut sine cantu in propria Ecclesia, prætermissis benedictionibus Ignis, Cerei, Prophetiis, aliisque ritibus ipsa die præscriptis, aut non obstante eadem consuetudine idem Sacrum omittere teneantur, & quatenus negative quoad secundam partem, sub qua pœna statuenda contra Parochos, aliosque Sacerdotes?

Et Sac. eadem Congregatio ad relationem Eminentissimi & Reverendissimi D. Cardinalis Tamburini Sac. Rituum Congregationis Præfecti & Ponentis censuit rescribendum.

Ad I. Parochos habentes facultatem benedicendi Fontem Baptismalem Sabbatis diebus Paschatis, aut Pentecostes dumtaxat, & non aliis diebus illum de mane benedicere debere. Qui vero hanc facultatem non habent, ab ejus benedictione se abstinere tenentur.

Ad II. Parochis licere alium Sacerdotem delegare, qui benedictioni Fontis Baptismalis in Ecclesia Matrice pro iis assistat; sicuti etiam possunt die Sabbati Sancti alteri Sacerdoti Missæ celebrationem in propria Ecclesia committere. Qui facultatem obtinent Fontem benedicendi, quatuor saltem Clericos in ministerio habebunt.

Ad III. Parochi ex Matricis fonte aquam, cui Sacra Olea jam fuerint commixta suscipere debent, quam adhibeant in Baptismi collatione. Qui vero ante Fontis benedictionem Olea Sacra recipere non potuerunt, illa subinde privatim, ac separatim in aquam mittere poterunt.

Ad IV. Congruit, ut Missæ in Sabbato Sancto celebrandæ Ignis, ac Cerei benedictio præcedant, ante quam Missam Prophetiæ omitti non debent, & Archiepiscopus Parochos ad Ignis, ac Cerei benedictionem faciendam aliqua pœna pecuniaria adigere poterit. Et ita declaravit, die 12. Aprilis 1755.

Firmana.

Supplicantibus Præposito, & Canonicis Insignis Ecclesiæ Collegiatæ S. Stephani Protomartyris Montis Sancti Diœcesis Firmanæ nuper a Sanctissimo Domino Nostro Benedicto Papa XIV. institutæ declarari a Sac. Rituum Congregatione,

An ipsi cogi possent ad recitationem in Choro statutis diebus Officii B. M. V., & Defunctorum, Psalmorum quoque Pœnitentialium, atque gradualium juxta rubricas Breviarii Romani, constitutiones Synodales, & consuetudinem Firmanæ Diœcesis; & proposito dubio per Eminentissimum & Reverendissimum D. Cardinalem Tamburini Sac. Rituum Congregationis Præfectum, & hujus instantiæ Ponentem, audito prius Reverendissimo Archiepiscopo; Eminentissimi Patres Sac. Rituum Congregationi præpositi unanimes fuerunt in sensu = Non esse cogendos. Et ita Sac. Congregatio decrevit, & servari mandavit, die 14. Junii 1755.

Angelopolitana.

Cum Capitulum, & Canonici Ecclesiæ Cathedralis Angelopolitanæ in Indiis Occidentalibus Sacræ Rituum Congregationi humiliter exposuerint tam in eadem Cathedrali, quam in tota Diœcesi adamussim observata fuisse Decreta ejusdem Sacræ Congregationis, & signanter illud de Anno 1735. præcipiens, quod Officia Sanctorum, quæ in fine anni supererunt non sunt transferenda ad annum sequentem, sed quoties toto Anni decursu de illis celebrari non valeat, tunc in illo anno diebus eorum propriis consideranda sunt tamquam simplicia, faciendo illorum commemorationem, ut fit in semiduplicibus cum nona lectione composita ex omnibus lectionibus propriis secundi Nocturni (si proprias habuerint) ad modum unius: sed cum quidam Religiosus Matritensis in Kalendario Typis dato inter cætera adnotaverit circa supradictum Decretum, quod principium Anni in hoc casu a die illius festi, non vero a Mense Januario computandum sit; Ideo ad tollendum quodcumque dubium eidem Sacræ Rituum Congregationi enixe supplicarunt, quatenus benigne declarare dignaretur, quod intelligendum sit de Anno communi, qui incipit mense Januario, & non aliter. Et Sacra eadem Congregatio ad relationem mei Secretarii, damnata Religiosi Matritensis vana interpretatione, Capitulo, & Canonicis præfatæ Ecclesiæ Metropolitanæ respondendum censuit = Decretum diei vigesimæ sextæ Novembris 1735. esse intelligendum de Anno vulgari, & communi, qui a Kalendis incipit Januarii. Et ita declaravit, die 30. Augusti 1755.

Varmien.

Cum Reverendissimo Episcopo Varmiensi nonnulla occurrerint dubia circa Rubricas Sacræ Rituum Congregationi enixe supplicavit, quatenus ea benigne resolvere dignaretur: dubia sunt sequentia.

I. Cum adsint Decreta Sacræ Rituum Congregationis aliquoties repetita, quod in Missa de Beatis, idest nondum Canonizatis, *Credo* dici non debeat, dubitatur, an in festis Beati Joannis Cantii, Beati Joannis de Dukla, Beati Ladislai de Gelniow, & Beatæ Cunegundis Virg. quorum Officium auctoritate Sedis Apostolicæ tamquam de Patronis Regni principalibus ritu duplici primæ Classis in Polonia recitatur, *Credo* in Missa dicendum sit.

II. An in festo S. Hyacinthi Conf. Ordinis Prædicatorum Regni Poloniæ Patroni Principalis, quod ex concessione Sacræ Rituum Congregationis die 25. Septembris 1723. emanata ritu duplici primæ Classis cum octava, Dominica infra octavam

Assumptionis B. M. V. in Polonia celebratur, in ejusdem Sancti Confessoris Officio Hymni ad horas terminari debeant: *Jesu tibi sit gloria &c.*, & an in Missa debeat dici Præfatio de B. M. V. quamvis juxta rubricam generalem Breviarii, & Missalis Romani in festis ritus duplicis primæ Classis nulla diei intra octavam fiat Commemoratio.

III. Si Officium infra octavam festi S. Joachim Patris B. M. V. in Polonia ex Indulto Sacræ Rituum Congregationis die 29. Januarii 1751. dato ad ritum duplicem primæ Classis cum octava elevati, & in Dominicam secundam post octavam festi Assumptionis ejusdem B. M. V. translati cum octava festi Nativitatis B. M. V. concurrat, ut sæpissime contingit, faciendum est Officium de die intra octavam S. Joachim, an vero de die intra octavam Nativitatis &c., Ratio dubitandi est, quod etsi festum primæ Classis præcedat aliud secundæ Classis, attamen octava B. M. V. est pro universali Ecclesia, jam autem altera pro Polonia dumtaxat, sitque devotio fidelium ad Deiparam Virginem longe major.

IV. Ecclesia Collegiata loci Guttenstadt Diœcesis Varmiensis sub titulo Sanctissimi Salvatoris, & Omnium Sanctorum dedicata fuit, sed cum potior titulus, nempe Sanctissimi Salvatoris illic nullam festivitatem haberet, Episcopus ordinavit, ut festum Transfigurationis Domini, quod in octavario Romano per Bartholomæum Gavantum concinnato, a Sacra Rituum Congregatione die 19. Februarii 1622. approbato, & Venetiis Typis Balleonianis Anno 1733. impresso, *Salvatoris* appellatione venit, Dignitatem Tituli Ecclesiæ habeat, & Officium de eadem Transfiguratione Domini ritu duplici primæ Classis cum octava deinceps recitetur, Sacra Rituum Congregatio dignabitur declarare, an hæc ordinatio sit observanda? Nulla quidem ex parte Capituli, & Cleri præfatæ Ecclesiæ est oppositio; Episcopus tamen desiderat, ut omnia auctoritate Sedis Apostolicæ fiant. In statu Veneto Dominica tertia Mensis Julii ritu duplici secundæ Classis recitatur Officium SS. *Redemptoris*, quod quidem Salvatori Synonimum, sed in Polonia præcitati Officii usus nondum obtinuit; Et Sacra eadem Congregatio ad relationem mei infrascripti Secretarii loco Eminentissimi & Reverendissimi D. Cardinalis Guadagni Ponentis censuit rescribendum.

Ad I. & II. Affirmative.

Ad III. Recitandum esse Officium de infra octavam S. Joachim.

Ad IV. Servandum esse Decretum ejusdem Reverendissimi Episcopi. Et ita declaravit die 29. Novembris 1755.

Ordinis Minorum Excalceatorum S. Francisci Provinciæ S. Didaci Hispalen.

Pater Provincialis Ordinis Minorum Excalceatorum S. Francisci Provinciæ S. Didaci Hispalen. Sac. Rituum Congregationi exposuit prohiberi suis Religiosis a quibusdam peculiaribus Constitutionibus usum Pluvialis in Processionibus SS. Corporis Christi; quæ leges cum adversentur decretis hujus Sacræ Congregationis, humillime eidem supplicavit, ut præcipere dignaretur ab omnibus suis Religiosis præfatæ Provinciæ eadem Decreta Sacræ Congregationis esse observanda: Et Sacra Congregatio ad relationem mei Secretarii rescripsit, quod eidem Oratori darentur Decreta alias in hoc dubio emanata, videlicet = Congregationis Montis Coronæ = Supplicante humiliter Sacræ Rituum Congregationi Patre Juvenale Visitatore Generali Congregationis Camaldulensium Montis Coronæ infrascriptum dubium declarari = An liceat non habentibus usum Pluvialis in die, & infra Octavam SS. Corporis Christi peragere Processionem cum SS. Sacramento, & illud sine Pluviali exponere? Et Sacra eadem Congregatio censuit respondendum = Negative quoad primam partem, & quoad secundam non posse cogi, idest in expositione SS. Sacramenti. Et ita respondit, & declaravit die 22. Januarii 1701. Quod Decretum eadem Sacra Congregatio etiam a Religiosis Excalceatis Sancti Francisci dictæ Pronvinciæ Sancti Didaci servari mandavit die 15. Maji 1756.

Varmien.

Cum Reverendissimus Episcopus Varmiensis Sacræ Rituum Congregationi exposuerit, quod Fratres Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupati Conventuum existentium in sua Diœcesi expunxerunt ab eorum Kalendario Festum Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis Varmiensis, ad cujus celebrationem tenentur ex præscripto Decretorum Sacræ Rituum Congregationis; Sacra Congregatio ad relationem mei Secretarii rescripsit, ut Reverendissimus Episcopus cogat eosdem Fratres ad celebrationem Festi Dedicationis suæ Ecclesiæ Cathedralis ad formam Decretorum. Et ita decrevit, ac servari mandavit die 18. Decembris 1756.

Calaguritana.

Porrecto Sanctissimo Domino Nostro Benedicto Papæ XIV. nomine Reverendissimi Episcopi Calaguritani supplici libello, illoque a Sanctitate Sua ad Sacram Rituum Congregationem remisso pro resolutione sequentium dubiorum.

I. An Civitas Calaguritana rigorose prout ante Indultum, servare teneatur Festum Sanctorum Hemeterii, & Celedonii Fratrum Martyrum: Et Civitas Calceaten. servare eodem modo teneatur Festum Sancti Dominici, vel utraque Civitas utrumque Festum servare teneatur?

II. An Oppida, quæ non habent peculiarem Patronum, servare teneantur Festum Patronorum Principalium Ecclesiæ Calaguritanæ, cui subsunt, seu potius Festa Patronorum utriusque Ecclesiæ, nempe Calaguritanæ, & Calceaten.

III. An Oppida, quæ habent peculiarem Patronum, servare teneantur Festum illius dumtaxat, sive potius omisso Festo sui peculiaris Patroni servare teneantur Festum Patronorum Ecclesiæ Calaguritanæ, cui subsunt, vel Ecclesiæ Calceaten. huic principaliter unitæ, vel potius Festa Patronorum utriusque, servato etiam Festo proprii Patroni.

IV. An Civitates Calaguritana, & Calceatensis servare teneantur, ultra Festum Patroni proprii, Festum Patroni principalis Provinciæ, in qua sitæ sunt; Et an Oppida particularia Diœcesis Calaguritanæ sive habeant, sive non habeant Patronum proprium, servare teneantur Festum Patroni proprii Provinciæ, in qua ea respective existunt, nempe Sancti Prudentii Episcopi, & Confessoris Patroni Provinciæ Alavæ, & Sancti Ignatii de Lojola Patroni Provinciæ Guipuzcæ & Viscajæ &c.

Sacra Congregatio audito prius R. P. D. Benedicto Veterani Fidei Promotore, qui scripto & voce suam sententiam exposuit, ad relationem Eminentissimi & Reverendissimi Domini Cardinalis Feroni respondit

Ad I. Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.

Ad II. Negative ad utramque partem.

Ad III. Teneri servare Festum Patroni particularis Loci dumtaxat.

Ad IV. Negative ad utramque partem. Et ita declaravit die 26. Martii 1757.

Ordinis Carmelitarum Regni Poloniæ.

Propositis Sac. Rituum Congregationi per Patrem Fratrem Constantinum Strzalkowski Ordinis Carmelitarum Regni Poloniæ sequentibus dubiis, nempe

I. Utrum Officium S. Stanislai Poloni Martyris Episcopi Cracoviensis, Patroni Principalis Regni Poloniæ, quod a Clero Sæculari, & aliis in Polonia recitatur sub ritu duplici primæ classis, a Patribus autem Carmelitis propter aliquod dubium, sive scrupulum tantum sub ritu duplicis minoris primæ classis: Utrum iidem Patres Carmelitæ in Polonia idem Officium Sancti Stanislai teneantur recitare sub ritu duplicis majoris primæ classis, qui ritus æquivalet, & correspondet ritui duplicis primæ classis juxta Rubricas Breviarii Romani, nec ne? Idem est dubium de S. Casimiro.

II. Utrum Officium proprium de eodem Sancto cum suis Antiphonis, Lectionibus, Responsoris &c. quod recitatur a Clero Sæculari, & aliis etiam, a Patribus Carmelitis in Polonia debeat recitari idem Officium proprium, necne?

III. Utrum festum Sancti Joachim cum suo Officio, quod per Decretum Sanctissimi Domini Nostri Papæ Benedicti XIV. feliciter regnantis ex Dominica infra octavam Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis translatum est pro Dominica post octavam Assumptionis ejusdem Beatæ Mariæ Virginis in Regno Poloniæ, & ab omnibus hoc Decretum observatur in Polonia: *Utrum etiam* Patres Carmelitæ teneantur ad illud observandum propter uniformitatem cum aliis, nec ne?

Sacra Congregatio ad relationem mei Secretarii rescribendum censuit.

Ad I. Teneri ad ritum duplicis majoris primæ classis.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Ut ad proximum. Et ita declaravit die 26. Martii 1757.

Regni Poloniæ.

Andreas Mlodziciowski Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis nomine totius Cleri Regni Poloniæ Sacræ Rituum Congregationi exposuit, alias Clero præfati Regni concessam fuisse facultatem transferendi Festa nonnullorum Sanctorum ad Dominicas infra eorum Octavas ob majorem Populi concursum; cum autem, ut sæpe solet, aliquod ex dictis festis incidat die Dominico, quemadmodum hoc Anno festum Sancti Stanislai; Oratores eidem Sacræ Congregationi humillime supplicarunt pro declaratione = An hoc casu Festa Sanctorum incidentia in diebus Dominicis celebrari debeant in iisdem diebus propriis assignatis pro Ecclesia Universali, sive transferri ad Dominicas respective sequentes. Et Sacra Congregatio ad relationem mei Secretarii respondit.

Festa prædicta celebranda esse in diebus proprii, non autem in Dominicis sequentibus in casu de quo agitur. Et ita declaravit die 16. Julii 1757.

Ita reperitur in Regestis Decretorum Congregationis Sacræ Rituum. In fidem &c.

M. Marefuscus S. R. C. Secretarius.

F I N I S.

INDEX RERUM
MEMORABILIUM.

Numeri paginas notant.

Ceroferarii.

Cingulum.

Clerici.

Cœmeterium.

Collectæ.

Communicantes.

Communio.

Concio.

Corporale.

Cotta.

Credentia.

Crucis Signa.

Cryptæ.

Diaconus.

Diptychum.

Dominica.

Dominica Oratio.

Dominus Vobiscum.

Do-

Mis-

Missale.

Missa Defunctorum.

Missa privata.

Missa solemnis.

Naves.

Nobis quoque peccatoribus &c.

Oblationes.

Octava.

Offertorium.

Officium.

Orationes.

Oratoria.

Palla.

Particulæ.

Patena.

Pater noster.

Patronus.

Pax.

Placeat, &c.

Planeta.

Pœnitentes.

Pontifex Summus.

Postcommunio.

Præfatio.

Si San-

Prælati.

Præparatio ad Missam.

Purificatio.

Purificatorium.

Quam oblationem &c.

Qui pridie quam pateretur &c.

Regulares.

Reliquiæ.

Ritus Missæ.

Rubricæ.

Rubricæ ad Missam pertinentes.

Sacerdotes.

Sacramenta.

Sacrificium.

Sancti.

Satisfactorium Sacrificium.

Scamnum.

Scholastici.

Sequentia.

Stola.

Subdiaconus.

Symbolum.

Symbolum dicitur.

Symbolum non debet dici.

Te igitur clementissime Pater &c.

Tempus celebrationis Missæ.

Thuriferarius.

Thus.

Tintinnabulum.

Titularis.

Tractus.

Velum calicis.

Vestes Sacræ.

Vestis talaris.

Viaticum.

Victima.

Unde & memores Domine &c.

FINIS INDICIS.